SC.19.Pl.6.

37
29 B
19
AM 1517
Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆLECTIONES
THEOLOGICÆ,
DE
SACRAMENTO
MATRIMONII.

Quas in Scholis Sorbonicis habuit

HONORATUS TOURNELY

SACRÆ FACULTATIS PARISIENSIS Doctor, Socius Sorbonicus, Regius & Emeritus Profeſſor, Sacroſanctæ Capellæ Regii Palatii Pariſienſis Canonicus.

VENETIIS,
Apud NICOLAUM PEZZANA.

MDCCXXXI.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

Digitized by Google

AD LECTOREM.

ECCE veniunt in lucem de Matrimonii Sacramento diù multùmque expectatę Pręlectiones ſummi Viri, quem Religio luget, labor ultimus, nec ultima gloria. Neque tamen, quemadmodum priores & cognatę, quarum ſeriem exequuntur ac terminant, ſic iſtę ſeſe legentibus offerunt, erudita Pręfatione ad exponendum copioſè argumentum exornatę; ſed nuda fronte ac neglecta, qualem prodire decet prolem orbatam ſub ipſum parentis funus.

Accidit enim mors Authoris intempeſtiva operi jam maturo, quod etiam ex præli carcere cùm eſſet nuper liberatum, hoc ſolùm, antequam ire in vulgus decentiùs poſſet, expectare videbatur, ut ipſe Author, qui cęterarum Pręlectionum frontem Pręfationis dignitate & elegantia commendaverat, eundem quoque his poſterioribus frontis honorem addidiſſet.

Quamobrem cùm docta manus priùs funerata ſit quàm labore illo perfungeretur, ita relinqui oportuit ſine hoc ſplendore opus poſthumum, quo carere facilè poſſet tot aliundè dotibus ac luminibus commendatum: aut ſi iſta jactura gravis eſt, certè mors Scriptoris aliquantùm Operi luctuoſa eidemque incommoda eſſe debuit, quę Theologorum Reipublicę damna multa doloremque graviſſimum eſſet allatura.

Id unum porrò detrimenti ex illo funere his Prælectionibus accidere potuit, quas Literatis omnibus acceptiſſimas facit Scriptoris illuſtre nomen; ipſaque viri gratiſſima memoria, quam in legentium animis refricabunt, probari ac laudari ſecuras. Si enim in legendis ſepulchris redimus in memoriam mortuorum, ut ajebat Tullius, multò magis hoc Opus verſan-

Digitized by Google

tibus, quod chariſſimi mortui judicio ac ſenſu refertum eſt; ejuſdem viri recordatio obverſabitur; qui præſertim cùm omne olim ſtudium atque ingenium contulerit ad Theologiæ gloriam laudemque promovendam, poſt mortem etiam Religioni prodeſſe poteſt.

Is quidem temporum noſtrorum ornamentum fuit non mediocre; ſed præſertim ſęculi ſui judicium poſteris in eo commendavit, quòd, etiam dum viveret, ab univerſis ordinibus magnus eſſet judicatus. Neque ille neceſſe habuit, quod experti ſunt aliquando etiam illuſtres Viri, ex hac vita decedere ad famam comparandam opinionemque virtutis: reſcivit quippe omnium de ſe honorificentiſſima judicia; ſua Scripta per orbem chriſtianum legi ac recitari audivit; eorumque opibus ac luminibus clariſſimorum Theologorum Libros ornatos viderat: legebat quoque ſcripta de ſe encomia, etiam ab æmulis; ac futuræ immortalitatis conſuetudine quadam aſſuetus, ſuæ poſteritati præſens interfuit.

Antipoli ſub fortunato ac feraci Provinciæ cœlo natus, quæ non fructuum modò, ſed etiam virorum lectiſſima munera Gallis dividit, indè judicium acre ac ingenium ſagax, animumque candidum Lutetiam attulerat. Hic avidum ſciendi pectus multiplici doctrinarum genere explebat; cùmque jam excelleret in ſingulis, tùm Theologus dici maluit, atque adeo ſocietati Sorbonicæ adjunxit ſeſe; Sorbonæ debitum ingenium, in quo nihil eſſet mediocre, pręclara & excelſa omnia. Erant celeberrima in domo ſummę virtutes; illic eminebat.

Vix erat Licentię ſtadium egreſſus, ac Magiſterii donatus infulis, cùm in Belgium Ludovici Magni juſſu miſſus eſt; ubi hęreſim obſtinatam, cum qua per totum vitę curſum pugnaturus erat, in iiſdem cunabulis exploraret, in quibus illa primùm adoleverat; eamque recognoſceret in gentili ſolo, quò meliùs illam comprimeret. Mirabatur interea Academia Duacena, quę eloquentiſſimi Magiſtri prçceptis abundabat, tantam eſſe Scholæ Pariſienſi Theologorum adeò inſignium copiam, ut illo lumine Sorbona carere potuerit. Neque verò caruit diù; ſed quatuor poſt annos revocatum in Scholis ſuis regium Profeſſorem collocavit.

Tunc Scholaſtica Theologia viſa eſt ingenioſa & amabilis: innumeros auditorum greges è Scholis Sorbonicis videres denſo agmine erumpere, velut ex alvearibus apum examina; neque regem ſic obſervant apes, ut hunc magiſtrum diſcipuli. Mira-

ban-

Digitized by Google

antur lętique pendebant ab ore dicentis & attenti : allatam domo quotidiè ab illo orationem ſibi gratulantes, quę erat è Schola nata.

Ingens fuit novi Profeſſoris gloria. Crevit eadem ab anno 1692. ad annum 1717. quamdiu in regio docendi munere perſeveravit: tunc enim à Scholis receſſit, poſt laborioſam operæ publicę diuturnitatem, experturus an foret otii patiens ac quietis. At quàm occupatum otium fuit? Deſtinatum erat privatis ac liberis laboribus; conſumptum fuit in publicis ac neceſſariis. Scilicet jam erant in multorum manibus manuſcripti codices, quos diſcipulis tradiderat: ęquum eſſe videbatur ut ii fierent omnibus communes, qui erant univerſis profuturi; ipſa Religio opus ſui cauſa ſuſceptum & elaboratum ſpargi in vulgus ac latè diffundi ad ſui utilitatem vehementer exoptabat. Noverat quippe in Scriptis antiqua eſſe omnia, pręter ſparſa ubique ingenii lumina, methodumque diſſerendi perſpicuam, ac conſtantem ſtili & ſermonis elegantiam. Ita cogebatur, qui in legendis Veteribus tam aſſiduus fuerat, ſe quoque relinquere legendum poſteris.

Igitur eximios codices, eoſque multitudine plurimos, typis mandari opus fuit; quos tamen non ante pręlo credebat, quàm eos aſſiduè retractaret, vel opes addendo quibus non indigebant; vel nęvos quoſdam indè abſtergendo ac emendando, quos nemo fortè fuerat animadverſurus.

Inter hęc oculi tandem legere ac ſcribere recuſarunt, ut quieſcere cogeretur, ac viribus ſuis parcere, quas inter ſtudia obſtinata vi tacita labor longiſſimus ſenſim ſine ſenſu conſumebat; ſed multa adhuc conantem mors nimiùm matura corripuit. Triſte funus: Naturę tamen indulgendum, quę in homine ſene ſeptuaginta duos annos nato tantis laboribus non extingui non potuit; cùm pręſertim ſat virium ac temporis morituro reliquerit, ut antè morbum incępta propè perficeret, ac morte imminente ipſe animum abeuntem, cujus fuit ad ultimum vitę compos, in corpore incluſum tamdiù contineret, donec religioni officia debita pietate antiqua perſolviſſet.

Vixit privatus, dignus honoribus quos non habuit. Erat tamen ſumma viri authoritas, quæ non eſſet conceſſa dignitati, ſed nomini. In re mediocri contentus, de cenſu acquirendo non cogitavit; neque habebat cogitandi tempus. Verus amicus profuit quamplurimis; aut quibus prodeſſe non poterat, iis grati animi neceſſitatem beneficia voluntate im-

Digitized by Google

ponebat. Non alias unquam inimicitias ſuſtinuit, niſi quas Religionis cauſa faciebat homini pacifico neceſſarias; ac ſi quas pugnas commiſit, hoc laudis ex illo belli genere reportavit, quòd ii quibuſcum rem gerebat, non conquererentur de pugnantis artibus, ſed de viribus. Neque ipſe de ſuis viribus gloriabatur, quarum nec erat conſcius; ſolitus etiam ab illis conſilium accipere, quos poterat erudire. Ita ſua ſimplicitate famam ſuam minuere ac decurtare conabatur.

Ademptam ſibi ſuaviſſimam viri conſuetudinem lugent ſacroſanctæ Capellę regii Palatii Pariſienſis Canonici, quibus ut inter reddenda Deo penſa quotidiana frequens aderat & aſſiduus, ita in cęteris vitę officiis erat conjunctiſſimus. Vim conſiliorum amiſſam dolet ſacra Facultas Theologorum Pariſienſium, quę Doctoris eloquentia & ingenio delectabatur, iiſque moveri ſe ac perſuaderi ſinebat. Sorbonica in domo regnat altus dolor; ubi pars amicum antiquum ac perpetuum, alii pręſidium ac tutorem, univerſi rerum optimarum exemplum atque incitamentum deſiderant. Dedit ipſe lacrymas mortuo Eminentiſſimus Floręus rei Gallicę Adminiſter, qui nonniſi de Religionis ac Regni jacturis dolere poteſt.

Fruere, amice Lector, optimi magiſtri laboribus; ſed is à te id mercedis ac pręmii loco repoſcit ſibi, ut fuſis identidem ad Deum precibus ipſum adjuves, qui in ſtudiis tuis adjuvandis ac perficiendis ſic omne ętatis tempus conſumpſit, ut in opere proſequendo vitam ipſam tui cauſa perfunderet.

Hoc etiam te monitum eſſe opus eſt, duobus contractarum Pręlectionum tomis qui totam de Sacramentis materiam accuratè complectuntur, acceſſiſſe primum earumdem contractarum Pręlectionum de Deo uno, trino, & Angelis volumen, quod ſub pręlo eſt ac magna ex parte typis cuſum. Cętera deinceps volumina prodibunt ſuo ordine & abſque mora ſub eodem ſuo titulo: *Prælectiones Theologicæ ad uſum Seminariorum & examinis ad gradus Theologicos prævii contractæ. Opus Eminentiſſimo S.R.E. Cardinali* DE FLEURY *Regni adminiſtro dicatum.*

INDEX

Digitized by Google

I N D E X
Q U Æ S T I O N U M.

Q U Æ S T I O P R I M A.

De nomine, definitione & eſſentia Matrimonii. pag. 2
Nomina Matrimonii. ibid.
Definitio Matrimonii. 3
Eſſentia Matrimonii. 4
PRIMA CONCLUSIO. *Eſſentia Matrimonii non conſiſtit in uſu ſeu carnali copula.* 5
SECUNDA CONCLUSIO. *Eſſentia Matrimonii, prout eſt naturæ officium, non videtur reponenda aut in mutuo conſenſu, aut in contractu externo, aut in mutua traditione vorporum, aut in mutua obligatione ad reddendum debitum, aut in jure quod conjuger habent in invicem.* 8
TERTIA CONCLUSIO. *Eſſentia Matrimonii, quatenus eſt naturæ officium, videtur reponenda in illo nexu ſeu vinculo perpetuo quod ex conſenſu interno & pactione externa inter virum & mulierem reſultat.* 9
Solvuntur Objectiones. 10

Q U Æ S T I O S E C U N D A.

De inſtitutione Matrimonii. 14
ARTICULUS PRIMUS. *De inſtitutione Matrimonii, ut eſt naturæ officium.* ibid.
CONCLUSIO. *Matrimonium, ut eſt officium naturæ, ex ipſa naturæ lege ducit originem, quam deinde lex Dei poſitiva confirmavit.* 15
ARTICULUS SECUNDUS. *De inſtitutione Matrimonii, quatenus Sacramentum eſt.* 16
An Matrimonium in Lege naturæ aut ſcripta fuerit verum Sacramentum. 17
PRIMA CONCLUSIO. *Si Sacramentum generatim & latiori quodam ſenſu ſumatur pro ſigno rei ſacræ, poteſt hoc ſenſu dici Matrimonium fuiſſe Sacramentum in Lege naturæ aut ſcripta.* 18
SECUNDA CONCLUSIO. *Matrimonium in Lege naturæ aut ſcripta non fuit proprie Sacramentum, quale in Lege evangelica Chriſtus inſtituit.* 19
An Matrimonium in Lege evangelica ſit verum & proprium Sacramentum à Chriſto Domino inſtitutam, & quando. Errores & opiniones. 21

PRIMA CONCLUSIO. *Matrimonium ex ſe bonum eſt, honeſtum ac licitum: Eſt adverſùs veteres Hæreticos.* 23
SECUNDA CONCLUSIO. *Matrimonium eſt verum ac propriè dictum Legis evangelicæ Sacramentum. Eſt contra Lutheranos & Calviniſtas.* 24
Prima probatio ex Scriptura. ibid.
Secunda probatio ex conſtanti ac perpetua Eccleſiæ Traditione. 28
TERTIA CONCLUSIO. *Probabilius nobis videtur, tunc à Chriſto inſtitutum fuiſſe Sacramentum Matrimonii, cùm ſua præſentia nuptias cohoneſtavit, eiſque benedixit Joan.2.* 32
Solvuntur Objectiones veterum Hæreticorum adversùs bonitatem & honeſtatem nuptiarum. 33
Solvuntur Objectiones Novatorum adversùs Sacramentum Matrimonii. 37
Solvuntur Objectiones Durandi. 39
An quodlibet Fidelium Matrimonium ſit Sacramentum, ita ut ratio contractus ſejungi & ſeparari non poſſit à ratione Sacramenti. 41
CONCLUSIO. *Poteſt eſſe inter Fideles Chriſtianos ratum ac validum Matrimonium quoad ſedus & vinculum perpetuum, quod tamen non ſit verum & propriè dictum Sacramentum.* ibid.
An Matrimonium inter Fideles Chriſtianos abſentes per procuratorem contractum ſit verè Sacramentum. 42
CONCLUSIO. *Matrimonium inter abſentes Chriſtianos contractum ritu legitimo per procuratorem, verum eſt Sacramentum.* 44
An in Lege evangelica Matrimonium Infidelium inter ſe, vel Fidelis cum Infideli, aut Catechumeno, aut etiam Hæretico, ſit Sacramentum, & licitum. 46
PRIMA CONCLUSIO. *Verum eſt, ratum ac firmum Matrimonium inter Infideles legitimè contractum, non tamen Sacramentum, niſi ſenſu latiori ac improprio.* ibid.
SECUNDA CONCUSIO. *Nulla ſatis firma ratione demonſtratur, Matrimonium Fidelis cum Infideli ritu legitimo contractum non eſſe Sacramentum ex parte Fidelis.* 47
TERTIA CONCLUSIO. *Eccleſia prioribus quinque ſæculis toleravit legitima Matrimonia Fidelium cum Infidelibus vel Catechumenis, ubi nullum aderat certum ſubverſionis periculum.* 48
QUARTA CONCLUSIO. *Eccleſia generatim ſemper prohibuit Matrimonia Chriſtianorum cum Infidelibus, propter adjuncta pericula: an verò ipſo jure divino poſitivo ſint illicita & prohibita, res videtur incerta & dubia.* 49
QUINTA CONCLUSIO. *Illicita ſunt, non tamen nulla, jure naturali & eccleſiaſtico, Matrimonia Orthodoxorum cum Hæreticis legitimè contracta, id eſt ſervatis Eccleſiæ legibus: an verò per diſpenſationem licita fieri poſſint; diſputant Theologi.* 52
An Matrimonium inter Infideles contractum, accedente Baptiſmo evadat Sacramentum. 55
CONCLUSIO. *Nulla ſatis firma ratione probatur Matrimonium contractum inter Infideles, accedente Baptiſmo fieri Sacramentum.* ibid.

QUÆSTIO TERTIA.

De materia, forma, & miniſtro Sacramenti Matrimonii. 56
ARTICULUS PRIMUS. *De materia & forma Sacramenti Matrimonii.* ibid.
Proponuntur ac rejiciuntur variæ Scholaſticorum opiniones. ibid.
CONCLUSIO. *Materia Sacramenti Matrimonii ſunt actus contrahentium; forma verò, verba quibus Sacerdos in Matrimonium conjungit.* 59

Digitized by Google

ARTICULUS II. *De miniſtro Sacramenti Matrimonii.* 60
CONCLUSIO. *Sententia quæ aſſignat Sacerdotem pro miniſtro Sacramenti Matrimonii, vero magis accedere, ac probabilior nobis videtur.* 120
Solvuntur Objectiones. 61

QUÆSTIO QUARTA.

De cauſa efficiente Matrimonii, ſeu de mutuo contrahentium conſenſu. 73

QUÆSTIO QUINTA.

De proprietatibus Matrimonii. 85
ARTICULUS PRIMUS. *De unitate Matrimonii.* 86
De polygamia ſucceſſiva. An ſecundæ & ulteriores nuptiæ ſint licitæ. ibid.
PRIMA CONCLUSIO. *Eccleſia ſecundas & ulteriores nuptias generatim nec ſuaſit unquam, nec ex voto probavit, à quibus exoptaſſet ut abſtinerent Fideles.* ibid.
SECUNDA CONCLUSIO. *Severior fuit prioribus ſæculis Eccleſiæ, præſertim Græcæ, diſciplinæ ratio erga eos qui ad ſecundas & ulteriores tranſibant nuptias.* 88
TERTIA CONCLUSIO. *Eccleſia, quamquam ſecundas nuptias ut minùs perfectas non ſuaſerit, nec omnino probaverit, nuſquam tamen eas pro noxiis ac per ſe illicitis habuit, multò minùs pro nullis & irritis.* 92
Solvuntur Objectiones. 94
De polygamia ſimultanea. An & quo jure illicita ſit pluralitas uxorum ſimul. Status quæſtionis, ac variæ ſententiæ exponuntur. 100
PRIMA CONCLUSIO. *Pluralitas uxorum ſimul repugnat primævæ inſtitutioni Matrimonii, ejuſque finibus ſaltem ſecundariis, eſtque naturali & divino lege prohibita.* 101
SECUNDA CONCLUSIO. *Veteres Patriarchæ, & alii in Lege Moſaica, Deo diſpenſante, plures ſimul veras abſque ulla culpa duxerunt uxores.* 104
TERTIA CONCLUSIO. *Chriſtus in Lege nova Matrimonium ad primævam ſuam revocans originem, diſpenſationem veteribus datam planè revocavit, atque conjunctionem cum pluribus ſimul uxoribus illicitam fecit & irritam.* 110
ARTICULUS II. *De firmitate ſeu indiſſolubilitate vinculi conjugalis.* 113
Unde repetenda ſit firmitas & indiſſolubilitas vinculi conjugalis: an ex jure tantùm naturali; an ex præcepto Dei poſitivo; an ex ratione Sacramenti. 114
CONCLUSIO. *Vinculum Matrimonii firmum eſt, perpetuum ac indiſſolubile, tùm jure naturali ac primæva ſua inſtitutione, tùm jure divino poſitivo, tùm ipſa Sacramenti ratione.* 115
De firmitate vinculi conjugalis apud Infideles: an per converſionem alterius conjugum ad fidem chriſtianam ſolvatur, & fiat poteſtas convolandi ad alias nuptias. 122
De firmitate vinculi conjugalis apud Judæos: an dirimeretur per libellum repudii. 127
CONCLUSIO. *Libellus repudii, diſſoluto vinculo conjugali, non tantùm Judæis permiſſus fuit, ſed etiam, Deo diſpenſante, licitus.* 128
Solvuntur Objectiones. 130
De firmitate vinculi conjugalis apud Chriſtianos; an ſolvatur per adulterium. 132
Aperitur implicatæ quæſtionis ſtatus. Error Novatorum, ac Catholicorum diverſe referuntur ſententiæ, ibid.

Probatur catholicum dogma inſolubilitatis Matrimonii, etiam adulterii cauſa. 141
CONCLUSIO. *Vinculum Matrimonii diſſolvi non poteſt propter adulterium alterius conjugum.* ibid.
Primum argumentum. Ex Scripturis. ibid.
Secundum argumentum ex Traditione Eccleſiæ utriuſque, tùm Græcæ, tùm Latinæ. 142
Solvuntur Objectiones. 155
An Matrimonium Chriſtianorum ratum & non conſummatum ſolvatur quoad vinculum per ſolemnem Religionis profeſſionem; & quo jure quidve ſit obſervandum, cùm ante conſummationem alter conjugum tranſit ad Religionem. 163
CONCLUSIO. *Matrimonium ratum & non conſummatum dirimitur quoad vinculum per ſolemnem Religionis profeſſionem.* 164
Solvuntur Objectiones. 170
An Summus Pontifex diſpenſare poſſit à vinculo Matrimonii rati, nondum conſummati. 173
CONCLUSIO. *Veriſimilius longè videtur, non poſſe S. Pontificem diſpenſare à vinculo Matrimonii rati non conſummati.* 174
An Matrimonium Chriſtianorum ratum & conſummatum ſolvi poſſit per ingreſſum in Religionem: quidve ſit obſervandum, cùm alter, vel ambo conjuges aut Religionem ingredi, aut vir ſacros Ordines ſuſcipere deſiderat. 177
De divortio. An licita ſit, & aliquando neceſſaria ſeparatio conjugum quoad thorum & cohabitationem. 180
PRIMA CONCLUSIO. *Licet uxorem adulteram dimittere & ab ea ſeparari quoad thorum & cohabitationem.* 181
SECUNDA CONCLUSIO. *Præter crimen adulterii alias plures eſſe poſſunt divortii cauſæ legitimæ.* 182
TERTIA CONCLUSIO. *Separatio conjugum non ſolùm licita eſt, ſed aliquando neceſſaria: poteſt tamen conjux innocens juri ſuo cedere, & uxorem adulteram non dimittere, vel dimiſſam certis in caſibus revocare.* 183
ARTICULUS III. *De neceſſitate ac præcepto Matrimonii.* 184
PRIMA CONCLUSIO. *Extat naturale ac divinum Matrimonii præceptum.* ibid.
SECUNDA CONCLUSIO. *Initio generis humani lege ipſa naturæ tenebantur omnes ad ineunda conjugia: non item poſt ſufficientem humani generis propagationem. Multò minùs in Lege Chriſti tenentur omnes, & ſinguli ad Matrimonium, quamvis neceſſe ſit eſſe aliquos qui, ad conſervationem ſpeciei, aliquando ad propriam infirmitatem, & ſalutem æternam. Matrimonio conjungantur.* ibid.

QUÆSTIO SEXTA.

De ſolemnitatibus ad Matrimonium requiſitis. 185
ARTICULUS PRIMUS. *De Sponſalibus.* ibid.
ARTICULUS SECUNDUS. *De proclamationibus bannorum, ſeu publicis denuntiationibus.* 191
ARTICULUS III. *An parentum conſenſus abſolutè ſit neceſſarius ut filiifamilias validè contrahant Matrimonium.* 197
An jure naturali & divino Matrimonium filiorum familias ſine conſenſu parentum nullum ſit, irritum, & illicitum. ibid.

CON-

CONCLUSIO. *Nec jure naturali, nec jure divino poſitivo, irritum eſt ac invalidum Matrimonium à filiis contractum inſciis vel invitis parentibus; graviter tamen peccant filii qui ſine cauſa legitima ſic contrahunt.* 198
An jure eccleſiaſtico nullum ſit & irritum Matrimonium inſciis vel invitis parentibus contractum. 201
Quæſtionis ſtatus, ac variæ ſententiæ & interpretationes Decreti Tridentini Seſſ. 24. cap. 1. referuntur. ibid.
PRIMA CONCLUSIO. *Antiquis Eccleſiæ Canonibus nulla & irrita videntur fuiſſe Matrimonia filiorum, defectu conſenſus parentum.* 204
SECUNDA CONCLUSIO. *Concilium Tridentinum Seſſ. 24. de reformatione Matrimonii cap. 1. declarat Matrimonia filiorum familias ſine conſenſu parentum contracta, irrita non eſſe, & parentes ea rata vel irrita facere non poſſe.* 208
TERTIA CONCLUSIO. *Nulla ſatis firma ratione oſtenditur citato Concilii Trid. decreto unicè dogma definiri adverſùs Novatores, ut volunt nonnulli: imò longè veriſimiliùs videtur, per illud generalem diſciplinam & reformationem circa Matrimonium invehi, quæ obligat & vim legis habet in iis omnibus locis in quibus viget decretum Tridentinum.* 209
An jure civili ac Principum Edictis nullum & irritum ſit Matrimonium quod filiifamilias contrahunt ſuis parentibus inſciis, vel invitis. 212
PRIMA CONCLUSIO. *Antiquo civili jure Romano videntur nulla & irrita fuiſſe Matrimonia filiorum familias ſine parentum conſenſu contracta.* ibid.
SECUNDA CONCLUSIO. *Legibus Regum noſtrorum ſub graviſſimis pœnis prohibentur, ac declarantur nulla & irrita quantùm ad effectus civiles, Matrimonia quæ filiifamilias contrahunt, ſuis inſciis vel invitis parentibus.* 214
TERTIA CONCLUSIO. *Legibus & Edictis Regum noſtrorum non declarantur irrita & nulla, quantùm ad rationem Sacramenti & vinculi, Matrimonia filiorum, ex ſolo defectu conſenſus parentum.* ibid.
Solvuntur Objectiones. 218
ARTICULUS IV. *De Matrimonio clandeſtino, ac neceſſitate præſentiæ proprii Parochi ad validam Matrimonii celebrationem.* 223
De Matrimonio clandeſtino. 224
De neceſſitate præſentiæ Parochi ac teſtium, ut firmum ſit ac validum Matrimonium. 227

QUÆSTIO SEPTIMA.

De impedimentis matrimonii in genere. 232
ARTICULUS PRIMUS. *An Eccleſia poteſtatem habeat ſtatuendi impedimenta matrimonium dirimentia.* ibid.
CONCLUSIO. *Eccleſia jus & auctoritatem habet ſtatuendi impedimenta Matrimonium dirimentia.* 234
ARTICULUS II. *An Principes ſæculares poteſtatem habeant ſtatuendi impedimenta Matrimonium dirimentia.* 240
Status quæſtionis ac variæ ſententiæ exponuntur. ibid.
PRIMA CONCLUSIO. *Reges ac Principes ſæculares, jure ſibi proprio ac innato, conſtituere poſſunt impedimenta Matrimonium irritantia & dirimentia.* 242
SECUNDA CONCLUSIO. *Jam multis ab hinc ſæculis Chriſtiani Principes aut nulla, aut ſaltem nonniſi approbante & concurrente Eccleſia, ſtatuerunt impedimenta Sacramentum Matrimonii dirimentia.* 246
ARTICULUS III. *De diſpenſatione ab impedimentis Matrimonii.* 248

QUÆSTIO OCTAVA.

De impedimentis matrimonii ſigillatim ſumptis. 252

ARTI-

ARTICULUS PRIMUS. *De impedimentis dirimentibus Matrimonium.* ibid.
De impedimento erroris. ibid.
PRIMA CONCLUSIO. *Error circa perſonam Matrimonium reddit nullum & irritum.* 253
SECUNDA CONCLUSIO. *Error circa divitias & qualitates non irritat Matrimonium, ſive concomitanter tantùm ſe habeat ad conſenſum contrahentis, qui vel de illis non cogitat, vel ſic affectus eſt ut etiamſi de illis cogitaret, nihilominus vellet contractum perficere; ſive antecedenter, quando ſcilicet ad divitias & qualitates interiùs quidem fertur tanquam ad conditionem, à qua nihilominus non vult conſenſum in perſonam omnino pendere, præſertim cùm nihil exteriùs ſignificat.* 254
TERTIA CONCLUSIO. *Si error circa divitias & qualitates, qui antecedenter ſe habet ad contrahentis conſenſum, exteriùs declaratur, ita ut & interiùs & exteriùs contrahens velit conſenſum ſuum ab illis qualitatibus, tanquam à neceſſaria conditione pendere, tunc nullum eſt ac irritum matrimonium.* 255
De impedimento conditionis. ibid.
PRIMA CONCLUSIO. *Error conditionis ſervilis cùm ignoratur, dirimit matrimonium; ſecus, ſi non ignoretur.* ibid.
SECUNDA CONCLUSIO. *Servorum connubia facta ſine conſenſu dominorum, aliquando irrita, poſt duodecimum verò ſæculum valida fuere.* 257
De impedimento voti & Ordinis ſacri. 258
PRIMA CONCLUSIO. *Votum ſimplex continentiæ, aut perpetuæ, aut non perpetuæ, matrimonium illicitum quidem, at non invalidum ac irritum reddit.* 259
SECUNDA CONCLUSIO. *Matrimonium poſt ſolemne continentiæ votum in Religione approbata, vel poſt ſuſceptionem majorum Ordinum, non tantùm prohibitum ac illicitum eſt, ſed nullum & irritum.* ibid.
TERTIA CONCLUSIO. *Non ſemper nec ubique irritum fuiſſe videtur matrimonium poſt emiſſum ſolemne caſtitatis votum.* 260
De impedimento cognationis ſeu conſanguinitatis. 262
Definitio conſanguinitatis. Lineæ & gradus quibus conſanguinitas diſtinguitur. Regulæ hac in materia obſervandæ. ibid.
PRIMA COMCLUSIO. *Conſanguineorum in quolibet gradu rectæ lineæ conjugia ſemper illicita & nulla fuere.* 266
SECUNDA CONCLUSIO, *Circa matrimonia conſanguineorum in linea collaterali varia variis temporibus diſciplina fuit.* ibid.
De impedimento affinitatis. 271
De affinitate carnali ſeu ſanguinis. 272
De affinitate ſpirituali. 275
De affinitate legali. 280
De impedimento criminis. 281
De impedimento diſparis cultus. 284
De impedimento violentiæ. 285
De impedimento ligaminis. 286
De impedimento publicæ honeſtatis. 287
PRIMA CONCLUSIO. *Impedimentum publicæ honeſtatis oritur ex Sponſalibus, hiſque tantùm validis, & in primo gradu.* 288
SECUNDA CONCLUSIO. *Ex matrimonio rato & non conſummato oritur impedimentum publicæ honeſtatis, etiam uſque ad quartum gradum.* 289
TERTIA CONCLUSIO. *Matrimonium invalidum,* modò invalidum non ſit ex defectu conſenſus, *impedimentum hoc inducit.* ibid.
De impedimento amentiæ, vel furoris. ibid.
De impedimento clandeſtinitatis. 290
De impedimento impotentiæ. ibid.

Digitized by Google

De impedimento raptus . 292
ARTICULUS II. *De impedimentis ſimpliciter prohibentibus* . 295
De impedimento ex Eccleſiæ interdicto ſeu prohibitione . ibid.
De impedimento temporis quo non licet nuptias celebrare . 296
De impedimento ex catechiſmo. 297
De impedimento ex Sponſalibus . 298
De impedimento voti ſimplicis . ibid.
ARTICULUS III. *De effectibus Matrimonii* . ibid.

CA-

Digitized by Google

CANONES
CONCILII TRIDENTINI
De Sacramento Matrimonii. Seſſ. 24.

Canon I. *Si quis dixerit, Matrimonium non eſſe verè & propriè unum ex ſeptem Legis Evangelicæ Sacramentis, à Chriſto Domino inſtitutum, ſed ab hominibus in Eccleſia inventum, neque gratiam conferre; anathema ſit.*

Can. 2. *Si quis dixerit, licere Chriſtianis plures ſimul habere uxores, & hoc nulla lege divina eſſe prohibitum; anathema ſit.*

Can. 3. *Si quis dixerit, eos tantùm conſanguinitatis & affinitatis gradus, qui in Levitico exprimuntur, poſſe impedire Matrimonium contrahendum, & dirimere contractum; nec poſſe Eccleſiam in nonnullis illorum diſpenſare, aut conſtituere, ut plures impediant & dirimant; anathema ſit.*

Can. 4 *Si quis dixerit, Eccleſiam non potuiſſe conſtituere impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in iis conſtituendis erraſſe; anathema ſit.*

Can. 5. *Si quis dixerit, propter hæreſim, aut moleſtam cohabitationem, aut affectatam abſentiam à conjuge, diſſolvi poſſe Matrimonii vinculum; anathema ſit.*

Can. 6. *Si quis dixerit, Matrimonium ratum, non conſummatum, per ſolemnem Religionis profeſſionem alterius conjugum non dirimi; anathema ſit.*

Can. 7. *Si quis dixerit, Eccleſiam errare, cùm docuit, & docet, juxta Evangelicam & Apoſtolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum Matrimonii vinculum non poſſe diſſolvi; & utrumque, vel etiam innocentem qui cauſam adulterio non dedit, non poſſe, altero conjuge vivente, aliud Matrimonium contrahere, mœcharique eum, qui dimiſſa adultera aliam duxerit, & eam quæ, dimiſſo adultero, alii nupſerit; anathema ſit.*

Can. 8. *Si quis dixerit, Eccleſiam errare, cùm ob multas cauſas ſeparationem inter conjuges quoad thorum ſeu quoad cohabitationem, ad certum incertumve tempus fieri poſſe decernit; anathema ſit.*

Can. 9. *Si quis dixerit, Clericos in ſacris Ordinibus conſtitutos, vel Regulares caſtitatem ſolemniter profeſſos, poſſe Matrimonium contrahe-*

trahe-

Digitized by Google

trahere, contractumque validum eſſe, non obſtante Lege Eccleſiaſtica, vel voto; & oppoſitum nihil aliud eſſe quàm damnare Matrimonium; poſſeque omnes contrahere Matrimonium, qui non ſentiunt ſe caſtitatis, etiamſi eam voverint, habere donum; anathema ſit: cùm Deus id rectè petentibus non deneget, nec patiatur nos ſupra id, quod poſſumus, tentari.

Can. 10. *Si quis dixerit, ſtatum conjugalem anteponendum eſſe ſtatui virginitatis, vel cœlibatus; & non eſſe melius ac beatius manere in virginitate aut cœlibatu, quàm jungi Matrimonio; anathema ſit.*

Can. 11. *Si quis dixerit, prohibitionem ſolemnitatis nuptiarum certis anni temporibus, ſuperſtitionem eſſe tyrannicam, ab Ethnicorum ſuperſtitione profectam; aut benedictiones & alias ceremonias, quibus Eccleſia in illis utitur, damnaverit; anathema ſit.*

Can. 12. *Si quis dixerit, cauſas matrimoniales non ſpectare ad Judices Eccleſiaſticos anathema ſit.*

NOI

Digitized by Google

NOI REFORMATORI
Dello Studio di Padoa.

HAvendo veduto per la Fede di Reviſione, & Approbatione del P. F. Tomaſo Maria Gennari Inquiſitore nel Libro intitolato *Prælectiones Theologicæ de Sacramento Matrimonii Honorati Tournely*, non v'eſſer cos'alcuna contro la Santa Fede Cattolica, & parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, & buoni coſtumi, concedemo Licenza a Nicolò Pezzana, che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, & preſentando le ſolite copie alle Publiche Librarie di Venezia, & di Padoa.

Dat. 3. Gennaro 1730.

✠ *Carlo Ruzini Kav. Proc. Ref.*
✠ *Alviſe Piſani Kav. Proc. Ref.*
✠ *Z. Pietro Paſqualigo Ref.*

Agoſtino Gadaldini Segr.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆLECTIONES THEOLOGICÆ, DE SACRAMENTO MATRIMONII.

CONSIDERARI Matrimonium poteſt ſub triplici omnino ratione: vel ut eſt contractus naturalis in officium naturæ, vel ut contractus civilis, vel denique ut Sacramentum novæ Legis: ſuum autem habet, diſtinctum quidem, ſed idoneum & ſubordinatum huic triplici rationi correſpondentem finem. Ut officium naturæ, ad propagationem & conſervationem humani generis ordinatur; ut contractus civilis, Reipublicæ paci & perennitati conſulit, amicitias, affinitates, fœdera inter cives amplificando; ut Sacramentum novæ Legis, conjuges gratiâ exornat, Eccleſiam ditat pia & fideli prolis educatione, concupiſcentiæ frænum injicit, ac procurat remedium. *Matrimonium* T. 14. *quippe*, ait Concilium Moguntinum an. 1549. cap. 36. *ab initio ad officium na-* Conc. p. *turæ inſtitutum, tandem ex Dei benignitate infirmis hominibus ad remedium ceſ-* 680. A. *ſit, ut jam hæc maris & feminæ commixtio, quæ alioqui, propter turpem concupiſcentiæ motum, peccato non careret, propter gratiam Sacramenti, conjugibus ad peccatum non imputetur, ſed ſit honorabile connubium ac thorus immaculatus*. Sicut autem contractus civilis naturalem perficit politicis regulis ac legibus civilibus ſapienter inſtitutis ad finem Matrimonii & Reipublicæ tranquillitatem, ita utrumque ad nobiliorem longè ſortem ac fortunam evehit dignitas ratio Sacramenti, quæ Matrimonio ex Chriſti inſtitutione acceſſit.

Cùm verò ratio Sacramenti præſupponat in Matrimonio, tanquam ſui fundamentum, naturalem vel civilem contractum, ordo & lex diſputationis à nobis exigit, ut eodem continenti ſpiritu, de Matrimonio diſſeramus ſub utraque conſideratione.

Difficile porro eſſe, obſcurum & implicatum maximè hocce præſens argumentum, non diſſimulat ipſemet S. Auguſtinus L. de adulterinis conjugiis cap. 25. *Quæſtionem*, inquit, *de conjugiis obſcuriſſimam & implicatiſſimam eſſe non neſcio: nec audeo profiteri omnes ejus ſinus, vel in hoc opere, vel in alio me adhuc explicuiſſe, vel jam poſſe, ſi urgear, explicare.* Quas non auſus eſt Auguſtinus, tam ſplendidum Eccleſiæ lumen, à ſe explanatas ſpondere difficultates, vix eſſet qui explanandas in ſe ſuſciperet, niſi ipſi in tanta caligine facem præferret Eccleſiæ auctoritas, multis ab ætate S. Auguſtini ad hæc noſtra tempora editis circa Matrimonium decretis, inſtructionibus, conſtitutionibus, quibus innixi præſentem aggredimur diſputationem. Quamquam & ipſe Eſtius ſcribens in 4. Sent. diſt. 27. paragr. 5. majorem adhuc exoptaret in hocce argumento elucidationem, cujus nodos omnes nondum ſatis evolutos & explicatos eſſe agnoſcit.

T. 6. p. 403. B.

Præſentem verò Tractatum in octo Quæſtiones diſtribuemus.

Prima erit de nomine, definitione & eſſentia Matrimonii.

Secunda, de inſtitutione Matrimonii, tùm ut eſt in officium naturæ, tùm ut eſt verum Legis novæ Sacramentum.

Tertia, de materia, forma & miniſtro Sacramenti Matrimonii.

Quarta, de cauſa efficiente, ſeu de mutuo contrahentium conſenſu.

Quinta, de proprietatibus Matrimonii, nempe unitate, indiſſolubilitate, neceſſitate, ac præcepto.

Sexta, de ſolemnitatibus ad Matrimonium requiſitis, ſponſalibus, proclamationibus, parentum conſenſu, præſentia Parochi & teſtium.

Septima, de impedimentis Matrimonii in genere.

Octava, de ſingulis impedimentis Matrimonii.

QUÆSTIO PRIMA.

De nomine, definitione, & eſſentia Matrimonii.

Nomina Matrimonii.

QUatuor ſunt potiſſimùm hujus Sacramenti nomina: Matrimonium, Conjugium, Connubium, Nuptiæ.

T. 8. p. 329. C.

Matrimonii nomen à matre deducitur, & eſt quaſi munium ſeu officium matris. 1. *Quia*, ait S. Auguſtinus L. 19. contra Fauſtum cap. 26. *non ob aliud debeat femina nubere, quàm ut mater fiat.* 2. quia prolis certa mater eſt, non ſemper certus pater, niſi ex juris præſumptione; *filius enim eſt, quem nuptiæ demonſtrant.* 3. quia prolis cura præcipua ad certam uſque ætatem, matri potiſſimùm incumbit; adulta verò ejus ætas propiùs ad patrem pertinet, cujus eſt providere de neceſſariis ad vitam & educationem. *Matri quippe*, ait Gregorius IX. cap. *Ex litteris. De converſione Infidelium, infans ante partum oneroſus, doloroſus in partu, poſt partum laborioſus; ac ex hoc legitima conjunctio maris & feminæ magis Matrimonium, quàm Patrimonium nuncupatur.*

Decret. p. 1277. n. 10.

Dicitur 2. Conjugium, quia nempe duos ſub eodem jugo perpetuò conjungit: hinc dicti conjuges, quaſi pares ſeu conſortes ejuſdem jugi, mutua ſiqui-

ſiquidem ac reciproca eſt virum inter & uxorem obligatio. *Mulier* enim, ait Apoſtolus 1. Cor. 7. v. 4. *ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir, ſimiliter autem & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier.*

Dicitur 3. Connubium, & Conſortium. Connubium, à verbo *nubo* ſeu *velo*, ut mox dicemus; quo innuitur debere ſemper conjuges modeſtia & pudore, quaſi obducto quodam velo, ea inter ſe tegere & obvelare, quæ chriſtianam modeſtiam & pudicitiam offendere poſſunt. Conſortium verò inde dictum, tùm quòd ejuſdem ſortis ſeu fortunæ participes eſſe oporteat conjuges; tùm quòd intima debeat eſſe inter illos conjunctio.

Dicitur 4. Nuptiæ, à *nubendo*, eo quòd velamine tegantur conjuges cùm benedictionem accipiunt, in ſignum pudoris ac modeſtiæ. Quod quidem ad antiquiſſimam conſuetudinem referendum eſſe oſtendit id quod legitur cap. 20. Geneſ. Cùm enim Abimelech Saram Abrahæ uxorem ſibi accepiſſet, ratus illius dumtaxat ſororem eſſe, ac poſtea à Domino correptus errorem agnoviſſet, eamque viro ſuo reſtituiſſet, dixit v. 16. *Ecce mille argenteos dedi fratri tuo: hoc erit tibi in velamen oculorum ad omnes qui tecum ſunt; & quocunque perrexeris, memento te deprehenſam.* Scilicet ſolutis crinibus incedebat more virginum Sara; quapropter ut non virgo, ſed uxor eſſe cognoſceretur, dedit Abimelech ad emendum ei velamen quo operiretur conjugatarum more, mille argenteos, ne fortè alius ſororem eſſe putans Abrahæ, deciperetur, eamque duceret in uxorem. De eodem velamine fit mentio cap. 24. Gen. v. 65. atque procul dubio inde factum, cur Jacob Gen. 29. ſtatim non agnoverit ſibi Liam pro Rachele ſuppoſitam fuiſſe, quòd nempe velo eſſet obducta, pro more antiquo quo abuſus eſt Laban ut generum ſuum falleret. Apud Romanos quoque olim mulieres nuptas & obvolutas tectaſque velamine in domum mariti deduci ſolitas teſtatur Plinius. Ex quo obſervant aliqui, nuptiarum nomen civile eſſe, ac potius ſolemnitatem ac celebritatem contractus conjugalis denotare, quàm conjugium ipſum. Velamen illud dabatur etiam in ſignum ſubjectionis & obedientiæ mulieris ad virum.

Definitio Matrimonii.

Matrimonium, prout eſt contractus civilis & in officium naturæ, vulgò definitur, *Conjunctio maritalis viri & feminæ, inter legitimas perſonas individuam vitæ conſuetudinem retinens.*

Dicitur 1. *conjunctio*, quæ vox tenet locum generis. Nomine verò *conjunctionis* non intelligimus actum illum quo primùm vir & mulier per mutuum conſenſum verbis expreſſum conjunguntur, ſed obligationem, vinculum & nexum illum mutuum, qui ex conſenſu interno & pactione externa virum inter & mulierem reſultat, in quo eſſentiam Matrimonii poſitam eſſe mox dicemus.

Dicitur 2. *maritalis*: tùm ut diſtinguatur ab aliis conjunctionis ſpeciebus, quæ poſſunt eſſe inter virum & mulierem, qualis eſt v. g. filialis, vel fraterna &c. tùm ut ſignificetur finis & objectum contractus, mutua ſcilicet corporum traditio.

Dicitur 3. *viri & mulieris*: quibus verbis ſubjectum Matrimonii deſignatur;

tur; & quidem numero ſingulari, *viri & mulieris*, ad excludendam polygamiam.

Dicitur 4. *inter legitimas perſonas*; hoc eſt, quæ habiles ſunt ad contrahendum Matrimonium, nec ullo ſunt dirimente impedimento ligatæ.

Dicitur denique, *individuam vitæ ſocietatem retinens*; id eſt, perpetuam ac perſeverantem: quia nempe ſolvi non poteſt vinculum Matrimonii partium conſenſu, ſicut ſolvuntur alii contractus.

Huic definitioni ſi adjunxeris ea, quæ Chriſti inſtitutionem ac promiſſionem gratiæ ſpectant, tùm ad uniendos conjunctorum animos, tùm ad prolem ſanctè & piè educandam in fide chriſtiana, habebis definitionem Matrimonii quatenus Sacramentum eſt.

Matrimonium igitur quatenus Sacramentum definiri vel deſcribi poteſt, *Conjunctio maritalis viri & feminæ, inter legitimas perſonas individuam vitæ conſuetudinem retinens, divinitus inſtituta in ſignum conjunctionis Chriſti cum Eccleſia, habens promiſſionem gratiæ ad uniendos ſimul conjugum animos, & prolem piè ac ſanctè educandam in fide chriſtiana*: Expoſitione non indigent quæ hìc addita ſunt priori definitioni; ſunt enim per ſeſe clara & manifeſta, quibus & auctor Sacramenti Matrimonii, & finis, & effectus deſignantur.

Eſſentia Matrimonii.

Obſerva 1. in Matrimonio plura occurrere. 1. eſt mutuus conſenſus. 2. externa pactio ſeu contractus. 3. mutua corporum traditio, quæ immediatus eſt illius contractus effectus. 4. nexus ſeu vinculum quoddam reſultans ex illo contractu. 5. mutua obligatio ad reddendum debitum. 6. jus quod eſt in unoquoque ad alterum. 7. denique uſus & conſummatio Matrimonii, quæ in carnali copula conſiſtit.

Obſerva 2. Matrimonium, quatenus Sacramentum eſt, ſpectari poſſe in duplici ſtatu, vel in fieri, ut dicitur, vel in facto eſſe. Juxta priorem conſiderationem, habet eſſe dumtaxat fluens & tranſiens, & perficitur per conſenſum mutuum ſignis exterioribus manifeſtatum: juxta poſteriorem, habet eſſe fixum & permanens, & conſiſtit in illo nexu ſeu vinculo perpetuo quod reſultat ex conſenſu interno & pactione externa.

Quæritur igitur hìc, qua in re, ex enumeratis, reponenda ſit eſſentia Matrimonii.

Julianus Pelagianus eam repoſuit in uſu ſeu carnali conjunctione, ratus ſine illa Matrimonium conſiſtere non poſſe. Ita S. Auguſtinus L. 5. contra Julianum c. 16. n. 61. *Nihil aliud dicis eſſe nuptias*, inquit, *quàm corporum commixtionem*. Id ipſum cenſuit VViclef, referente Thoma Valdenſi T. 2. de Sacramentis c. 130. Ad hanc ſententiam inclinaſſe videtur Gratianus cauſa 27. q. 2. c. *Quod autem*, & c. *Inſtitutum*, ubi docet verum non eſſe Matrimonium ante conſummationem.

T. 10. p. 658. F.

Sunt etiam inter Theologos nonnulli, quibus placet non eſſe perfectum ac verum Matrimonium ſine copula, quamquam exiſtiment illud ante conſummationem contrahi. Hi conſequenter docent, inter Joſephum & B. Virginem fuiſſe veri nominis Matrimonium. Ita Michael de Medina Lib. 5. de continentia ſacrorum hominum c. 61.

Sunt qui volunt copulam non quidem eſſe partem eſſentialem Sacramenti Ma-

d by Google

ti Matrimonii, ſed integralem, qualis eſt v. g. ſatisfactio in Sacramento Pœnitentiæ. Ita Bellarminus L. 1. de Sacramento Matrimonii cap. 5. in ſolutione ſexti argumenti. Imponit hìc haud dubiè Catholicis Calvinus, dum ait L. 4. Inſtitutionis cap. 19. paragr. 34. *eos docere coitum partem eſſe Sacramenti*; atque ad marginem citat Librum 4. Sent. quaſi Magiſter ita docuiſſet. Expreſsè ſiquidem eodem Lib. diſt. 27. littera G. ait, *errorem eſſe affirmare ſine copula non poſſe contrahi Matrimonium, atque inter Mariam & Joſeph non fuiſſe conjugium, vel non fuiſſe perfectum*; *quod nefas eſt ſentire*, inquit. Et deinde exponit quo ſenſu aliqui è Veteribus ſcripſerint, *non eſſe perfectum conjugium ſine commixtione ſexuum*, perfectione ſcilicet accidentali, quia perfectè non repræſentat conjunctionem Chriſti naturalem cum Eccleſia per Incarnationem, licèt perfectum ſit perfectione eſſentiali, & integrali, (ſumpta integritate Philoſophorum ſenſu) quia animorum conjunctio ad individuam ſocietatem vitæ ordinata, ſignificat unionem ſpiritualem Chriſti cum Eccleſia per charitatem.

Cenſent igitur communiter Theologi, in Matrimonio radicaliter quidem includi jus ad copulam, propter mutuam, quam includit, traditionem corporum: verùm ſtare poſſe firmum conjugium & ſine actuali copula, & ſine conſenſu aut explicito aut etiam implicito in illam.

Sunt qui eſſentiam Matrimonii collocant in mutuo contrahentium conſenſu exteriùs manifeſtato.

Sunt denique qui eam reponunt in illo nexu ſeu vinculo perpetuo quo conjuges formaliter uniti ſunt, quodque oritur ex mutua traditione: Quæ duplex poſtrema opinio videtur facilè conciliari poſſe, ſi dicatur Matrimonium quidem in fieri conſiſtere in mutuo contrahentium conſenſu interno, & pactione externa; Matrimonium verò in facto eſſe, ut dicitur, conſiſtere in illo nexu ſeu vinculo perpetuo. *Iſambert. de Matr. diſp. 1.* Sanches.

Quæ ſit circa propoſitam quæſtionem noſtra ſententia, patebit ex ſequentibus Concluſionibus.

PRIMA CONCLUSIO.

Eſſentia Matrimonii non conſiſtit in uſu ſeu carnali copula.

Probatur 1. quia in eo formaliter non conſiſtit ratio eſſentialis Matrimonii, ſine quo verum eſt ac propriè dictum Matrimonium: atqui ſine carnali commixtione verum eſt ac propriè dictum Matrimonium. Ita Adamum inter & Evam verum fuit Matrimonium, antequam commiſcerentur; etenim in Paradiſo juncti ſunt fœdere conjugali: non acceſſit verò Adamus ad Evam, niſi poſtquam ex Paradiſo ejecti fuere: ut patet ex cap. 2. Gen. Pariter verum fuit inter Joſephum & B. Mariam Matrimonium, ſicut mox oſtendemus; at nulla prorſus inter eos fuit carnalis commixtio. Verum quoque eſt Matrimonium inter ſenes, inter impotentes, qui ſecum habitare conſentiunt; inter eos qui ante conſummationem ſolemniter profitentur in Religione approbata; inter eos qui ex voto, vel ex mutuo conſenſu ad continentiam ſe adſtringunt: at in his nulla intervenit copula. Denique manet vinculum Matrimonii inter conjuges, quorum unus per

 adul-

adulterium fidem conjugalem violavit: atqui tamen pars læſa diſpenſatur ab obligatione reddendi debitum; namque in contractu ea ſemper ineſt conditio, *ſi alter fidem & pacta ſervet*. Inde eſt quòd permittitur ſeparatio quoad thorum & cohabitationem adulterii cauſa, non verò quoad vinculum, dicente Apoſtolo 1. Corn. 7. v. 10. *Iis autem qui Matrimonio juncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus, uxorem à viro non diſcedere: quòd ſi diſceſſerit, manere innuptam.*

Probatur 2. quia in definitione Matrimonii paulò antè adducta, nomine conjunctionis intelligitur potiſſimum animorum unio, conſenſio voluntatum, individua vitæ ſocietas, qua conjuges ſeſe invicem obſequiis, præſidio ac ſolatiis juvant. *Matrimonia*, inquit Quintilianus Declamatione 368. *ſunt ab ipſa rerum natura inventa: ſic mares feminis junguntur, ut imbecillior ſexus præſidium mutua ſocietate ſortiatur.* Hinc vere & eleganter Imperator Ælius Verus (referente in ejus vita Spartiano) pronuntiavit, *Uxor dignitatis nomen eſt, non voluptatis.*

Probatur 3. auctoritate S. Auguſtini ſupra memoratam Juliani ſententiam impugnantis L. 5. c. 16. n. 62. ubi poſt relata Juliani verba, ſic pergit: [T.10.p. 058. F.] *Numquid tamen negas, ſibimet etiam adulteros appetitu mutuo & opere naturali, & corporum commixtione coniungi? Non eſt ergo iſta definitio nuptiarum: aliud eſt enim quod nuptiæ ſunt, & aliud eſt ſine quo etiam nuptiæ filios propagare non poſſunt. Nam & ſine nuptiis poſſunt naſci homines, & ſine corporum commixtione poſſunt eſſe coniuges: alioquin non erunt coniuges, ut nihil aliud dicam, certè cùm ſenuerint, ſibique miſceri vel non potuerint, vel ſine ſpe ſuſcipiendæ prolis erubuerint atque noluerint.*

Probatur 4. quia verum & propriè dictum fuit Matrimonium inter Joſephum ac B. Virginem: atqui nulla prorſus inter eos interceſſit carnalis conjunctio; ergo verum eſt eſſentialiter Matrimonium abſque conjunctione carnali.

Minor certa eſt. Mater enim Chriſti virgo ſemper fuit, ſive ante partum, ſive in partu, ſive poſt partum; ſeipſam enim ad virginitatem perpetuò ſervandam voto obſtrinxiſſe, oſtendit reſponſio quam dedit Angelo Incarnationis myſterium nuntianti. *Ecce*, dicebat Angelus, *concipies, & paries filium*. Cui B. Virgo: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* [Luc. 1. v. 31.] id eſt, non poſſum cognoſcere, propter votum virginitatis quo obſtricta ſum. Aliàs ſi tantùm innuere voluiſſet ſe hactenus virum non cognoviſſe, vana profectò, ne dicam inepta, fuiſſet reſponſio: quis enim non videat ſtatim potuiſſe reponi, Si hactenus non cognoviſti, cognoſces poſtea ut prolem ſuſcipias; præſertim cùm jam viro foret deſponſata? Ita docent communi ſuffragio SS. Patres: unus hìc inſtar omnium ſufficiat S. Auguſtinus Lib. 1. de nupt. & conc. cap. 11. [T. 10. p. 286. D.] *Neque enim*, inquit, *fallaciter ab Angelo dictum eſt ad Joſeph, Noli timere accipere Mariam conjugem tuam. Coniux vocatur ex prima fide deſponſationis, quam concubitu nec cognoverat, nec fuerat cogniturus: nec perierat, nec mendax manſerat conjugis appellatio, ubi nec fuerat, nec futura erat carnis ulla commixtio.* Et L. de ſancta virginitate cap. 4. [T. 6. p. 342. D.] *Ipſa*, inquit, *quoque virginitas ejus ideo gratior & acceptior, quia non eam conceptus Chriſtus viro violaturo, quam conſervaret, ipſe præripuit. ſed priuſquam conciperetur jam Deo dicatam, de qua naſceretur, elegit. Hoc indicant verba, quæ ſibi fœtum annuntianti Angelo Maria reddidit,*

Digitized by Google

dit, Quomodo, inquit, fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? Quod profe-ctò non diceret, niſi Deo virginem ſe antè voviſſet. Sed quia hoc Iſraelitarum mores adhuc recuſabant, deſponſata eſt viro juſto, non violenter ablaturo, ſed potius contra violentos cuſtodituro, quod illa jam voverat. Et infra: *Poterat & juberi virgo permanere, in qua Dei Filius formam ſervi congruenti miraculo acciperet, ſed exemplo ſanctis futura virginibus. . . . virginitatem Deo dicavit, cùm adhuc quid eſſet conceptura neſciret, ut in terreno mortalique corpore cœleſtis vitæ imitatio voto fieret, non præcepto, amore eligendi, non neceſſitate ſerviendi.*

Ibid. p. 343. B.

Et Tractatu 10. in Joan. ait, *in Maria tunc primùm incæpiſſe virginum dignitatem.* Idem affirmant SS. Ambroſius L. de inſtitutione virginum cap. 5. Hieronymus Epiſtola 18. ad Euſtochium, quæ eſt 22. Quod quidem non eo ſenſu dictum ab illis fuit, quaſi ante B. Virginem omnino incognita & peregrina fuiſſet apud Judæos virginitas, vel etiam probroſa, ut aliqui exiſtimant (extitere enim nonnulli, quamquam infrequentes, qui virginitatem coluerunt) ſed quia nullus ante B. Mariam voto ſe obſtrinxerat ad perpetuam virginitatem.

T. 3 p. 2. p. 368. F.
T. 2 p. 257. C.
T. 4. p. 2. p. 35.

Major verò propoſitio probatur.

I. ex Scriptura. Matth. 1. v. 18. *Cùm eſſet deſponſata mater ejus* (Chriſti) *Maria Joſeph.* Et v. 20. Angelus ad Joſephum: *Noli timere*, air, *accipere Mariam conjugem tuam.* Idem confirmant tùm verba B. Virginis, quibus Joſephum appellat patrem Chriſti, Lucæ 2. v. 48. *Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te:* tùm Evangeliſta v. 33. cùm ait: *Et erat pater ejus & mater mirantes ſuper his.* Neque verò ſic loquerentur, tùm virgo ad Filium, tùm Evangeliſta ad Theophilum & ad omnes Chriſti Fideles, niſi Joſeph verè fuiſſet conjux Mariæ. Hinc communis ac pervulgata Judæorum opinio, qui Jeſum & appellabant & putabant eſſe naturalem Joſephi fabri filium, Matth. 13. Lucæ 3. Joan. 6. cujus opinionis, tametſi falſæ, non alia cauſa fuit, quàm quòd notum erat inter Joſephum & Mariam verum contractum fuiſſe Matrimonium; alioquin ſuam procul dubio ſpuriam originem Chriſto Judæi objeciſſent.

Probatur 2. ex SS. Patribus.

S. Ambroſius in Lib. de inſtitutione virginum c. 6. refellens objectionem eorum, qui nullum idcirco putant interceſſiſſe Matrimonium inter Joſephum & B. Virginem, quòd commixti inter ſe carnaliter non fuerint, ſic ſcribit, *Nec illud moveat, quod ait, Quia Joſeph accepit conjugem ſuam. Cùm enim initiatur conjugium, tunc conjugis nomen adſciſcitur; non enim defloratio virginitatis facit conjugium, ſed pactio conjugalis. Denique cùm jungitur puella, conjugium eſt, non cùm virili admixtione cognoſcitur.* Quæ verba laudavit Hildebertus Archiepiſcopus Turonenſis Epiſtola 7. ut probaret immeritò uxorem fratris defuncti ab altero fratre ductam fuiſſe, quamquam prius Matrimonium conſummatum non fuiſſet; quia ſine tali conſummatione verum & ratum fuerat Matrimonium, quod non facit coitus, ſed voluntas, ait citatus ab eodem S. Chryſoſtomus: unde concludit, *fratrem fratri non ſuccedere in conjugium, ſed in inceſtum.*

T. 2. p. 259.
T. 21. Bib. PP. p. 121. ſæculo 12.

S. Auguſtinus pluribus in locis docet Matrimonium eſſentialiter conſtare animorum conjunctione, non commixtione corporum. Libro de

T. 6. p. 319. B.

bono conjugali cap. 1. *Poterat*, inquit, *eſſe in utroque ſexu, etiam ſine tali commixtione alterius regentis, alterius obſequentis, amicabilis quædam & germana conjunctio*. Et cap. 3. expendens cur conjugium ſit bonum, ſic loquitur: *Quod mihi non videtur propter ſolam filiorum procreationem, ſed pro-*
Ibid. p. 321. B. C. *pter ipſam etiam naturalem in diverſo ſexu ſocietatem: alioquin non jam diceretur conjugium in ſenibus, præſertim ſi vel amiſißent filios, vel minimè genuiſſent. Nunc verò in bono licet annoſo conjugio, etſi emarcuit ardor ætatis, viget tamen ordo charitatis inter maritum & uxorem.*

T. 8. p. 426. B. Libro 23. contra Fauſtum cap. 8. *Neque enim*, inquit, loquens de Joſepho, *quia concubitu non permixtus, ideo non maritus*. Et poſtea: *Ut & Joſeph Mariæ maritus diceretur habens eam conjugem, non concubitu, ſed affectu; non*
Ibid. B. *commixtione corporum, ſed copulatione, quod eſt charius, animorum.*

Libro 1. de nupt. & concup. c. 11. *Quibus verò*, inquit, *placuerit ex con-*
T. 10. p. 288. n. 12. *ſenſu, ab uſu carnalis concupiſcentiæ in perpetuum continere, abſit ut inter illos vinculum conjugale rumpatur: imò firmius erit, quo magis ea pacta ſecum inierint, quæ chariùs concordiùſque ſervanda ſunt, non voluptariis corporum nexibus, ſed voluntariis affectibus animorum. Neque enim fallaciter ab Angelo dictum eſt*; & cætera quæ mox relata ſunt. Si verò rationes & cauſas rogaveris, ob quas poſt emiſſum virginitatis votum B. Maria Matrimonii fœdere juncta fuerit cum Joſepho, varii varias adducunt, quas conſule apud E-
p. 100. ſtium in 4. diſt. 30. paragr. 7.

SECUNDA CONCLUSIO.

Sanchez Lib. 2. diſp. 1. Eſſentia Matrimonii, prout eſt naturæ officium, non videtur reponenda aut in mutuo conſenſu, aut in contractu externo, aut in mutua traditione corporum, aut in mutua obligatione ad reddendum debitum, aut in jure quod conjuges habent in invicem.

Probatur 1. quia mutuus conſenſus internus eſt cauſa efficiens Matrimonii; cauſa verò efficiens formaliter rei naturam & eſſentiam non conſtituit.

II. conſenſus ille, ſicut & externus contractus, tranſitorius eſt ac momentaneus; Matrimonium verò firmum ac ſtabile, nec niſi morte poteſt diſſolvi; igitur eſſentialis ipſius ratio reponi non debet in actu fluente ac tranſitorio.

III. non videtur quoque reponenda vel in mutua corporum traditione; vel in mutua obligatione ad reddendum debitum; vel in jure quod conjuges habent in ſe invicem: tùm quia mutua corporum traditio, & jus illud, ſeu obligatio mutua conjugum ad actus conjugales, eſt quid conſequens ipſum Matrimonium formaliter jam conſtitutum: tùm quia poteſt verum & ratum eſſe Matrimonium abſque illa corporum traditione & obligatione mutua ad uſum Matrimonii, etiam confusè ac implicitè ſpectata, in iis ſcilicet qui ex libero ac mutuo conſenſu obligant ſeſe ad ſervandam continentiam.

TER-

TERTIA CONCLUSIO.

Eſſentia Matrimonii, quatenus eſt naturæ officium, videtur reponenda in illo nexu ſeu vinculo perpetuo quod ex conſenſu interno & pactione externa inter virum & mulierem reſultat.

Probatur 1. quia in eo videtur reponenda Matrimonii eſſentia, per quod formaliter definitur: atqui definitur Matrimonium per conjunctionem, *Eſt conjunctio maritalis*, ait ſuperiùs adducta definitio, *viri & feminæ* &c. Conjunctio autem illa *vinculum eſt quo conjuges ligantur formaliter*, *non effectivè*, ait S. Thomas in Supplemento q.44. art.1. in reſponſione ad 1. Hoc eſt, conjunctio illa non eſt formaliter Matrimonium, quatenus efficit vinculum, per mutuum ſcilicet conſenſum ac contractum, qui eſt cauſa efficiens; ſed quatenus eſt ipſum formaliter & in facto eſſe vinculum quo conjuges inter ſe uniuntur. Videtur ipſe S. Thomas ſenſum hunc innuere ibid. in corpore articuli: *Conſtat*, inquit, *quòd in Matrimonio eſt aliqua conjunctio ſecundùm quam dicitur maritus & uxor; & talis conjunctio ex hoc quòd ordinatur ad aliquid unum, eſt Matrimonium*. Et in 4. Sent. diſt. 26. q.2. art.3. in reſponſione ad 2. *Actus*, inquit, *exteriores & verba exprimentia conſenſum directè faciunt nexum quemdam, qui eſt Sacramentum Matrimonii*. T.10.p.468.D.

Hæc videtur pariter eſſe ſententia Catechiſmi Concilii Trid. parte 2. de Sacramento Matrimonii n.5. ubi ſic loquitur. *Quamvis hæc omnia in perfecto Matrimonio inſint, conſenſus videlicet interior, pactio externa verbis expreſſa, obligatio, & vinculum, quod ex ea pactione efficitur, & conjugum copulatio, qua Matrimonium conſummatur; nihil horum tamen Matrimonii vim & rationem propriè habet, niſi obligatio illa & nexus qui conjunctionis vocabulo ſignificatus eſt*. Et n.6. *Ex iis igitur*, ait, *patet, Matrimonii naturam & rationem in vinculo illo conſiſtere. Nam quòd aliæ clariſſimorum virorum definitiones hoc videntur conſenſui tribuere: ut, cùm dicunt, conjugium eſſe conſenſum maris & feminæ, hoc ita accipiendum eſt, conſenſum ipſum Matrimonii cauſam effectricem eſſe; quod Patres in Concilio Florentino docuerunt. Etenim obligatio & nexus oriri non poteſt niſi ex conſenſu & pactione*.

Probatur 2. quia in eo videtur reponenda formaliter Matrimonii eſſentia, quod firmum eſt ac ſtabile, quemadmodum firmum eſt ac ſtabile Matrimonium: atqui vinculum illud ſeu nexus utriuſque conjugis eſt quid firmum ac ſtabile, non fluxum, non tranſiens; ergo &c. Vinculum autem illud eſt relatio realis fundata in actione externa & reali, ſcilicet contractu externo, per quam conjuges inter ſe obligantur mutuò in iis quæ pertinent ad officia Matrimonii.

Quæ de Matrimonio, quatenus eſt naturæ officium, dicta ſunt, accommodari facilè poſſunt eidem quatenus eſt Sacramentum: nempè illud conſiſtere in vinculo illo ſeu nexu; non quidem ut conſideratur in facto eſſe, (Matrimonium quippè, quatenus Sacramentum, non habet eſſe permanens, quemadmodum habet Euchariſtia) ſed ut conſideratur in fieri, id eſt,

eſt, quatenus nexus ille in eſſe Sacramenti reſultat tùm ex mutuo contractu conjugum, tùm ex actione miniſtri eccleſiaſtici conjuges unientis. Videtur hæc eſſe mens S. Thomæ loco jam citato in 4. diſt.26. q.2.art. 3. in reſp.ad 2. *Dicendum*, inquit, *quòd ſicut aqua Baptiſmi, vel forma*
T.10.p. 468.D. *verborum non operatur ad gratiam immediatè, ſed ad characterem; ita actus exteriores & verba exprimentia conſenſum directè faciunt nexum quemdam, qui eſt Sacramentum Matrimonii: & huiuſmodi nexus ex virtute divinæ inſtitutionis diſpoſitivè operatur ad gratiam.*

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. contra primam Concluſionem: Apoſtolus Epheſ. 5. Matrimonium veluti definiens, non obſcurè ſignificat corporum conjunctionem pertinere ad ejus ſubſtantiam. *Erunt*, inquit v.31. *duo in carne una. Sacramentum hoc magnum eſt; ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia.*

Reſp. his verbis, *erunt duo in carne una*, non actum ſeu uſum Matrimonii voluiſſe Apoſtolum deſignare, quaſi ſine illo ſtare non poſſet Matrimonium, ſed mutuam tranſlationem dominii in corpus utriuſque conjugis, quæ tametſi ſuapte natura & radicali jure referatur ad uſum ſeu conſuetudinem conjugalem ſecundùm carnem, ab illa tamen ſejungi & ſeparari poteſt: neque enim neceſſe eſt, ut quicunque jus & dominium habet in rem aliquam, eo utatur. Adde quòd citatis verbis non tam voluit Apoſtolus imperare actum ſeu uſum conjugii, quaſi foret abſolutè neceſſarius; quàm prohibere fornicariam vel adulteram conjunctionem; quia nempè conjuges duo ſunt in carne una, non multiplici. Seipſum exponit Apoſtolus 1. Cor.6. v.16. *An neſcitis*, inquit, *quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur? Erunt enim duo in carne una. Qui autem adhæret Domino, unus ſpiritus eſt. Fugite fornicationem.*

Inſtabis 1. Matrimonium, quatenus eſt Sacramentum, ſignificare debet unionem Chriſti cum Eccleſia: atqui hanc unionem non ſignificat niſi per carnis conjunctionem.

Reſp. duplicem eſſe unionem Chriſti cum Eccleſia, unam moralem & ſpiritualem per continuum gratiæ influxum, ac perennem Spiritus ſancti aſſiſtentiam; alteram phyſicam & naturalem, per unionem hypoſtaticam cum humanitate. Priorem unionem ſignificat unio conjugalis animorum per charitatem, per individuam vitæ ſocietatem, per mutua officia amoris, reverentiæ, ſalutis, quæ conjuges ſibi invicem ſuppeditant, in qua animorum conjunctione præſertim poſita eſt ratio Matrimonii: poſteriorem verò unionem ſignificat conſummatio Matrimonii. Hæc porrò ſignificatio eſſentialis non eſt Matrimonio, ſed accidentalis dumtaxat; & quamquam Matrimonium ratum & conſummatum perfectiùs exprimat unionem tùm moralem tùm phyſicam Chriſti cum Eccleſia, quàm Matrimonium dumtaxat ratum & nondum conſummatum, nihilominus Matrimonium ratum eſt ac verum ante ipſam conſummationem, ac ſufficienter repræſentat unionem Chriſti cum Eccleſia per charitatem & gratiæ influxum.

Inſtabis 2. Si ſola animorum conjunctio in individuam ſocietatem vitæ ſufficit ad verum Matrimonium, non repugnabit naturæ Matrimonium fratris

cum

cùm ſorore, inter quos intima poteſt & debet eſſe animorum conſenſio.

Reſpondent aliqui cum Baſilio Pontio L.7. de Matrimonio cap.31. & 32. Matrimonium fratris cum ſorore, irritum non eſſe jure naturali, ſed ſolo dumtaxat jure poſitivo tùm civili, tùm eccleſiaſtico.

Reſpondent alii negando ſequelam majoris propoſitionis. Quamquam enim ſit eſſentialiter ratum ac perfectum Matrimonium ſine carnali commixtione, quia tamen ad eam ſua natura & radicali jure ordinem dicit, idcircò inter fratrem & ſororem iniri fœdus conjugale vetat naturæ ſenſus, inter quos non poteſt eſſe ordo ille ſeu jus ſaltem radicale ad carnalem commixtionem.

Inſtabis 3. Sequitur ex noſtra ſententia, inter impotentès etiam impotentia perpetua antecedente ac cognita, poſſe firmum ac ratum ſtare Matrimonium: inter illos ſiquidem poteſt eſſe intima animorum conſenſio & traditio corporum, non quidem ad copulam, ſed ad ſocietatem & mutua vitæ onera ſuſtentanda, quod ſatis eſſe ad verum Matrimonium contendimus: atqui tamen certum eſt impotentiam perpetuam & antecedentem impedimentum eſſe diſſolvens Matrimonium.

Reſpondent aliqui cum eodem Pontio eodem L. 7. cap.56. & ſeq. jure ipſo naturali, imò & eccleſiaſtico rata eſſe hujuſmodi Matrimonia, quando contracta fuere ſine ullo pacto explicito vel implicito ſeu virtuali de futura copula. Adducit citatus Scriptor in probationem Decreta SS. Pontificum, Lucii cap. *Conſultationis*. *De frigidis*. Cœleſtini III. cap. *Requiſiſti*. Alexandri III. in Appendice Concilii Lateranenſis parte 6. cap. 24. quibus in locis ſtatuitur, ut impotens, qui muliere non poteſt uti tanquam uxore, eam habeat tanquam ſororem.

Addunt idem Theologi, impotentiam impedimentum quidem eſſe dirimens; ſed eorum dumtaxat reſpectu, qui Matrimonium contraxere cum pacto ſaltem virtuali de futura copula; aliorum verò reſpectu, qui contraxere ſine tali pacto, firmum ſtare conjugium in unione animorum & individua vitæ ſocietate.

Reſpondent alii, inter impotentes qui perpetua & antecedente laborant impotentia, nullum eſſe poſſe Matrimonium, propter rationem jam allatam; quia nempè licèt uſus actualis ſeu conjunctio carnalis non pertineat ad eſſentiam Matrimonii, nihilominus tamen radicale jus ad illam includitur in Matrimonio, quo certè jure privantur impotentes de quibus loquitur Objectio.

Inſtabis 4. Verum ac ratum non potuit eſſe Matrimonium inter B. Virginem & Joſephum poſt emiſſum ab ipſa perpetuæ virginitatis votum, quia Matrimonium quod contrahitur poſt emiſſum votum virginitatis, omninò contrarium eſt ipſi nuptiarum bono, nempe prolis ſuſceptioni; ergo aut B. Virgo perpetuam virginitatem non voverat, aut verum non fuit ejus cum Joſepho Matrimonium.

Reſp. nego ant. ad probationem diſtinguo iſtam propoſitionem; Matrimonium quod contrahitur poſt emiſſum virginitatis votum, contrarium eſt bono nuptiarum primario ac principali, nempè unioni animorum, nego: ſecundariò & minùs principali, ſubdiſtinguo: contrarium eſt, ſi uſus ipſe ſeu carnalis conjunctio ſpectetur, concedo: ſi jus & poteſtas mutuæ traditionis corporum, nego. Licèt etenim B. Virgo ne implicitè quidem in

Digitized by Google

uſum Matrimonii conſenſerit, non minùs tamen verum & integrum fuit ejus cum Joſepho Matrimonium, tùm propter unionem animorum ad individuæ vitæ inter illos ſocietatem, tùm propter jus & poteſtatem mutuæ corporum traditionis, circa quam, ait S. Auguſtinus, *divinæ diſpoſitioni ſe ſubjecit, dum propoſuit ſe perſeveraturam virginem, niſi Deus aliter ei revelaret*. Porrò, ait S. Thomas in 4. diſt. 30. q. 2. art. 1. quæſtiunc. 2. ad 3. *potentia ad carnalem copulam non contrariatur virginitati, nec diminuit aliquid de puritate ipſius, niſi ratione actus, qui quidem nunquam fuit in propoſito B. Virginis.*

Gratian. p. 1513. Objicies 2. Gratianus cauſa 27. q. 2. cap. 16. *Non eſt dubium*. & 17. *Cùm ſocietas nuptiarum*, docet ex SS. Auguſtino & Leone, quos laudat, non eſſe verum ac ratum Matrimonium ſine carnis commixtione. *Non eſt dubium*, ait S. Auguſtinus à Gratiano & Magiſtro citatus, *eam mulierem non pertinere ad Matrimonium, cum qua commixtio ſexus non docetur fuiſſe*. Et S. Leo Epiſtola 92. cap. 4. *Cùm ſocietas*, inquit, *nuptiarum ita à principio ſit inſtituta, ut præter commixtionem ſexuum non habeat in ſe Chriſti & Eccleſiæ Sacramentum, non eſt dubium illam mulierem non pertinere ad Matrimonium, in qua docetur non fuiſſe nuptiale myſterium.*

Reſp. 1. Gratianum eadem cauſa & quæſtione cap. 1. 4. 5. 6. & 9. referre teſtimonia Veterum quæ planè noſtram confirmant ſententiam; ac mirum videri debet, quòd eorum tam citò immemor factus, contraria laudaverit ex SS. Auguſtino & Leone.

Reſp. 2. teſtimonia quæ laudat Gratianus, aut genuina non eſſe, aut ab eo perperam legi & intelligi.

Caput *Non eſt dubium*, nullibi legitur apud S. Auguſtinum qui noſter totus eſt, ut patet ex probationibus adductis. Sancti Leonis textum perperam legit Gratianus cum negativa particula *non*, quæ certè non extat apud S. Doctorem, cujus hæc genuina ſunt verba: *Cùm ſocietas nuptiarum ita à*

To. 1. p. 408. *principio ſit inſtituta, ut præter commixtionem ſexuum haberet in ſe Chriſti & Eccleſiæ Sacramentum &c.* quæ certè lectio & noſtram confirmat ſententiam, & Objectionem planè inutilem reddit. Et verò mens S. Doctoris eſt eo in loco oſtendere, mulierem quæ carne conjungitur cum viro uxorem jam habente, vero non eſſe Matrimonio copulatam: *Non enim*, inquit initio capitis, *omnis mulier juncta viro, uxor eſt viri; quia nec omnis filius hæres eſt patris*. Unde concludit, talem unionem mulieris cum viro uxorato, non eſſe verum Matrimonium, quia non hi Chriſti myſterium repræſentant; id eſt, non poteſt repræſentare unio illa fornicaria vel adultera, unionem Chriſti cum Eccleſia.

Objicies 3. Finis Matrimonii eſt conſervatio ſpeciei per ſuſceptionem prolis; ergo actus ſeu uſus Matrimonio videtur eſſentialis.

Reſp. diſt. ant. finis ſecundarius Matrimonii, concedo: primarius & eſſentialis, nego.

Objicies 4. Matrimonium ratum & non conſummatum diſſolvi poteſt; ergo ante conſummationem non eſt verum & ratum Matrimonium.

Reſp. nego ant. Matrimonium quippè, ſive ratum dumtaxat, ſive ratum & conſummatum, ex ſe perpetuum eſt, firmum ac indiſſolubile, quamquam diſpari gradu: major quippè eſt firmitas Matrimonii conſummati, quod

quod ſola dumtaxat morte poteſt diſſolvi, quàm rati tantùm, quod poteſt diſſolvi per ſolemnem Religionis profeſſionem, ut dicemus poſtea.

Ex his itaque duo inferes.

Primum, in Matrimonio diſtingui debere jus radicale ad uſum ſeu actum conjugalem, & uſum ipſum. Prius eſſentiale quidem eſt Matrimonio, quo fit, ut qui ſua utitur uxore, non accedat ad alienum corpus, nec reus fiat fornicationis & injuſtitiæ; poſterius verò non eſt eſſentiale Matrimonio, quia fieri poteſt ut dominium corporis non liberum & expeditum ad uſum, ſed perpetuò impeditum conferatur, ut contingit inter conjuges qui ex mutuo & libero conſenſu ad continentiam voto ſe obſtrinxerunt; ut contingit etiam inter impotentes, ſeu ſenes ad prolem ſuſcipiendam planè incapaces; ut etiam contigit inter B. Virginem & Joſephum, quos inter tamen verum cenſeri debet connubium.

Inferes 2. ad eſſentiam Matrimonii non pertinere vel explicitum vel etiam implicitum conſenſum in copulam. Ratio eſt, quia ſine tali conſenſu verum fuit Matrimonium Joſephi cum B. Virgine, quæ à tali conſenſu planè revocabatur per votum quod emiſerat perpetuæ virginitatis.

Objicies 5. adversùs tertiam Concluſionem: Vinculum ſeu nexus ille perpetuus quo conjuges inter ſe colligantur, eſt effectus conſequens Matrimonium; ergo in tali nexu non videtur reponenda eſſentia Matrimonii.

Reſp. nego ant. eſt quidem vinculum illud effectus mutui conſenſus ſeu contractus, non verò effectus Matrimonii; imò potius eſt formaliter ipſum Matrimonium. *Eſt enim Matrimonium*, ait S. Thomas antea citatus, *vinculum, quo conjuges ligantur formaliter, non effectivè.*

Inſtabis 1. Matrimonium eſt verus contractus: ſed contractus conſiſtit formaliter in conſenſu mutuo contrahentium verbis vel nutibus expreſſo; ergo Matrimonium formaliter conſiſtit in contractu ſeu mutuo conjugum conſenſu exteriùs manifeſtato.

Reſp. diſt. maj. eſt verus contractus præſuppoſitivè, vel cauſaliter & effectivè, quia ſcilicet contractus ſeu conſenſus mutuus præſupponitur ad Matrimonium cujus eſt efficiens cauſa, concedo: eſt verus contractus formaliter, quaſi in eo forma ſeu eſſentia Matrimonii conſiſtat, nego; & nego conſequentiam. Argumentum enim peccat in forma, ac videntur in eo duo dumtaxat eſſe termini: in majori ſiquidem propoſitione, terminus *contractus*, ponitur quaſi diſtinctus eſſet à conſenſu, de quo in minori, à quo tamen non diſtinguitur, niſi quatenus contractus exterior, conſenſus verò interior eſt. Unde ſi in majori propoſitione dictum fuiſſet, Matrimonium eſt verus formaliter contractus, neganda fuiſſet propoſitio: licèt enim contractus ſit formaliter conſenſus, ut fert minor propoſitio, contractus tamen ſeu conſenſus non eſt formaliter Matrimonium, ſed effectivè tantùm ſeu cauſaliter.

Inſtabis 2. Si Matrimonium, ut eſt naturæ officium, formaliter conſiſtit in vinculo ſeu nexu illo perpetuo quo ligantur inter ſe conjuges, ſequitur Matrimonium, etiam quatenus Sacramentum eſt, in eodem vinculo formaliter eſſe reponendum; Chriſtus etenim naturam contractus conjugalis non mutavit, cùm ei dignitatem addidit Sacramenti. Ex quo rurſus ſequitur, Sacramentum Matrimonii formaliter conſiſtere in re aliqua fixa &

per-

Digitized by Google

permanente, nempè vinculo quod firmum eſt ac perpetuum: atqui tamen hoc falſum eſt, tùm quia uſus Sacramenti quod in re permanenti conſiſtit, gratiam producit, ut patet in uſu Euchariſtiæ; at uſus Matrimonii non producit gratiam: tùm quia communis eſt Theologorum ſententia, proprium eſſe ſolius Euchariſtiæ; ut in re fixa & permanente collocetur; ergo Sacramentum Matrimonii in actione quadam fluente & tranſeunte debet reponi, non verò in illa unione ſeu nexu conſtanti ac perpetuo.

Reſponderi 1. poſſet, negando primam conſecutionem: neque enim neceſſe videtur ut in eo ipſo formaliter reponatur eſſentia Matrimonii, quatenus Sacramentum eſt, in quo reponitur eſſentia ejuſdem, quatenus eſt officium naturæ; ſed ſatis eſt quòd Chriſtus Matrimonium, quod olim duntaxat erat in naturæ officium, evexerit ad dignitatem Sacramenti, eique indiderit vim efficacem ad gratiam producendam finibus Matrimonii conſentaneam, non mutata natura contractus, ſed ei tantùm ſuperaddita dignitate Sacramenti: unde dici poſſet, naturam quidem conjugalis contractus, quatenus eſt in officium naturæ, poſitam eſſe in vinculo ſeu nexu permanenti ac perpetuo; naturam verò Matrimonii, quatenus Sacramentum eſt, poſitam eſſe in actione fluente & tranſitoria, per quam conjuges inter ſe uniuntur fœdere conjugali. Et ratio eſt, quia Matrimonium ut contractus humanus, præcipuè conſideratur ſecundùm ſuum, ut dicitur, eſſe factum; ut verò Sacramentum conſideratur in ſuo fieri: ſed quidquid ſit de hac reſponſione,

Reſp. 2. nego ſequi ex noſtra ſententia Sacramentum Matrimonii in re aliqua permanenti formaliter conſiſtere. Namque, ut obſervatum antea fuit, Sacramentum Matrimonii non reponitur in illo vinculo conſiderato in ſuo facto eſſe, ſed in ſuo fieri, quatenus nempè reſultat vinculum illud tùm ex mutuo contractu conjugum, tùm ex actione miniſtri conjuges unientis; adeoque habet eſſe fluens & tranſiens, ſicut alia Sacramenta, una excepta Euchariſtia.

QUÆSTIO SECUNDA.

De inſtitutione Matrimonii.

CUm Matrimonium ſpectari poſſit, vel ut eſt naturæ officium, vel ut Sacramentum, de ipſius inſtitutione ſub utraque ratione agendum nobis eſt.

ARTICULUS PRIMUS.

De inſtitutione Matrimonii, ut eſt naturæ officium.

QUæritur hic, utrum Matrimonium lege naturali ac divina poſitiva ſit inſtitutum.

Obſerva 1. ex S. Thoma in Supplemento q. 41. art. 1. in corpore, aliquid dici poſſe homini naturale duobus modis: primò, quia ex principiis & ex neceſſitate naturæ fluit; ita moveri ſurſum, eſt naturale igni: ſecundò, quia ad id natura inclinat, quod ipſi conſentaneum eſt; hoc ſenſu virtus homini naturalis dici poteſt.

Jus

Digitized by Google

Jus naturale, ajunt vulgò Juris interpretes ac Theologi, illud eſt, quod convenit homini, ſpectatis naturæ principiis ſecundùm ſe, & ex principiis naturæ rationalis optima ratione deducitur, ſive ſpectetur homo ſecundùm ſe, ſive vitam ſocialem agens. Hoc verò jus naturale duplex eſt: alterum juſtitiæ, ſive neceſſitatis; alterum utilitatis. Juſtitiæ quidem vocant, quod non tantùm permittit fieri, ſed ita jubet, ut oppoſitum non liceat, velut non furari, non occidere &c. Jus autem utilitatis vocant, quod quidem non jubet, ita ut oppoſitum peccatum ſit, ſed liberam facultatem concedit utendi re aliqua tanquam utili vel honeſta, tale eſt jus naturale Matrimonii.

Nonnulli Græci, inter quos S. Damaſcenus L. 2. fidei orthodoxæ c. 30. & L. 4. c. 25. Euthymius in Pſal. 50. ad iſta verba, *Ecce in iniquitatibus conceptus ſum &c.* exiſtimant nuptias non eſſe ex prima naturæ inſtitutione ante peccatum, ſed ex peccato dumtaxat originem traxiſſe.

Obſerva 2. conſiderari Matrimonium poſſe 1. quatenus eſt officium naturæ. 2. quatenus eſt remedium contra peccatum: *Propter fornicationem*, ait Apoſtolus 1. Cor. 7. v. 2. *unuſquiſque ſuam uxorem habeat*. 3. quatenus eſt contractus civilis inter virum & uxorem. 4. quatenus eſt Sacramentum. His præmiſſis ſit

CONCLUSIO.

Matrimonium, ut eſt officium naturæ, ex ipſa naturæ lege ducit originem, quam deinde lex Dei poſitivam confirmavit.

Prima pars probatur: quia, ut optimè hic ratiocinatur Eſtius in 4. diſt. 26. parag. 1. *natura, etiam ſecluſo peccato, inclinat hominem ad prolis generationem, & ad eum finem ſexuum diverſitas eſt ordinata, ut quæ extra conjugium nullum alium uſum habeat. Atqui proles ſicut concepta in lucem edi debet, ita in lucem edita per nutritionem & educationem ad perfectum perduci ſecundùm corpus & animam, idque eadem natura dictante, quæ non tantùm generationem rei, ſed & provectionem & perfectionem ejus intendit. Hæc autem neceſſaria nutritionis & educationis officia certos requirunt parentes, eoſque vinculo quodam indiſſolubili colligatos, qua in re Matrimonii ratio conſtituta eſt.* Ita Eſtius, qui paulò elegantioribus verbis expreſſit mentem & doctrinam S. Thomæ loco mox citato. *Tom. 2. p. 139. col. 1. F.*

Secunda pars probatur.

I. Quia quidquid eſt à natura inſtitutum, ad Deum naturæ auctorem referri meritò poteſt.

II. Quia Deus ipſe ea fecit & dixit quæ poſitivæ inſtitutionis Matrimonii vim & rationem referunt. Siquidem 1. juxta naturæ intentionem maſculum & feminam creavit. 2. finem & utilitatem conjugii deſignavit Gen. 2. v. 18. *Non eſt bonum*, inquit, *hominem eſſe ſolum: faciamus ei adjutorium ſimile ſibi*. 3. ut oſtenderet arctius eſſe vinculum Matrimonii inter homines, quàm ſocietatem generationis cauſa inter bruta animantes: cùm in iſtis mares & feminas ſeorſim condidiſſet, in hominum genere, non ſeorſim ambos, ſed alterum ex altero, feminam ſcilicet ex viro formavit,

Digitized by Google

vit, neque aliunde, quàm ex latere ipſius, Gen.2. nimirum ut ſignificaret inter utrumque ſexum per Matrimonium arctiſſimam debere eſſe ſocietatem. 4. hoc ipſum divini Spiritus inſtinctu intelligens primus homo, à ſopore ſeu ecſtaſi, in qua de latere ipſius formata fuerat Eva, expergefactus, in hæc verba prorupit Gen.2.v.23. *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea.... Quamobrem relinquet homo patrem ſuum & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una. Quibus verbis*, ait Conc. Trid. Seſſ. 24. cap. unico de Matrimonio, *perpetuum & indiſſolubilem eſſe Matrimonii nexum primus humani generis parens divini Spiritus inſtinctu pronuntiavit.*

To. 14. Conc. p. 873. E.

Porrò Chriſtus Matth. 19. ad utramque Matrimonii inſtitutionem, tam eam quæ ex natura eſt, quàm quæ ex Dei verbo, reſpexiſſe videtur, cùm ait v.4. *Non legiſtis, quia qui fecit hominem ab initio, maſculum & feminam fecit eos? & dixit: Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una.... Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet*. Ita Chriſtus Phariſæos malignè interrogantes an liceret dimittere uxorem ſuam, revocat ad primam Matrimonii originem & inſtitutionem.

Ex quibus compertum eſſe debet, in paradiſo ante peccatum inſtitutum & initum fuiſſe Matrimonium Adamum inter & Evam, illamque nuptiarum legem, quam ipſa dictaverat natura, à Deo ratam & confirmatam fuiſſe. Ita vulgò ſentiunt Scriptores eccleſiaſtici, Tertull. L. de anima c. 11. & L. de exhortatione caſtitatis c.5. S. Hieronymus in caput 5. Epiſtolæ ad Epheſios, S. Auguſtinus L. de bono conjugali c. 13. Lib. de Gen. ad litt. c. 19. & L. 14. de civitate Dei c. 22. Innocentius III. L. 2. Epiſtola 219. Magiſter Sententiarum L.4. diſt. 26. Ita pariter Conc. Moguntinum initio hujus Tractatus laudatum; Colonienſe parte 7. cap. 41. *Matrimonium enim*, inquit, *ante lapſum Adæ propter procreandos liberos inſtitutum, ac benedictione Dei firmatum, qua dixit: Creſcite & multiplicamini, & replete terram: peculiariter autem homini, Erunt duo in carne una &c. Nec ratio conjunctionis ſeu benedictionis poſt lapſum deficit, ſed tantùm quod ſanis potuit eſſe officium, id ægrotis etiam factum ſit remedium*. Matrimonium igitur quod ante peccatum fuit in officium naturæ, poſt peccatum factum eſt in remedium concupiſcentiæ; *non ulla*, inquit Maldonatus, de Matrimonio ad quartum argumentum ſecundæ ſententiæ pag. 434. *nova conſtitutione, ſed ſola mutatione rerum*. Tandem à Chriſto ad dignitatem Sacramenti fuit in nova Lege evectum, quod Articulo ſequenti demonſtrandum nobis eſt.

To. 14. Conc. p. 680. Ibid. p. 541.

ARTICULUS II.

De inſtitutione Matrimonii, quatenus Sacramentum eſt.

SEx hìc occurrunt exponendæ quæſtiones.

Prima, an Matrimonium in lege naturæ aut ſcripta fuerit verum Sacramentum.

Secunda, an in Lege evangelica Matrimonium ſit verum Sacramentum à Chriſto inſtitutum, & quando.

Tertia,

Tertia; an quodlibet Fidelium Matrimonium ſit Sacramentum, itaut ratio contractus ſejungi & ſeparari nunquam poſſit à ratione Sacramenti.

Quarta, an Matrimonium contractum per procuratores ſit verum Sacramentum.

Quinta, an in Lege evangelica Matrimonium Infidelium inter ſe, vel Fidelis cum Infideli, aut Catechumeno, aut Hæretico ſit Sacramentum, & licitè contrahatur.

Sexta denique, an Matrimonium inter Infideles contractum, accedente utriuſque conjugis Baptiſmo, evadat Sacramentum.

An Matrimonium in Lege naturæ aut ſcripta fuerit verum Sacramentum.

Obſerva 1. vocem Sacramenti apud Auctores eccleſiaſticos uſurpari vel proprio & ſtricto ſeuſu, vel lato & improprio. Quodlibet ſignum rei alicujus ſacræ, Sacramentum latè dicitur: ſignum verò rei ſacræ practicum ſeu efficax gratiæ ſanctificantis, propriè ac ſtrictè Sacramentum eſt.

Obſerva 2. duplicem in Sacramentis diſtingui poſſe ſignificationem, unam merè ſpeculativam ſeu objectivam, alteram verò practicam, V. g. Euchariſtia duo ſignificat, mortem Chriſti, & gratiam nutrientem. Prior ſignificatio purè ſpeculativa eſt, neque enim Euchariſtia efficit mortem Chriſti; poſterior verò efficax eſt ac practica, producit enim ſeu efficit gratiam quam repræſentat. In Matrimonio pariter duplex diſtingui poteſt ſignificatio, una ſimpliciter ſpeculativa & objectiva, qua dumtaxat repræſentatur unio Chriſti cum Eccleſia, ſive per Incarnationem, ſive per charitatem & gratiæ influxum; altera practica, qua producitur gratia Sacramenti uniens conjuges ad effectus ſeu fines proprios Matrimonii. Porro ad verum & propriè dictum Sacramentum non ſufficit ſignificatio illa purè ac ſimpliciter ſpeculativa ſeu objectiva, ſed neceſſaria eſt practica & efficax; Sacramentum enim debet eſſe ſignum efficax & operativum gratiæ ſanctificantis. His prænotatis

Sunt inter Theologos nonnulli, quibus videtur Matrimonium in Lege naturæ ac ſcripta verum fuiſſe Sacramentum, eo ipſo modo quo jam eſt in Lege evangelica. Ita Alphonſus à Caſtro L. 11. adversùs hæreſes, verbo *nuptiæ*. Petrus Soto Lectione 2. de Matrimonio, Catharinus Opuſculo de Matrimonio, Maldonatus de Matrimonio ad quartum argumentum ſecundæ ſententiæ pag. 434. ubi ait *hanc eſſe opinionem omnium antiquorum auctorum*, quam argumentis quinque confirmare ac demonſtrare ibidem nititur. His accedit Launojus in Libro quem ſcripſit de Regia in Matrimonium poteſtate parte 1. art. 2. cap. 11. pag. 183. & ſeq. ubi proponens ſibi argumentum eorum qui dicunt idcirco Principes chriſtianos jus non habere ſtatuendi impedimenta Matrimonium dirimentia, quòd Matrimonium fuerit à Chriſto inſtitutum in verum novæ Legis Sacramentum, reſpondet planè nullum & infirmum eſſe argumentum: ſiquidem in Lege naturæ ac ſcripta longè ante Chriſtum, Matrimonium fuit verum etiam Sacramentum, in quod tamen Principes auctoritatem ſuam exercuiſſe nullus eſt qui dubitare meritò poſſit; unde concludit rationem Sacramenti non obſtare quin poſſint Principes leges condere Matrimonium irritantes. Aſſumptum verò

Digitized by Google

iſtud, Matrimonium in Lege naturæ ac ſcripta ante Chriſtum, fuit verum Sacramentum, multis, more ſuo, in unum crudè congeſtis Veterum & Recentiorum teſtimoniis oſtendere conatur Launojus, quæ nullo negotio exponens, ſi attenderis ad diſtinctionem mox factam, Sacramenti ſtrictè & propriè, vel latè & impropriè ſumpti.

Alii igitur communiter Theologi docent, Matrimonium Lege naturæ ac ſcripta non fuiſſe Sacramentum veri nominis, ſed latiori dumtaxat ſenſu, quatenus ſignum erat futuræ unionis Chriſti cum Eccleſia; atque contrariam opinionem tutam non eſſe judicat Bellarminus L. 1. de Sacramento Matrimonii

P. 301. c. 5. in reſponſione ad ſecundum Lutheri argumentum. Hanc expreſsè damnatam fuiſſe dicit Vaſques diſput. 2. de Matrimonio cap. 3. Itaque ſit

PRIMA CONCLUSIO.

Si Sacramentum generatim & latiori quodam ſenſu ſumatur pro ſigno rei ſacræ, poteſt hoc ſenſu dici Matrimonium fuiſſe Sacramentum in Lege naturæ aut ſcripta.

Probatur: quia Matrimonium ex primaria & divina ſui inſtitutione facta in paradiſo, id habet ut ſit ſignum conjunctionis Chriſti cum Eccleſia; atque idcirco prophetaſſe Adamum affirmant Veteres, cùm dixit Gen. 2. v. 23. *Hoc nunc os ex oſſibus meis ..... Propter hoc relinquet homo patrem ſuum & matrem, & adhærebit uxori ſuæ.* Non aliud certè volunt Scriptores quos citato loco congeſſit Launojus. Ita

Pagina 272. B. Tertullianus L. de anima cap. 11. *Adam*, inquit, *ſtatim prophetavit magnum illud Sacramentum in Chriſtum & Eccleſiam, dicens: Hoc nunc os ex oſſibus meis &c.*

Tom. 4. part. 1. p. 393. S. Hieronymus in cap. 5. ad Epheſios: *Primus homo*, inquit, *& primus vates Adam, hoc de Chriſto & de Eccleſia prophetavit.*

Tom. 3. part. 1. p. 256. D. S. Auguſtinus L. 9. de Gen. ad litteram c. 19. *Evigilans*, inquit, *Adamus* (ex extaſi) *tanquam prophetiæ plenus, cùm ad ſe adductam coſtam mulierem ſuam videret, eructavit continuò, quod magnum Sacramentum commendat Apoſtolus, Hoc nunc os &c.*

To. 14. Conc. p. 873. E. Concilium quoque Trid. Seſſ. 24. can. unico de Matrimonio, eodem prophetico ſpiritu inſpiratum fuiſſe Adamum affirmat.

Porro hujus prophetiæ objectum & finis non alius fuit, quàm prævisa Chriſti cum Eccleſia futura conjunctio, tùm naturalis per Incarnationem, tùm moralis ac ſpiritualis per charitatem & influxum gratiæ, cujus quidem futuræ unionis ſignum ac ſacramentum fuit maritalis Adami & Evæ conjunctio, interprete Apoſtolo Epheſ. 5. v. 32. *Sacramentum hoc magnum eſt*, inquit, *in Chriſto & in Eccleſia.* Seu, juxta textum græcum, *in Chriſtum & in Eccleſiam.* Ita,

Ed. Toloſ. pag. 491. ut alios innumeros omittam, Innocentius III. S. P. Epiſtola 219. libri 3. *Matrimonium*, inquit, *quod ante peccatum in paradiſo à Domino inſtitutum, præter propagationis humani generis fructum, illud ineffabile ſacramentum conjunctionis ſcilicet ad ſanctam Eccleſiam, Dei ad fidelem animam, & ipſius Verbi ad humanam naturam neſcitur figurare, Apoſtolo teſtante, qui de bono Matrimonii agens inquit, Ego autem dico magnum in Chriſto & Eccleſia Sacramentum.*

Po-

Digitized by Google

Poteſt igitur hoc ſenſu lato & minùs proprio Matrimonium in Lege naturæ ac ſcripta vocari Sacramentum, quia ſignum fuit ac ſymbolum futuræ unionis Chriſti cum Eccleſia, ex qua myſtica ſignificatione ſuam firmitatem ac indiſſolubilitatem etiam inter Infideles trahere Matrimonium, plures exiſtimant Theologi, eo nempe quòd repræſentet unionem Chriſti cum Eccleſia perpetuam & indiſſolubilem.

Et certè ineſſe Matrimonio, præter humanum contractum, aliquid divini, quod ad Religionem certo quodam ritu pertineat, vel ipſi Gentiles agnoviſſe videntur, qui non ſine ſacrificiis, ac religioſis ceremoniis nuptias celebrabant. *In conjugalia fœdera*, inquit Arnobius L. 4. adversùs Gentes, *conditionibus veniunt antè quæſitis: uſu, farre, coemptione, genialis lectuli Sacramenta conducunt: habent ſperatas, habent pactas, habent interpoſitis ſtipulationibus ſponſas.* At veri Dei cultores longè clariùs atque diſtinctiùs divinam in Matrimonio benedictionem, ac gratiam neceſſariam confeſſi ſunt, Sic Tobiæ 7. cap. v. 15. Raguel tradens Tobiæ filiam ſuam in Matrimonium, apprehenſa utriuſque manu dixit: *Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Jacob vobiſcum ſit, & ipſe conjungat vos, impleatque benedictionem ſuam in vobis. Et accepta charta fecerunt conſcriptionem conjugii.* Ad cal. Op. S. Cyp. p. 61.

SECUNDA CONCLUSIO.

Matrimonium in Lege naturæ aut ſcripta non fuit propriè Sacramentum, quale in Lege evangelica Chriſtus inſtituit.

Probatur 1. quia ad verum & propriè dictum Sacramentum non ſufficit, ut obſervavimus, quòd ſit ſignum rei alicujus ſacræ, ſed neceſſe eſt ut ſit ſignum practicum & efficax; id eſt ut habeat annexam promiſſionem gratiæ, quam efficiat ex opere, ut dicitur, operato: atqui tale non erat Matrimonium apud Veteres in Lege naturæ aut ſcripta. Quamquam enim non defuerit aliqua divina gratia Matrimonio Fidelium, *qui*, ut ait Angelus ad Tobiam cap. *6. v. 17. conjugium ita ſuſcipiunt, ut Deum à ſe & à ſua mente non excludant, nec libidini ſuæ ita vacent, ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus*, nihilominus tamen nec tam copioſa, nec tam efficax, nec ſigno ſenſibili alligata erat, nec ipſius vi & efficacia, ſicut nunc, producebatur illa gratia.

Probatur 2. auctoritate Conciliorum Florentini & Tridentini.

Conc. Florentinum in Decreto recenſet inter Sacramenta novæ Legis Matrimonium, eaque à Sacramentis veteribus eo potiſſimùm titulo diſtinguit, quòd vetera gratiam non conferrent ſicut eam conferunt nova. To. 13. Conc. p. 534. D.

Conc. Trid. Seſſ. 24. cap. unico de Sacramento Matrimonii, conceptis verbis ait, *Matrimonium in Lege evangelica veteribus connubiis per Chriſtum gratia præſtare, atque meritò inter Sacramenta novæ Legis à Patribus, Conciliis & univerſa Traditione Eccleſiæ annumerari.* Hoc idem definit Can. 1. ejuſdem Seſſ. quibus certè ſignificat Synodus, Matrimonium apud Veteres non ejuſdem virtutis, dignitatis & efficaciæ fuiſſe cum Matrimonio Chriſtianorum, quod Chriſtus tanquam verum & propriè dictum Sacramentum inſtituit. Cum hac Concilii doctrina quo modo conciliari To. 14. Conc. p. 874. A. B. Ibid. C.

poſſit ſuprà memorata opinio Alphonſi à Caſtro, Launoji & aliorum, non ſatis, fateor, intelligo.

T. 10. p. 476. & ſeq. Probatur 3. ex communi ac pervulgata Theologorum doctrina poſt S. Thomam in 4. diſt. 26. q. 2. art. 2. & 3. ubi docet *Matrimonium inſtitutum fuiſſe in officium naturæ in ſtatu innocentiæ; deinde in ſtatu naturæ corruptæ, fuiſſe illi additum ut eſſet in remedium; & tandem in Lege nova à Chriſto* T. 3. p. 1. pag. 274. D. *inſtitutum fuiſſe in Sacramentum. Sanis eſt ad officium; ægrotis verò ad remedium*, ait S. Auguſtinus à Magiſtro laudatus L. 9. de Gen. ad litt. c. 7. Idem planè docet Conc. Moguntinum an. 1549. cap. 36. & Colonienſe an. 1536. parte 7. cap. 40.

Dices 1. cum Maldonato loco antea citato: Nos non ex alio ferè Scripturæ loco probamus Matrimonium eſſe Sacramentum, quàm ex cap. 5. Epiſtolæ ad Epheſios v. 32. *Sacramentum hoc magnum eſt &c.* Atqui Apoſtolus manifeſtè loquitur de Matrimonio, quale fuit ante Chriſtum; ergo aut Matrimonium non eſt Sacramentum, quod falſum eſt, aut etiam in veteri Teſtamento verum fuit Sacramentum.

Reſp. nego min. loquitur enim præcipuè Apoſtolus de Matrimonio quod *magnum eſt Sacramentum in Chriſto & in Eccleſia*, quale ſolum eſt inter Chriſtianos: quamquam, ut diximus Concluſione prima, Matrimonium lato quodam & minùs proprio ſenſu dici etiam poteſt fuiſſe apud Veteres Sacramentum. Sed de ſenſu & interpretatione illorum Apoſtoli verborum pleniùs dicemus paulò poſt.

Dices 2. cum eodem: D. Paulus putat naturam Sacramenti Matrimonii in eo præſertim eſſe poſitam, ut vir & uxor ſint una caro: nullus autem vir magis fuit una caro cum ſua uxore, quàm Adam, cùm cæteri omnes dicantur eſſe una caro ad imitationem illius.

Reſp. nego maj. in omni quidem Matrimonio iſtud eſſentiale eſt, quòd vir & mulier ſint una caro: at non in eo ſolo poſita eſt tota ratio Matrimonii, prout eſt Sacramentum propriè dictum; requiritur enim præterea ut ſit ſignum efficax gratiæ ſanctificantis quam ex promiſſione & inſtitutione Chriſti habet annexam, quod ultimum occurrit dumtaxat in Matrimonio Chriſtianorum.

Dices 3. cum eodem: Matrimonium non ob aliam cauſam eſt Sacramentum, niſi ob ſignificationem Chriſti & Eccleſiæ: atqui hæc ſignificatio maximè propria fuit Matrimonio Adami cum Eva.

Reſp. diſt. maj. non ob aliam cauſam eſt Sacramentum, improprio & latiori ſenſu, concedo: proprio ac ſtricto, nego. Vel aliter diſtinguo, quàm ob ſignificationem practicam & operativam, qualis jam eſt in noſtro Matrimonii Sacramento, concedo: ob ſignificationem merè ſpeculativam & inefficacem, nego.

Dices 4. Si Matrimonium vetus non fuiſſet Sacramentum, profectò haberemus aliquam novam inſtitutionem illius in novo Teſtamento: atqui non habemus.

Reſp. nego min. habemus etenim novam inſtitutionem Matrimonii, non quidem ſimpliciter ut eſt in officium naturæ, ſed ut eſt verum ac propriè dictum Sacramentum, ſicut ex dicendis modò patebit. Nihil hìc dicimus de quarto Maldonati argumento, incidit enim in tertium, & eodem modo ſolvitur.

Di-

Digitized by Google

Dices 5. ex S. Leone Epiſtola 2. aliàs 92. cap. 4. *Societas nuptiarum ab initio ita fuit conſtituta, ut præter ſexuum conjunctionem haberet in ſe Chriſti & Eccleſiæ ſacramentum.* To. 1. p. 408.

Reſp. S. Leonem eò loci uſurpare nomen Sacramenti latiori ſenſu, pro ſigno rei ſacræ, nempè unionis Chriſti cum Eccleſia; ex quo infert, quod ſuſceperat eò loci probandum, Matrimonium ingenui cum ſerva non libera, nullum eſſe, quia ſcilicet præter voluntariam ſexuum conjunctionem, neceſſe eſt ut Matrimonium habeat Chriſti & Eccleſiæ ſacramentum; hoc eſt, ut repræſentet unionem Chriſti cum Eccleſia. Sicut autem Chriſtus liberam duxit Eccleſiam, ſeu ducendo & redimendo liberam fecit; ita neceſſe eſt ut mulier libera ſit dum aſſumitur in uxorem vel libera reddatur, dum à ſciente aſſumitur & redimitur.

Quotquot verò congeſſit Launojus Veterum teſtimonia, (ſi unum aut alterum excipias) hoc unum dumtaxat attentè legenti demonſtrabunt, nempè vel Matrimonium in Lege naturæ & ſcripta fuiſſe ſignum unionis Chriſti cum Eccleſia, & conſequenter latiori ſenſu Sacramentum; vel Matrimonium, quod jam Sacramentum eſt, olim in paradiſo inſtitutum, in officium ſcilicet naturæ, quæ duo non inviti agnoſcimus & fatemur.

An Matrimonium in Lege evangelica ſit verum & proprium Sacramentum à Chriſto Domino inſtitutum, & quando.

Errores & opiniones.

Circa primum, an nempè Matrimonium ſit veri nominis Sacramentum, duo errarunt Hæreticorum genera.

Primò ii de quibus Apoſtolus 1. ad Timoth. 4. v. 1. ait: *In noviſſimis temporibus diſcedent quidam à fide, attendentes ſpiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum.... prohibentium nubere, abſtinere à cibis &c.* Hi Hæretici nuptias damnabant tanquam malas, illicitas, inductas à dæmone. Tales fuere Simoniani, Nicolaitæ, Tatiani, Saturniani, Marcionitæ, Encraticæ, Manichæi, Adamitæ, Apoſtolici, Hieracitæ, de quibus lege Veteres SS. Irenæum, Epiphanium, Auguſtinum, Theodoretum in Libris quos ſcripſere adversùs hæreſes. Obſervat S. Auguſtinus ſcribens contra Fauſtum, quòd etſi Manichæi nuptias damnarent, tolerarent tamen ex ſuis eos qui naturæ neceſſitate ſuperati nubebant. *Nec ideo*, inquit L. 30. cap. 6. *vos dicatis non prohibere, quia multos veſtros auditores in hoc obedire nolentes* To. 8. p. 448. E. *vel non valentes ſalva amicitia toleratis. Illud enim habetis in doctrina veſtri erroris, hoc in neceſſitate ſocietatis.*

Secundò, poſteriorum temporum Novatores Joannes Hus ſæculo 15. Lutherus & Calvinus ſæculo 16. licitas quidem ac in ſe honeſtas eſſe nuptias confeſſi ſunt, at veram & propriam Sacramenti rationem ipſis eripuerunt. *Matrimonium*, ajebat Lutherus, *non eſt Sacramentum, ſed ab hominibus in Eccleſia inventum*. Et Calvinus L. 4. Inſtit. c. 19. n. 34. *Matrimonium*, P. 547. inquit, *quod ut à Deo inſtitutum fatentur omnes, ita pro Sacramento datum nemo uſque ad Gregorii tempora viderat. Et cui unquam ſobrio*, pergit, *veniſſet in mentem?* Sunt tamen inter ipſos Novatores qui, ut fucum fa-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

ciant & fallant incautos, Matrimonio nomen & appellationem Sacramenti non recuſant; at Sacramentum non propriè & ſtrictè pro ſigno efficaci & practico, ſed latè & impropriè pro ſimplici ſigno uſurpant. Ita Spalatenſis L.5. de Republica eccleſiaſtica cap.11. n.28. & ſeq.

Nonnullorum ex noſtris catholicis Doctoribus patrocinio gloriantur Novatores, imprimis Magiſtri Sententiarum & Durandi.

Magiſter L.4. Sententiarum diſt. 2. littera A. Matrimonium recenſet quidem inter Sacramenta novæ Legis; at ipſi vim efficacem ad producendam gratiam detrahere videtur. *Quorum* (Sacramentorum) inquit, *alia remedium contra peccatum præbent, & gratiam adjutricem conferunt, ut Baptiſmus: alia in remedium tantùm ſunt, ut Conjugium; alia gratia & virtute nos fulciunt, ut Euchariſtia & Ordo*. Eodem Lib. diſt. 26. Conjugium Sacramentum eſſe & rei alicujus ſacræ ſignum demonſtrat: an verò ſanctificantem conferat ex ſeſe gratiam, ſilet omninò.

Durandus in eundem Librum diſt. 26. q. 2. docet duo dumtaxat eſſe circa Matrimonium quæ ſine periculo erroris negari non poſſunt: primum eſt, Matrimonium eſſe licitum; ſecundum, Matrimonium eſſe Sacramentum *eo modo quo*, inquit, *ſacræ rei ſignum dicitur Sacramentum*, id eſt impropriè *ſeu æquivocè*, ut ait poſteà. *Præter autem ea duo prædicta*, pergit Durandus; *ſunt alia duo circa Matrimonium, circa quæ ſine periculo hæreſis licitum eſt contraria opinari: quorum unum eſt theologicum, ſcilicet utrum in Matrimonio conferatur gratia ex opere operato, ſicut in aliis Sacramentis novæ Legis; ſecundum eſt logicum, videlicet utrum Matrimonium habeat plenam univocationem cum aliis Sacramentis*. In decurſu verò hujus quæſtionis utrumque negat Durandus, & adducit ſuæ opinionis conſortes aliquos Canoniſtas, ac præterea Gloſſam cap. *Honorantur*, cauſa 32. q. 2. quæ dicit *ideo in Sacramento Matrimonii potius quàm in aliis intervenire poſſe pecuniam, quia in hoc Sacramento non confertur gratia Spiritus ſancti, ſicut in aliis.* Nihilominus ibid. n. 8. teſtatur Durandus oppoſitam ſententiam longè communiorem fuiſſe inter Theologos ſui temporis. *Moderni autem*, inquit, *Theologi quaſi communiter tenent, quòd per Sacramentum Matrimonii confertur gratia, niſi contrahentes ponant obicem, ſicut fit in aliis Sacramentis quibus æquiparatur Sacramentum Matrimonii*.

Cum Durando ſentit Guillelmus Peraldus Durandi coætaneus in Summa vitiorum, & eo antiquior Jacobus de Vitriaco L. Occidentalis Hiſtoriæ cap.36. Eandem opinionem Magiſtro, ac Præpoſito Antiſſiodorenſi tribuit Gerſo in Compendio Theologiæ quod extat 1. Tomo Operum ipſius parte 2. pag.66. titulo de Sacramento Conjugii pag.104.

Atque hinc eſt quòd S. Thomas, Bonaventura, Scotus & alii[1], qui veram & catholicam tuentur ſententiam, eam dumtaxat ut probabiliorem, non ut ex fide certam & omnibus tunc temporis credendam proponant: quia nempè, licèt res ea in ſe ac materialiter eſſet de fide, nondum tamen diſtinctè ac clarè definita fuerat ab Eccleſia, ſicut poſteà fuit; unde contrarium opinari error quidem erat, ſed non hæreſis. Immeritò Novatores Alphonſum à Caſtro, Petrum Soto & alios nonnullos ad ſe trahere nituntur: ii quippè conceptis terminis, docent, Matrimonium eſſe verum Sacramentum, quamquam velint illud eadem dignitate & efficacia fuiſſe exorna-

tum

tum in Lege ſive naturæ ſive ſcripta, in quo certè capite à cæteris Theologis recedunt, à quibus deſeruntur.

Diſſentiunt pariter noſtri Theologi in aſſignandis Scripturæ teſtimoniis, quibus demonſtrari poſſit Matrimonium eſſe verum ac propriè dictum Sacramentum, cui ſit ex inſtitutione Chriſti annexa gratiæ promiſſio. Vaſques diſp.2. de Matr. cap.6. & 8. negat ex Scriptura poſſe efficaciter demonſtrari Matrimonium eſſe verum Sacramentum, & ad ſolam Traditionem, ut id evincat, confugit. Pariter Eſtius in 4. diſt. 26. paragr.7. Pontius L.1. de Matrim. c.5. & alii nonnulli recentiores exiſtimant ex una Traditione probari poſſe per Matrimonium gratiam ſanctificantem conferri; aliis econtra nonnulla Scripturæ teſtimonia ad id probandum idonea & efficacia videntur.

Circa ſecundum, nempè tempus quo Chriſtus inſtituit Sacramentum Matrimonii, diſcordes adhuc ſunt inter ſe Theologi. Sunt qui in paradiſo primùm à Deo inſtitutum, à Chriſto autem confirmatum dumtaxat in Evangelio fuiſſe affirmant. Ita docent quibus placet in Lege naturæ ac ſcripta Matrimonium verum fuiſſe Sacramentum. Sunt qui putant inſtitutum à Chriſto cùm Matth. 19. dixit, *Quod Deus conjunxit homo non ſeparet*. Alii inſtitutionis tempus referunt cùm Chriſtus adfuit nuptiis in Cana Galilææ, eiſque benedixit. His præmiſſis, ſit

PRIMA CONCLUSIO.

Matrimonium ex ſe bonum eſt, honeſtum ac licitum. Eſt adversùs veteres Hæreticos.

Probatur manifeſtis Scripturæ teſtimoniis. 1. Corinth. 7. v. 27. *Alligatus es uxori? noli quærere ſolutionem.* Et v. 28. *Si acceperis uxorem, non peccaſti; & ſi nupſerit virgo, non peccavit.* Et v. 38. *Qui Matrimonio jungit virginem ſuam, benè facit.* Hebræor. 13. v. 4. *Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus.* Chriſtus ipſe Mat. 19. v. 6. de prima origine Matrimonii ait: *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Et Joan. 1. præſentia ſua nuptias cohoneſtavit, eiſque benedixit.

Ipſum quoque uſum conjugii ex ſe bonum eſſe ac licitum probat S. Paulus 1. Corinth. 7. v. 3. *Uxori*, inquit, *vir debitum reddat: ſimiliter autem & uxor viro. Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir; ſimiliter autem & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier. Nolite fraudare invicem, niſi fortè ex conſenſu ad tempus, ut vacetis orationi.* Et v. 2. dixerat: *Propter fornicationem unuſquiſque ſuam uxorem habeat.*

Hanc perpetuò fuiſſe Eccleſiæ fidem demonſtrant SS. Patres quotquot veteres Hæreticos nuptiarum hoſtes ſuis ſcriptis debellavere. Damnant illi quidem interdum exceſſum conjugum in uſu Matrimonii: at uſum ipſum iis circumſcriptum terminis, quos aſſignat chriſtiana Religio, nuſquam improbarunt; unde in ſtatu ipſo innocentiæ fuiſſet conjugii uſus. *Certum eſt*, ait S. Auguſtinus Lib. 14. de civit. Dei cap. 22. & 23. *maſculum & feminam ita primitus inſtitutos, ut nunc homines duos diverſi ſexus videmus & novimus.......... Quiſquis autem dicit non fuiſſe coituros, nec generaturos, niſi peccaſſent, quid dicit, niſi propter numeroſitatem Sanctorum neceſſarium hominis fuiſſe peccatum?* Tom. 7. p. 373. A. B.

SECUNDA CONCLUSIO.

Matrimonium eſt verum ac propriè dictum Legis evangelicæ Sacramentum, Eſt contra Lutheranos & Calviniſtas.

Ex duplici fonte catholici dogmatis probationes hauriemus, ex Scriptura ſcilicet, & Traditione SS. Patrum.

Prima probatio ex Scriptura.

Probatur. Quia ad verum & propriè dictum novæ Legis Sacramentum requiritur, ut ſit ſignum ſenſibile rei ſacræ, & efficax gratiæ ſanctificantis, à Chriſto Domino inſtitutum, in Religione chriſtiana conſtans ac perpetuum: atqui conditiones illæ omnes Matrimonio rectè conveniunt.

Primò, in mutuo conjugum conſenſu ſeu contractu externo habemus ſignum exterius ac ſenſibile.

Secundò, contractum illum & conjunctionem conjugalem eſſe ſignum rei ſacræ; hoc eſt unionis Chriſti cum Eccleſia, ſive naturalis per Incarnationem, ſive ſpiritualis per charitatem, patet ex dictis paulò antè Concluſione prima & ſecunda, ac evidenter colligitur ex Apoſtolo Epheſ. 5. ubi commendans mutuam conjugum inter ſe dilectionem, exemplo Chriſti qui Eccleſiam ſponſam ſuam ita dilexit, ut ſeipſum tradiderit pro ea, inter alia primævam Matrimonii inſtitutionem adducit, ac intimam conjugum unionem. *Propter hoc*, inquit v. 31. *relinquet homo patrem & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia*. Quaſi diceret: Tametſi conjunctio maritalis, ſi in ſe ſpectetur, res non magna videatur, in genere tamen ſignorum magna res eſt, quia magnum aliquid ſignificat, Chriſtum videlicet & Eccleſiam, eorumque inter ſe conjunctionem. *Per hoc enim*,
T. 1. p. 342. col. 2. E. ait Eſtius in 4. diſt. 26. paragr. 5. *quòd homo relictis parentibus adhæret uxori ſuæ, & cum ea una caro efficitur, myſticè ſignificatur Filium Dei è ſinu Patris, ac quaſi relicto Patre in terras deſcendiſſe, ut Eccleſiæ conjungeretur, unumque cum ea corpus per incarnationem efficeretur*. Matrimonium igitur eſt Sacramentum, hoc eſt ſymbolum, ſignum unionis Chriſti cum Eccleſia.

Ita vulgò interpretantur ſancti Patres. Chryſoſtomus Hom. 50. in Geneſim:
Edit. recent. T. 4. p. 504. D. *An non audis*, inquit, *Paulum dicentem*, *Sacramentum eſſe nuptias*, *& imaginem dilectionis Chriſti*, *quam erga Eccleſiam exhibuit*? Et Hom. 20. in cap. 3. Epiſt. ad Epheſios, hanc ipſam profert expoſitionem quam deſcripſit mox citatus Eſtius.
Edit. Comm. p. 1159. & ſeq. Ita etiam Hieronymus in citatum locum Apoſtoli; Gregorius Nazianzenus Orat. 31. quam interpretationem ſecuti ſunt Patres Tridentini Seſſione 24. c. unico de Matrimonio.

Duo hìc reponunt Novatores.

I. non ipſum Adami & Evæ conjugium appellari ab Apoſtolo magnum Sacramentum, ſed ipſam potius unionem Chriſti cum Eccleſia per Incarnationem, quæ in rei veritate magnum eſt Sacramentum, hoc eſt myſterium,

rium. *Et ſanè*, inquit Calvinus L.4. Inſtitutionis cap. 19. paragr. 35. *verè magnum myſterium eſt, quòd ſibi Chriſtus coſtam detrahi paſſus eſt, unde formaremur: hoc eſt, cùm fortis eſſet, debilis eſſe voluit, quo ſua fortitudine roboraremur; ut jam non vivamus ipſi, ſed vivat ipſe in nobis.* Sacramentum igitur, in textu Apoſtoli, non refertur ad Matrimonium Adami, & Evæ, ſed ad unionem Chriſti cum Eccleſia per Incarnationem. *Non ſubjectivè, ſed objectivè Sacramenti vocem uſurpat hic Apoſtolus*, ait Spalatenſis Lib. 5. de Republ. chriſtiana cap. 11. n. 17. Hoc eſt, eodem interprete, *S. Paulus non ab humano conjugio, veluti à ſigno, procedit ad Chriſti conjugium cum Eccleſia, tanquam ad rem ſignatam; ſed è contrario, à conjugio unionis hypoſtaticæ Verbi cum carne noſtra, & ab unione Chriſti ſponſi cum Eccleſia ſponſa, & capitis cum membris, deducit documentum cur & quomodo debeant & mulieres ſuis viris ſubjici, eiſque tanquam proprio capiti obſequi, & viri fideles diligere uxores ſuas, eo videlicet modo quo Chriſtus diligit Eccleſiam.* Ita Spalatenſis.

Reponunt 2. ex citato loco Apoſtoli colligi ad ſummum poſſe, Matrimonium primorum parentum (de quo uno loquitur Apoſtolus) ſignum fuiſſe unionis Chriſti cum Eccleſia, non autem quodcunque hominum Matrimonium.

Verùm hæc poſtrema reſponſio priorem evertit; ſupponit etenim vocem *Sacramenti*, referri ad unionem conjugalem Adami & Evæ, tanquam ad ſignum unionis Chriſti cum Eccleſia. Loqui porrò Apoſtolum de omni humano conjugio, demonſtrant hæc verba, *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ*: quæ certè univerſalia ſunt, & magis ad poſteros Adami, quàm ad Adamum ipſum pertinent, qui parentes, quos relinqueret uxoris ſuæ amore, non habuit, ipſe primus omnium parens. Et verò Chriſtus Matth. 19. ad omne legitimum conjugium refert verba mox citata.

Quantùm autem ad primam reſponſionem, patet manifeſtè ex ſerie contextus Apoſtoli, verba iſta, *Sacramentum hoc magnum eſt*, referri ad Matrimonium Adami & Evæ, tanquam ad ſignum. Refertur enim ad id quod antecedit, & deſignatur per demonſtrativum pronomen *hoc*: at verbis antecedentibus loquitur Apoſtolus de Matrimonio Adami & Evæ, *Propter hoc*, inquit, *relinquet homo patrem &c. Sacramentum hoc magnum eſt*. Quid? unio ſcilicet conjugalis Adami & Evæ. Favet græcus textus, juxta quem legimus, *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſtum & in Eccleſiam*: quia nempe unio illa Chriſti cum Eccleſia terminus eſt, ſeu objectum ſignificatum per unionem conjugalem Adami & Evæ. Falsò ſupponit Spalatenſis, Apoſtolum non ab humano conjugio, tanquam à ſigno, ſed ab unione Chriſti cum Eccleſia, tanquam à re ſignificata, hortari conjuges ad mutuum amorem: ab utroque etenim motivum & rationem ducit Apoſtolus, cur & quo modo viri debeant uxores ſuas diligere; nempe tùm ipſa Matrimonii natura, quæ in individua vitæ ſocietate poſita eſt; tùm à ratione ſigni & rei ſignificatæ, quia ſignificat unionem Chriſti cum Eccleſia, quæ intima eſt & tanta ut ſeipſum pro ea tradiderit.

At, inquit Spalatenſis, Sacramentum ex nobis efficit id quod ſignificat: atqui Matrimonium non efficit unionem Chriſti cum Eccleſia; ergo eā non ſignificat.

Verùm

Digitized by Google

Verùm huic Objeſtioni jam occurrimus ſuprà initio hujus ſecundi Articuli, ubi duplicem diſtinximus in Sacramentis ſignificationem, unam purè objectivam & ſpeculativam, alteram verò practicam & efficacem; ac diximus, Matrimonium quidem ſimpliciter repræſentare unionem Chriſti cum Eccleſia, & hanc ipſius ſignificationem purè objectivam eſſe ac ſpeculativam; verùm aliam quoque diximus eſſe ſignificationem ipſius practicam, qua ſignificat & ſimul efficit ac producit gratiam animorum conciliatricem, propriamque Sacramenti.

Tertiò, legitimum conjugium ſignum eſſe non purè ſpeculativum & otioſum, ſed practicum & efficax, probatur ex eodem Apoſtoli textu Epheſ. 5. ubi hortatur conjuges ad mutuam dilectionem exemplo Chriſti. *Viri*, inquit v.25. *diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam*: idque probat ex eo quòd unio maritalis ſignum ſit ſeu ſacramentum unionis Chriſti cum Eccleſia; *Sacramentum hoc magnum eſt, in Chriſto & in Eccleſia*. Quæ certè probatio vim habet maximam, ſi ſupponat ſignum illud ſeu ſacramentum efficax eſſe & productivum gratiæ quam ſignificat; è contra infirma prorſus ac nulla, ſi ſupponat ſignum illud ſterile eſſe ac vacuum. Ita ex textu Apoſtoli argumentantur Patres Tridentini Seſſ. 24. cap.
T. 14. unico de Matrimonio. *Gratiam verò*, inquiunt, *quæ naturalem illum amo-*
Conc. p. *rem perficeret, & indiſſolubilem unitatem confirmaret conjugeſque ſanctificaret,*
874. A. *ipſe Chriſtus venerabilium Sacramentorum inſtitutor atque perfector, ſua nobis paſſione promeruit. Quod Paulus innuit, dicens: Viri diligite uxores veſtras, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam & ſeipſum tradidit pro ea: mox ſubjungens, Sacramentum hoc magnum eſt: ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia.*

Fruſtra reponunt Novatores, in græco textu Apoſtoli pro *ſacramento*, legi *myſterium*. Quis enim tam rudis ignorat, idem apud Græcos ſignificari per myſterium, quod apud Latinos per Sacramentum?

Fruſtra quoque admonet hìc Bellarminus L. 1. de Matrimonio cap. 2. ex ſola Sacramenti voce qua utitur Apoſtolus, non poſſe deduci Matrimonium eſſe ſignum practicum ſeu operativum ſanctificantis gratiæ, ac propriè dictum Sacramentum; quandoquidem vox ea rebus plurimis accommodatur, quæ vera non ſunt ac propriè dicta Sacramenta. Quis enim hoc negat inter Orthodoxos? nullus profectò. Verùm Sacramenti appellationem hìc non ſejungimus ab iis circumſtantiis, in quibus Apoſtolus eam humano conjugio adaptavit & accommodavit, quæ certè eò tendunt omnes, ut nobis exhibeant veri nominis Sacramentum, ſeu ſignum efficax gratiæ unientis conjugum animos.

Fruſtra denique reponet aliquis, inde ſequi omne humanum conjugium, etiam quod inter Infideles contrahitur, verum eſſe ac propriè dictum Sacramentum; ſiquidem Apoſtolus generatim loquitur de omni humano conjugio, de quo dicitur: *Propter hoc relinquet homo patrem ſuum & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ*. Porrò certum eſt Matrimonium inter Infideles longè abeſſe à conditione & dignitate veri Sacramenti.

Fruſtra, inquam, id reponeretur; quamquam enim de omni humano ac legitimo conjugio generatim loquatur Apoſtolus, cui communis quædam Sacramenti ſeu ſigni ratio convenit, ut antea diximus, unum tamen

Chri-

Chriſtianorum conjugium id habet ut ſit verum & proprium Sacramentum, atque verba Apoſtoli per diſtributionem accommodam exponere neceſſe omninò eſt: ſolus etenim Chriſtianus capax eſt Sacramentorum, quæ Chriſtus inſtituit; atque ſatis eſt ad inſtitutum noſtrum, ſi ex verbis Apoſtoli inferamus conjugium humanum à Chriſto in nova Lege evectum fuiſſe ad dignitatem veri Sacramenti.

Non deſunt alia apud S. Paulum teſtimonia, quibus oſtenditur Matrimonio, tanquam vero Sacramento, annexam eſſe gratiæ promiſſionem.

1. Cor. 7. v. 14. *Sanctificatus eſt vir infidelis per mulierem fidelem, & ſanctificata eſt mulier infidelis per virum fidelem. Quo loco manifeſtum eſt,* ait Maldonatus de Matrimonio, *D. Paulum non agere de ſanctitate perſonarum* *Maldon.*
propria: nam Infidelis, propterea quòd ſit Matrimonio conjunctus Fideli, non p. 427.
accipit ullam veram ſanctitatem gratiæ. Neque loquitur de ſpe, quaſi ſenſus D.
foret, ſpes eſt ut vir infidelis ſanctificetur per mulierem fidelem, id eſt convertatur ad fidem; quia ſtatim addit Apoſtolus, Alioqui filii veſtri immundi eſſent, nunc autem ſancti ſunt: ubi filios vocat ſanctos, quaſi natos de legitimo Matrimonio. Cùm ergo de illis generaliter loquatur, & tamen non omnes filii unius parentis chriſtiani & alterius infidelis, fierent Chriſtiani, neceſſe eſt ut loquatur de Matrimonio, quod ſemper erat ex ſe ſanctum, quamvis alter conjux eſſet infidelis. Senſus ergo Apoſtoli eſt: Non debent mariti fideles continuò relinquere infideles uxores, exiſtimantes eſſe immundum & illegitimum hoc genus Matrimonii. Non enim immundum eſt, & illegitimum, ſed ſanctum, quia, quamvis conjux ſit immunda, tamen à meliore parte totum Matrimonium ſanctum eſt: propterea filii ex eo geniti ſancti ſunt.

Ibidem v. 39. *Mulier alligata eſt legi quanto tempore vir ejus vivit: quòd ſi dormierit vir ejus, liberata eſt, cui vult nubat, tantùm in Domino.* Id eſt, ait ibid. Maldonatus, *non nubat tanquam Gentilis, ſed tanquam Chriſtiana, non propter libidinem, ſed propter Sacramentum.* Quæ interpretatio eſt S. Chryſoſtomi & aliorum Græcorum. Alii verba hæc, *in Domino*, interpretantur, *in Chriſto*, hoc eſt, Chriſtiana permaneat, ſed Chriſti Religionem occaſione novi conjugii non deſerat. Alii cum Tertulliano Lib. 2. ad uxorem cap. 2. ſic exponunt, *tantùm in Domino; id eſt, in nomine Domini,* P. 167
quod eſt indubitatè Chriſtiano. Et L. de Monogamia cap. 7. *In Domino habet* D. P. 529.
nubere, inquit, *id eſt non ethnico, ſed fratri.* Utramque poſtremam expo- A.
ſitionem refert S. Auguſtinus L. de adulterinis conjugiis c. 25. *Illud in Domino,* T. 6. p.
inquit, *duobus modis accipi poteſt; aut Chriſtiana permanens, aut Chriſtiano nubens.* 402. F.

Coloſſenſium 3. v. 19. *Mulieres ſubditæ eſtote viris, ſicut oportet in Domino.*
Græca phraſis, pergit Maldonatus, *hunc ſenſum præ ſe fert: ſicut decet eas* P. 418.
mulieres quæ contraxerunt Matrimonium; non ut Gentiles, ſed in Domino, id A.
eſt ſanctè, ritè, ſacramentaliter.

In eumdem ſenſum adducit idem Theologus hæc verba Apoſtoli 1. ad Timoth. 2. v. 15. *Mulier ſalvabitur per filiorum generationem, ſi perman-* P. 426.
ſerit in fide & dilectione, & ſanctificatione cum ſobrietate. Quaſi velit ſignificare, inquit, *mulierem per ipſum Matrimonium ſalvam eſſe*, accedente ſcilicet gratia ſanctificante propria hujus Sacramenti.

Quartò, Matrimonium eſſe à Chriſto Domino inſtitutum in verum Sacramentum, patebit ex tertia Concluſione.

Quin-

Quintò denique, Matrimonium eſſe ſignum ſacrum in Religione conſtans ac perpetuum, patebit ex mox referendis Traditionis eccleſiaſticæ monumentis: fuit etenim, & erit ſemper Matrimonium Chriſtianorum ſacra Religionis ceremonia, certo ritu coram Eccleſiæ miniſtro celebrata; ac ſecus peractum ſemper prohibuit, ac deteſtata eſt Eccleſia, ait Concilium Tridentinum Seſſ. 24. c. 1. de reformatione Matrimonii.

Secunda probatio ex conſtanti ac perpetua Eccleſiæ Traditione.

Primum hujus probationis argumentum ex eo petitur, quòd apud Chriſtianos Matrimonium ſemper locum habuerit inter res ſacras Religionis certo ritu à miniſtris Eccleſiæ celebrandas. Ita teſtantur Veteres benè multi.

S. Ignatius vir apoſtolicorum temporum, in Epiſtola ad Polycarpum; Edit. Cotelli p. 877. B. *Decet*, inquit, *ut ſponſi & ſponſæ de ſententia Epiſcopi conjugium faciant; quæ nuptiæ ſint ſecundùm Dominum, & non ſecundùm cupiditatem. Omnia ad honorem Dei fiant.* Si autem Matrimonium apud Chriſtianos res merè prophana aut humana fuiſſet, ad quid ſententia Epiſcopi fuiſſet neceſſaria? Fuit autem juxta S. Ignatium, ut nuptiæ forent ſecundùm Dominum, hoc eſt, eam conſequerentur benedictionem ſeu gratiam, quæ à Chriſto annexa eſt Chriſtianorum conjugio.

S. Juſtinus Martyr, Dial. cum Triphone, ait *connubia Jacobi rei per Chriſtum perficiendæ figuram fuiſſe. Nam*, inquit paulò ſuperiùs, P. 364. B. *magnorum Sacramentorum œconomiæ & diſpenſationes, in quolibet ejus generis facto ſunt celebratæ*, in veteri ſcilicet Teſtamento.

Tertullianus Lib. 2. ad uxorem versùs finem, *Unde*, inquit, *ſufficiamus ad enarrandam felicitatem ejus Matrimonii, quod Eccleſia conciliat, & confirmat* P. 171. C. *oblatio, & obſignat benedictio, Angeli renuntiant, Pater ratum habet?* Tria eo in teſtimonio ſunt obſervatione digna. 1. Eccleſiam Matrimonium conciliare inter Fideles Chriſtianos. 2. Matrimonium illud oblatione confirmari, hoc eſt intra Miſſarum ſolemnia oblato ipſo incruento ſacrificio perfici. 3. illud benedictione Eccleſiæ obſignari ſeu ratum fieri.

Et Libro de pudicitia c. 4. *Penes nos*, inquit, *occultæ quoque conjunctiones, id eſt, non priùs apud Eccleſiam profeſſæ, juxta mœchiam & fornicationem ju-* P. 557. B. *dicari periclitantur.* Quibus certè verbis rurſus confirmat Tertullianus, hanc ſemper fuiſſe Eccleſiæ mentem ac praxim, ut Matrimonium non occultè & clanculùm, ſed publicè in facie Eccleſiæ ritu & benedictione conſueta celebraretur; ac ſecus inita Matrimonia in ſuſpicionem mœchiæ & fornicationis veniſſe.

S. Clemens Alexandrinus Lib. 3. Pædagogi, ejuſdem benedictionis videtur mentionem feciſſe. Reprehendens quippe mulieres quæ alienis & aſcititiis P. 182. A. capillis caput ſuum exornant, ſeu potius dedecorant, inter alia ſic invehitur: Edit. poſtr. T. 1. p. 68. B. *Cui*, inquit, *manum imponet Presbyter? Cui benedicet? non mulieri quæ eſt ornata, ſed alienis capillis, & per ipſos alii capiti.*

S. Baſilius Hom. 7. in Exameron, *Jugum*, inquit, *per benedictionem impoſi-* Tom. 2. *tum, diſtantium fit conjunctio.*

Conc. p. 1121. A. Conc. Carthaginenſe IV. cui interfuit S. Auguſtinus an. 398. cap. 13. de ſponſo & ſponſa benedicendis ſic habet: *Sponſus & ſponſa cùm benedicendi ſunt à Sacer-*

Digitized by Google

Sacerdote, à parentibus ſuis vel paranymphis offerantur. Qui cùm benedictionem acceperint, eadem nocte pro reverentia ipſius benedictionis, in virginitate permaneant.

S. Ambroſius Epiſtola 19. ad Vigilium aliàs 23. num. 7. *Cùm*, inquit, *ipſum* T. 2. p.
conjugium velamine ſacerdotali, & benedictione ſanctificari oporteat, quomodo 844. B.
poteſt conjugium dici, ubi non eſt fidei concordia? Ob. an.
417.

Innocentius I. in Epiſtola ad Victricium Rothomagenſem cap. 6. poſtquam dixit primos parentes in paradiſo à Deo benedictos cùm Matrimonio juncti ſunt, addit, *quam formam etiam Sacerdotes omnes ſervare uſus ipſe* Tom. 2.
demonſtrat Eccleſiæ. Satis enim abſurdum eſt, pergit, *aliquem credere uxo-* Conc. p.
rem ante Baptiſmum acceptam, poſt Baptiſmum non computari: cùm benedi- 1251. B.
ctio quæ per Sacerdotem ſuper nubentes imponitur, non materiam delinquendi dediſſe, ſed formam tenuiſſe legis à Deo antiquitus inſtitutæ doceatur.

Siricius S. P. in Epiſtola ad Himerium Tarraconenſem c. 4. *De conjugali*, in- Ob. an.
quit, *violatione requiſiſti, ſi deſponſatam alii puellam alter in Matrimonium poſ-* 398.
ſit accipere. Hoc ne fiat omnibus modis inhibemus, quia illa benedictio, quam Ibid. p.
nupturæ Sacerdos imponit, apud Fideles cujuſdam ſacrilegii inſtar eſt, ſi ulla tranſ- 1019.
greſſione violetur. A.

Iſidorus Hiſpal. L. 2. de Offic. eccleſ. c. 19. *Quod*, inquit, *in ipſa conjunctione connubii à Sacerdote benedicuntur, hoc eſt à Deo in ipſa prima conjunctione hominis factum. Sic enim ſcriptum eſt, Fecit Deus ad imaginem ſuam maſculum & feminam, fecit eos & benedixit eis dicens: Creſcite & multiplicamini. Hac ergo ſimilitudine fit nunc in Eccleſia, quod tunc factum eſt in paradiſo.*

Plurima ſubſequentium ætatum in rem eandem omiſſa hìc facimus teſtimonia; quotquot enim de Matrimonio egerunt Scriptores eccleſiaſtici, benedictionis & miniſterii ſacerdotalis mentionem fecerunt. Sic ann. 1536. Patres Concilii Colonienſis parte 7. cap. 40. ajunt: *Quod Sacramentum, ſi quis, ſicut decet, acceperit, accedente ſacerdotali precatione confert donum Spi-* T. 14.
ritus, quo vir diligat uxorem amore caſto, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam. Conc. p.
541. A

Porro ad quid illa obligatio, ad quid preces & benedictio ſacerdotalis ritu tam antiquo & conſtanti ſupra conjuges uſurpatæ, niſi ut ſignificetur Matrimonium Chriſtianorum ſacram & divinam eſſe ceremoniam, verumque Sacramentum ad gratiam ſanctificantem nubentibus impertiendam, deſtinatum?

Secundum argumentum petitur ex teſtimoniis Veterum qui Matrimonium appellant Sacramentum, non lato, ſed ſtricto & proprio ſenſu.

S. Ambroſius L. 1. de Abraham c. 7. *Cognoſcimus*, inquit, *præſulem cuſtodemque conjugii eſſe Deum, qui non patiatur alienum thorum pollui; & ſi qui fecerit,* T. 1. p.
peccare eum in Deum, cujus legem violet, gratiam ſolvat. Et ideo quia in Deum pec- 302. B.
cat, Sacramenti cœleſtis amittit conſortium.

S. Auguſtinus pluribus in locis idem ſæpius inculcat. L. de bono conjugali cap. 24. *Bonum igitur nuptiarum*, inquit, *per omnes gentes atque ho-* T. 6 p.
mines in cauſa generandi eſt, & in fide caſtitatis. Quod autem ad populum Dei 337. E.
pertinet, etiam in ſanctitate Sacramenti, per quam nefas eſt etiam repudio diſcedentem alteri nubere, dum vir ejus vivit, nec ſaltem ipſa cauſa pariendi. Opponit ibi ſanctus Doctor Matrimonium Chriſtianorum Matrimo-

nio

nio Infidelium, eoque præſertim titulo diſtinguit, quòd noſtrum Matrimonium præter vinculum & cauſam generandi, dignitatem etiam contineat Sacramenti: non ea quidem tantùm de cauſa, quòd ſignum aliquod ſit unionis Chriſti cum Eccleſia (hoc quippe cuilibet humano conjugio proprium eſt) ſed præſertim quòd ſignum ſit efficax gratiæ quam ſignificat. Eandem oppoſitionem adducit ſanctus Doctor L. de fide & operibus c. 7. *In civitate Domini*, ait, *in monte ſancto ejus, hoc eſt, in Eccleſia, nuptiarum non ſolùm vinculum, ſed etiam Sacramentum commendatur.*

Ibid. p. 170. B.

Lib. 9. de Gen. ad litteram c. 7. *Hoc nuptiarum bonum*, inquit, *verum tripertitum eſt. Fides, proles, Sacramentum. In fide attenditur, ut præter vinculum conjugale cum altera vel cum altero non concumbatur: in prole, ut amanter ſuſcipiatur, benignè nutriatur, religioſè educetur: in Sacramento, ut conjugium non ſeparetur, & dimiſſus aut dimiſſa, etiam repudio intercedente, alteri non conjungatur.*

T. 3. p. 1. p. 247.

Lib. de bono conjugali cap. 18. *In Chriſtianorum nuptiis plùs valet ſanctitas Sacramenti, quàm fœcunditas uteri.*

T. 6. p. 822. D.

Lib. 1. de nuptiis & concupiſc. cap. 10. *Sanè*, inquit, *non tantùm fœcunditas, cujus fructus in prole eſt; nec tantùm pudicitia, cujus vinculum eſt fides; verùm etiam quoddam Sacramentum nuptiarum commendatur fidelibus conjugatis*. Et cap. 21. *Quòd ergo*, inquit, *eſt in Chriſto & in Eccleſia magnum; hoc in ſingulis quibuſque viris atque uxoribus minimum, ſed tamen conjunctionis inſeparabilis Sacramentum. Minimum* dicit in viris & uxoribus Sacramentum, ob rebellionem carnis, ac membra quæ poſt peccatum pudenda ſunt, qualia non erant ante peccatum. Hunc ſenſum indicat ſeries contextus. Aliqui volunt appellari *minimum* à S. Auguſtino, comparatione ad alia Sacramenta, inter quæ ultimum locum occupat; quod ajunt veteribus Scholaſticis occaſionem dediſſe exiſtimandi, gratiam ſanctificantem non conferri per Matrimonium, quod tantùm eſt in remedium concupiſcentiæ. Deinde comparat Matrimonium Baptiſmo, in eo quòd ſicut Baptiſmus manet nec deleri poteſt, etiam cùm unus conjugum tranſit ad hæreſim, ita quoque Matrimonium diſſolvi non poſſit. Et Libro de bono conjugali c. 24. utitur exemplo & comparatione Sacramenti Ordinis, cujus character ſemper remanet, etiam in illo qui à ſuo officio ſuſpenditur, ſicut remanet firmum ac conſtans vinculum conjugale, in eo qui vivente ſua priori uxore, cum altera contrahit.

T. 10. p. 325. E. F.

Ibid. p. 392. D.

Boileau, Empech. du mariage, p. 25.

T. 6. p. 337.

Probare hìc non poſſumus Vaſqueſium, cùm ait diſput. 2. de Matrimonio ſe ann. 1588. perlectis & attentè conſideratis hiſce S. Doctoris teſtiniis, manifeſtè deprehendiſſe ipſum non loqui de Sacramento propria & ſtricta, ſed latiori ſignificatione, prout nempe ſignum quoddam eſt unionis Chriſti cum Eccleſia; adeoque non poſſe ſe illius auctoritate uti contra Hæreticos. Abſit enim ut tanti Doctoris præſidio cauſam catholicam defraudari conſentiamus. Quamquam enim Vaſqueſio demus, Sacramenti nomen ab Auguſtino uſurpari interdum ſenſu improprio ac latiori; ſic tamen ab eo dumtaxat uſurpatum fuiſſe, cùm citatis in locis de Matrimonio egit, nec probavit ipſe Vaſques, nec nos concedimus: tùm quia diſtinguit ſanctus Doctor Matrimonium Chriſtianorum à Matrimonio Infidelium, eo præcipuè titulo ac nomine, quòd prius ſit Sacramen-

mentum, non poſterius; licèt & iſtud etiam ſignificet unionem Chriſti cum Eccleſia. Tùm quia docet majorem ineſſe Matrimonio Fidelium firmitatem & indiſſolubilitatem, quàm Matrimonio Infidelium; prius enim, ſi conſummatum fuerit, ſola morte diſſolvi poteſt; alterum verò diſſolvitur per converſionem conjugis infidelis ad fidem Chriſtianam, cùm nempe alter conjux renuit habitare cum fideli abſque injuria creatoris: at rationem hujuſce diſcriminis non aliunde repetit S. Auguſtinus, quàm quòd conjugium Chriſtianorum & ſupponat Sacramentum Baptiſmi, & ſit ipſum verum Sacramentum. Tùm quia confert Matrimonium Fidelium cum Sacramentis Baptiſmi & Ordinis; recenſet igitur illud inter vera & propriè dicta Legis novæ Sacramenta. Tùm denique quia agnoſcit in Matrimonio vim effectricem gratiæ, ut ex teſtimoniis mox citandis patebit; ergo agnoſcit Matrimonium eſſe verum Sacramentum.

Eandem poſt S. Auguſtinum doctrinam & fidem propugnavere & SS. Pontifices, & Concilia.

Lucius III. qui duodecimo floruit Eccleſiæ ſæculo, in Cap. *Ad abolendam. De Hæreticis.* Matrimonium cæteris Eccleſiæ Sacramentis accenſuit. *Qui*, inquit, *de Sacramento corporis & ſanguinis Domini J. C. vel de Baptiſmate, ſeu de peccatorum confeſſione, Matrimonio, vel reliquis eccleſiaſticis Sacramentis aliter ſentire, aut docere non metuunt, quàm ſacroſancta Romana Eccleſia prædicat & obſervat, vinculo perpetui anathematis innodamus.* [Decret. p.1673. n.10.]

In Concilio Conſtantienſi Seſſ. 15. ſeptem eſſe Eccleſiæ Sacramenta adversùs Joannem Hus ſupponitur. Unde Martinus V. jubet, ut qui ſuſpecti ſunt, interrogentur, *an credant quòd Chriſtianus contemnens ſuſceptionem Sacramentorum Confirmationis, vel Extremæ unctionis, vel ſolemniſationis Matrimonii, peccet mortaliter.* [T. 22. Conc. p. 369. D.]

In Decreto Eugenii expreſsè in numero ſeptem Sacramentorum recenſetur Matrimonium; neque ea in parte à Latina Eccleſia unquam receſſere Græci, ſicut compertum eſt ex cenſura Confeſſionis Auguſtanæ quam tulit Jeremias Patriarcha Conſtantinopolitanus. [T. 13. Conc. p. 534. D.]

Denique in Conc. Trid. Seſſ. 24. Can. 1. ſic definitur: *Si quis dixerit, Matrimonium non eſſe verè & propriè unum ex ſeptem Legis Evangelicæ Sacramentis, à Chriſto Domino inſtitutum, ſed ab hominibus in Eccleſia inventum, neque gratiam conferre; anathema ſit.* [T. 24. Conc. p. 874.]

Tertium argumentum petitur ex teſtimoniis SS. Patrum, quibus agnoſcunt Matrimonio annexam eſſe gratiæ promiſſionem. Ita

S. Athanaſius Epiſtola ad Amunen, comparans virginitatem cum Matrimonio, majorem quidem illi, quàm iſti gratiam tribuit, ſed tamen gratiam aliquam Matrimonio annexam eſſe clarè ſignificat. *Si quis*, inquit, *nuptias elegerit, culpa quidem vacat, ſed tot tantaque non conſequetur dona. Conſequetur tamen aliqua, ſiquidem & ipſe fert fructum triceſimum.* [T. 1. p. 961. A.]

S. Ambroſius, & cum ipſo Patres Concilii Mediolanenſis in Epiſtola ad Siricium S. P. *Non negamus*, inquiunt, *ſanctificatum eſſe à Chriſto conjugium, divina voce dicente: Erunt ambo in una carne, & in uno ſpiritu.* [T. 2. p. p. 966. C.]

S. Cyrillus Alexandrinus Commentario in Joan. Evangelium Lib. 2. *Ipſe* (Chriſtus) inquit *invitatus venit* (ad nuptias) *ut generationis humanæ principium ſanctificaret, quod ad carnem nimirum attinet. Conveniebat enim,* [T. 4. p. 135. A.]

ut qui

Digitized by Google

ut qui naturam ipſam hominis renovaturus erat . . . non ſolùm iis qui jam in ortum vocati erant benedictionem impertiretur, ſed & iis quoque qui poſtea naſcituri eſſent gratiam præſtrueret, & eorum ortum ſanctum efficeret... Præſentia ſua nuptias cohoneſtavit, ipſe gaudium & lætitia cùm ſit univerſorum, ut veterem partus triſtitiam depelleret.

Tom. 2. Conc. p. 1263. D. Innocentius I. Epiſtola 9. ad Probum. *Statuimus*, ait, *fide catholica ſuffragante, illud eſſe conjugium, quod primitus erat divina gratia fundatum; conventumque ſecundæ mulieris, priore ſuperſtite, nec divortio ejecta, nullo pacto poſſe eſſe legitimum.*

S. Auguſtinus in Lib. de bono conjugali totus eſt ut Sacramenti Matrimonii dignitatem, utilitatem & efficaciam demonſtret. *Ad hoc*, inquit c.
T. 6. p. 322. G. 5. *nuptiæ ſunt, ut illa concupiſcentia redacta ad legitimum vinculum, non deformis & diſſoluta fluitaret, habens de ſe ipſa irrefrænabilem carnis infirmitatem, de nuptiis autem indiſſolubilem fidei ſocietatem; de ſe ipſa progreſſum immoderatè coeundi, de nuptiis modum caſtè procreandi.*

Eſt igitur, judice S. Auguſtino, Sacramenti Matrimonii propria & ſpecialis hæc gratia, nempe ut vinculum ſeu frænum concupiſcentiæ injiciatur, ac ſervetur thori conjugalis caſtitas: unde Apoſtolus Hebr. 13. v. 4. *bonorabile connubium* appellat, *& thorum immaculatum.*

Et L. 1. de nuptiis & concupiſ. c. 17. gratiam Chriſtiani conjugii ad hoc con-
To. 10. p. 290. A. cedi affirmat, *ut proles non naſcatur tantùm, ſed etiam renaſcatur*, nempe per Baptiſmum quem pii parentes procurant.

Lib. denique jam citato de Gen. ad litteram 9. cap. 7. ait *religioſam educationem prolis* fructum eſſe ac finem Matrimonii, qui certè ſine gratiæ benefi-
T. 3. p. 1. p. 247. E. cio obtineri non poteſt.

T. 2. p. 545. Conc. denique Trid. Seſſ. 24. cap. unico de Matrimonio, gratiam huic Sacramento annexam eſſe agnoſcit verbis antea relatis. Proprius verò & ſingularis hujus ſacramentalis gratiæ effectus eſt 1. ut conjuges ſeipſos diligant amore caſto, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam. 2. ut non amore libidinis, ſed prolis ſuſcipiendæ conveniant. 3. ut prolem ſanctè educent in fide chriſtiana, Dei timore, ac bonis moribus. 4. ut ſibi invicem ſolatio ſint, ferant opem, onera & labores conjugii pariter tolerent. 5. ut caſtè utantur jure Matrimonii &c.

Quartum argumentum petitur ex communi SS. Patrum doctrina, qui aſſerunt idcirco Chriſtum voluiſſe ſua præſentia cohoneſtare nuptias in Cana, eiſque benedicere, ut ſignificaret eas in nova Lege ſacras eſſe debere: verba SS. Patrum referemus Concluſione tertia mox ſequenti.

His omnibus momentis congruas quaſdam addunt Theologi rationes quas conſulere poteris apud Eſtium in 4. diſt. 26. paragr. 7.

TERTIA CONCLUSIO.

Probabilius nobis videtur, tunc à Chriſto inſtitutum fuiſſe Sacramentum Matrimonii, cùm ſua præſentia nuptias cohoneſtavit, eiſque benedixit Joan. 2.

Probatur. Quia hæc videtur eſſe communior SS. Patrum ſententia.

Patres

Patres Epheſini ajunt, *Chriſtum diſpenſatoriè ipſis tunc benedixiſſe nuptiis, cùm in Cana Galileæ cum ſanctis vocatus Apoſtolis adeſſe dignatus eſt.*

S. Cyrillus in Epiſtola ad Neſtorium eadem verba repetit, & L. 2. in Joan. exponens miraculum converſionis aquæ in vinum in nuptiis Cana, docet Chriſtum ſanctificaſſe conjugium, & gratiam nuptiis præparaſſe, ut aditus hominum in hanc vitam benediceretur. *To 4. p. 235. A.*

S. Epiphanius hæreſi 67. *Venerabiles eſſe nuptias*, inquit, *ac Dei aſpirante gratia cæleſte regnum obtinere, quis vel ex eo non agnoſcat, quòd ad nuptias invitatus Salvator ipſe fuerit, ut iis benediceret?* *To. 1. p. 714. D.*

S. Auguſtinus Tractatu 9. in Joan. evangelicam de nuptiis exponens hiſtoriam, docet ideo Chriſtum nuptiis intereſſe voluiſſe, *ut caſtitatem conjugalem firmaret.* *T. 3. p. 2. p. 361. A.*

S. Maximus Hom. 1. de Epiphania Domini ſic loquitur: *Vadit ad nuptias Dei Filius, ut quas dudum poteſtate conſtituit* (ſupple in ratione humani contractus) *nunc præſentia ſuæ benedictione ſanctificet*, quatenus ſcilicet humano contractui adjunxit dignitatem & efficaciam Sacramenti. *Bibl. PP. T. 6. p. 9. B.*

Adversùs doctrinam Eccleſiæ hactenus duplici priori Concluſione expoſitam inſurgunt Hæretici tùm veteres, tùm recentiores; quin & nonnulli etiam inter noſtros Theologos, quamquam animo & conſilio longè diſpari.

I. Veteres Hæretici impugnant nuptiarum honeſtatem ac bonitatem.

II. Lutherani & Calviniſtæ impugnant in Matrimonio rationem ſeu dignitatem Sacramenti.

III. Durandus & Catharinus quibuſdam Scholæ argutiis & ratiociniis conantur efficere, Matrimonium non eſſe verum ac propriè dictum Sacramentum, cui ſit à Chriſto annexa gratiæ promiſſio. Eorum omnium Objectiones ſeparatim proponendæ ſunt ac diluendæ.

Solvuntur Objectiones veterum Hæreticorum adversùs bonitatem & honeſtatem nuptiarum.

Objicies 1. Res ea cujus uſum nonniſi ex indulgentia ſeu venia concedit Apoſtolus, culpa non caret, nec conſequenter in ſe bona & licita videtur. *Evidenter dum tribuit veniam, denotat culpam*, ait S. Auguſtinus L. de peccato originali cap. 38. Atqui conjugii uſum nonniſi ex indulgentia ſeu venia concedit Apoſtolus 1. Corinth. 7. v. 6. *Hoc autem dico*, inquit, *ſecundùm indulgentiam, non ſecundùm imperium.* *T. 10. p. 172. E.*

Huic argumento reſpondent Theologi.

I. uſum quidem conjugii, qui vel propter fugiendam incontinentiam & fornicationem, vel animo explendi voluptatem fit, culpa non carere, ſaltem veniali; eum verò qui ex naturali ac divina lege ſimpliciter ordinatur ad generationem prolis, ab omni prorſus culpa immunem ac liberum eſſe. *Non peccat ſi nubat*, ait idem Apoſtolus. Diſtinctionem hanc agnovit S. Auguſtinus citato cap. 38. Libri de peccato originali. *Quando*, inquit, *conjuges, non propagandi voluntate operam creandis filiis impendunt, ſed laſciviendi voluptate exſaturandæ cupidini inſerviunt.* Et L. de bono conjugali data opera idem momentum verſans, poſtquam initio capitis 10. dixit, *eos dumtaxat qui ſe non continent conjugari oportere, ſecundùm illam Apoſtoli ſenten-* *Ibid.* *T. 6. p. 326. D.*

Ib.n.21. *tiam, Quòd ſi ſe non continent, nubant: melius enim eſt nubere quàm uri*; ſtatim addit: *Nec ipſis tamen peccatum ſunt nuptiæ, quæ ſi in comparatione fornicationis eligerentur, minus peccatum eſſent quàm fornicatio, ſed tamen peccatum eſſent. Nunc autem quid dicturi ſumus adversùs evidentiſſimam vocem Apoſtoli dicentis: Quod vult faciat; non peccat, ſi nubat. Hinc certè jam dubitare fas non eſt, nuptias non eſſe peccatum. Non itaque nuptias ſecundùm veniam concedit Apoſtolus: nam quis ambigat abſurdiſſimè dici, non eos peccaſſe quibus venia datur? Sed illum concubitum ſecundùm veniam concedit, qui fit per incontinentiam, non ſola cauſa procreandi, & aliquando nulla cauſa procreandi; quem nuptiæ non fieri cogunt, ſed ignoſci impetrant.* Ita S. Auguſtinus.

II. Alii reſpondent, conjugii uſum, etiam propter fugiendam incontinentiam & fornicationem, in ſe bonum eſſe, honeſtum ac licitum, tùm ex parte objecti, tùm ex parte medii: ex parte quidem objecti: quia bonum eſt, imò & planè ſub pœna damnationis nobis impoſitum, ut fugiamus fornicationem. *Propter fornicationem autem*, inquit Apoſtolus 1. Cor. 7. v. 2. *unuſquiſque ſuam uxorem habeat.* Ex parte etiam medii, quia nuptiæ earumque uſus ex ſe licitæ ſunt, ab auctore naturæ inſtitutæ. Ratio à priori eſt, quòd poſt peccatum nuptiæ non tantùm ex ordinatione divina ſunt in officium naturæ ad generationem prolis, ſed etiam in remedium concupiſcentiæ. *Hanc ob cauſam*, ait S. Chryſoſtomus Hom. 3. in *Vidi Dominum, data eſt illi* (viro) *mulier adjutrix, ut efferveſcentem naturam coerceat, ut concupiſcentiæ fluctus ſedet.* [Edit. re cont. T. 6. p. 116. A.] Ita docent vulgò Theologi poſt Concilia Moguntinum ann. 1549. cap. 36. Colonienſe ann. 1536. parte 7. cap. 40. S. Thomam in 4. diſt. 26. qu. 2. art. 2. & 3. Indulgentia igitur in citato textu Apoſtoli, non rem in ſe malam arguit, ſed rem quam concedit quidèm Apoſtolus, ut in ſe bonam, ſed quam non imperat quaſi abſolutè neceſſariam. *Indulgere ibi*, ait Pontius Lib. 1. de Matr. c. 21. n. 3. *non eſt veniam dare pro culpa, ſed concedi aliquid debere.* Scilicet ex indulgentia concedit Apoſtolus, tanquam minus bonum comparatè ad virginitatem, ut unuſquiſque fornicationis vitandæ cauſa, ſuam uxorem habeat. Ita exponunt Altiſſiodorenſis, Durandus, Paludanus, Capreolus, Cajetanus, Sylveſter, Joannes Eckius, Federicus Nauſea, Dominicus Soto, Pontius &c.

III. Reſpondent aliqui, uſum Matrimonii propter voluptatem & delectationem ex ſe ac genere ſuo culpam non habere, nequidem venialem, quia delectatio hæc intra limites caſti conjugii nihil habet mali in genere morali, cùm ſit lege naturali neceſſaria: addunt nihilominus, frequentiſſimè veniali culpa non carere actum hujuſmodi, non quidem præcisè propter ipſam delectationem, ſed propter ejus exceſſum, quem unum à ſancto Auguſtino locis antea citatis damnatum fuiſſe contendunt. Ita Pontius loco mox citato nu. 7. ubi prolixum refert Almaini teſtimonium; & rurſus L. 10. c. 8. n. 8. idem verſat argumentum.

Inſtabis: Voluptatis ac libidinis ſenſus ſeparari non poteſt ab uſu conjugii, cui à natura ipſa inditus eſt: atqui voluptas hæc & libido ſemper ex ſe culpam habet, ſaltem venialem, repugnat enim legi Dei, ſeu legi mentis, teſte Apoſtolo Rom. 7. & Galat. 5. Igitur uſus conjugii, adeoque & conjugium ipſum per ſe licitum non eſt.

Reſpon-

Reſpondent 1. nonnulli diſtinguendo majorem. Voluptatis ac libidinis ſenſus ſeparari non poteſt ab uſu conjugii quoad actum ipſum, concedunt; quoad intentionem agentis, negant. Quia, inquiunt, poteſt voluntatis conſenſus ferri in ſolum actum ejuſque finem, qui eſt generatio, non verò in libidinem actui conjunctam: quicunque enim in actum aliquem conſentit, non continuò in id omne conſentit quod eſt actui conjunctum; ut v. g. claudus in progreſſionem conſentit, non in claudicationem. Cùm igitur in uſu Matrimonii non quæritur, neque tanquam finis proponitur voluptas & libido, omnis ex hac parte culpa etiam venialis excluditur.

Reſpondent 2. alii negando minorem. Senſus enim voluptatis à natura ipſa huic actioni inditus eſt, nec quidquam in ſe habet quod mali moralis rationem induat, quamdiu continet ſe intra præſcriptos ſanæ rationis ac caſti conjugii limites. Non alio igitur ſenſu voluptas illa ſeu libido mala dicitur, & repugnare legi mentis, quam ipſamet concupiſcentia, materialiter ſcilicet, quia ad malum inclinat pro ea, quæ in nobis eſt poſt peccatum, infirmitate ac naturæ depravatione; non verò mala eſt formaliter, nec culpæ imputatur, niſi cùm ſola eo in actu tanquam finis proponitur. Exceſſum igitur voluptatis & libidinis, ad quem proclivis eſt homo lapſus, damnant in uſu conjugii SS. Eccleſiæ Doctores, non uſum ipſum. *Neque enim poteſt homo in impetu libidinis ſancta cogitare*, ait S. Auguſtinus Lib. 5. contra Julianum c. 10. Et Lib. 1. Soliloquiorum cap. 10. ait, *nihil magis ex arce ſua virilem animum dejicere, quàm blandimenta feminea.* T. 10. p. 650. B. T. 1. p. 363. E.

Quamquam autem moraliter malus in ſe abſolutè non ſit uſus conjugii, habet tamen aliquid turpe ac deforme, ob rebellionem concupiſcentiæ adjunctam, quo fit ut S. Hieronymus ſcribens contra Vigilantium, fatebatur non audere ſe Baſilicas Martyrum intrare, ac totum ſe animo & corpore contremiſcere, ſi fortè *nocturnis phantaſmatibus deluſus fuiſſet.* T. 4. p. 2. p. 286.

Agnovit S. Auguſtinus Libro 14. de Civit. Dei cap. 18. eſſe quidem in uſu conjugii turpe aliquid phyſicum, non verò morale. *Quid*, inquit, *concubitus conjugalis, qui ſecundùm matrimonialium præſcripta Tabularum, procreandorum fit cauſa liberorum, nonne & ipſe, quamquam ſit licitus & honeſtus, remotum ab arbitris cubile requirit? . . . Unde hoc? niſi quia ſic geritur quod deceat ex natura, ut etiam quod pudeat comitetur ex pœna.* Turpitudo igitur quæ annexa eſt actui conjugali, culpæ non eſt turpitudo, ſed pœnæ. T. 7. p. 370. A.

Inſtabis: Nonne actus ille malus eſt moraliter, qui impedit ne Deo conjungamur, ne de ipſo cogitemus? Atqui talis certè eſt actus conjugii, ipſo teſte S. Auguſtino L. 5. contra Julianum c. 10. citato: non modò enim actus ille corpus polluit, verùm etiam mentem deprimit & obnubilat.

Reſp. diſt. ant. Actus qui impedit ne Deo conjungamur habitu, excludendo ſcilicet charitatem, eſt moraliter malus, concedo: qui impedit ne Deo conjungamur actu, nego. Rem ſic explicat Durandus. *Dicitur*, inquit, *Deo conjungi dupliciter: uno modo ſecundùm habitum gratiæ & charitatis; & illud quod ſeparat hanc conjunctionem, eſt peccatum, etiam mortale: alio modo, ſecundùm actum contemplationis & dilectionis; & hæc conjunctio poteſt ſeparari per aliquid quod non eſt peccatum, ſeu per ſolam occupationem animi circa res exteriores, quantumcumque licitas. Prima conjunctio non ſeparatur per actum matrimonii, ſed ſecunda tantùm.* Hæc Durandus.

Digitized by Google

Objicies 2. ex Apoſtolo 1. Cor. 7. v. 9. *Melius eſt nubere, quàm uri.* Ergo nubere malum eſt.

Reſp. rectam non eſſe conſequentiam: concludi enim dumtaxat poteſt; Ergo nubere minus bonum eſt. Ita S. Auguſtinus L. 6. de bono conjugali c. 8.
T. 6. p. 324. F. *Non ergo*, inquit, *duo mala ſunt, connubium & fornicatio, quorum alterum pejus: ſed duo bona ſunt connubium & continentia, quorum alterum eſt melius.*

Idem ante S. Auguſtinum Marcioni repoſuerat Tertullianus Libro 1. adverſùs ipſum, cap. 29. *Sanctitatem* (nempe continentiæ) *ſine nuptiarum damnatione novimus*, inquit, *& ſectamur, & præferimus, non ut malo bonum, ſed ut bono melius. Non enim projicimus, ſed deponimus nuptias; nec præſcribimus, ſed ſuademus ſanctitatem: ſervantes & bonum* (nempe conjugium,) *& melius* (continentiam ſcilicet) *pro viribus cujuſque ſectando: tunc denique conjugium exertè defendentes, cùm inimicè accuſatur ſpurcitiæ nomine.* (P. 380. C.)

Objicies 3. ex eodem Apoſtolo Rom. 8. v. 8. *Qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt.* At conjuges in carne ſunt, juxta S. Hieronymum Lib. 1. contra Jovinianum; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. Qui in carne ſunt, hoc eſt, ſecundùm carnem, & non ſecundùm ſpiritum vivunt, ut ait idem Apoſtolus v. 4. & 5. ii placere Deo non poſſunt, concedo: qui ſimpliciter in carne ſunt, hoc eſt, utuntur legitimè Matrimonio, nego. Unde & nego min. S. autem Hieronymus ſuo inſtituto ſententiam Apoſtoli accommodans non aliud vult, quàm conjuges, dum carnali vacant operi, non poſſe ſimul vacare orationi & rebus divinis, quod etiam ſignificat ipſe Apoſtolus 1. Cor. 7. monens conjuges v. 5. *ne fraudent invicem, niſi ex conſenſu ad tempus ut vacent orationi.*

Objicies 4. Eadem 1. Epiſtola ad Corinth. cap. 7. Apoſtolus hortatur quantùm poteſt ad continentiam; ergo innuere videtur Matrimonium non eſſe quid bonum & honeſtum.

Reſp. nego conſequentiam. Honorabile enim eſt connubium & thorus immaculatus, ex eodem Apoſtolo; ſequitur ergo dumtaxat Matrimonium eſſe minus bonum virginitate ac continentia, quod quidem profitetur expreſſè ibidem Apoſtolus v. 38. *Qui Matrimonio*, inquit, *jungit virginem ſuam, benè facit: & qui non jungit, meliùs facit.* Rationem reddiderat v. 33. *Qui cum uxore eſt, ſollicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori, & diviſus eſt. Et mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini ſunt, ut ſit ſancta corpore & ſpiritu.*

Objicies 5. Ibidem v. 1. Apoſtolus ait: *Bonum eſt homini mulierem non*
T. 4. p. 2. *tangere. At*, inquit S. Hieronymus Lib. 1. contra Jovinianum, *ſi bonum eſt*
p. 149. *mulierem non tangere, malum eſt eam tangere: nihil enim bono contrarium eſt, niſi malum. Si autem malum eſt, & ignoſcitur; ideo conceditur, ne malo quid deterius fiat.*

Reſp. Apoſtolum hoc unum velle, melius ſcilicet eſſe atque perfectius ſervare continentiam, quàm nubere. S. Hieronymus eò loci per malum intelligit minus bonum: *Neque verò nos*, inquit, *Marcionis & Manichæi dogma*
Ibid. p. *ſectantes nuptiis detrahimus; nec Tatiani principis Encratitarum errore decepti,*
215. *omnem coitum ſpurcum putamus... Non ignoramus honorabiles nuptias & thorum immaculatum.... Sed ita nuptias recipimus, ut virginitatem, quæ de nuptiis naſcitur, præferamus.*

Obji-

Objicies denique iſta verba Davidis ex Pſalm. 50. v. 7. *Ecce in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea.* Ergo ab actu conjugii ſeparari non poteſt iniquitas & malitia.

Reſp. eò loci iniquitatem & peccatum intelligi non matris concipientis, aut patris generantis, ſed ejus qui concipitur, qui naſcendo labem originalem contrahit.

Solvuntur Objectiones Novatorum adversùs Sacramentum Matrimonii.

Objicies 1. Nulla eſt annexa gratiæ promiſſio Matrimonio: ergo non eſt verum Sacramentum.

Reſp. patere ex probationibus Concluſionis, quàm falſa ſit hæc Novatorum ſuppoſitio.

Objicies 2. Non ideo Matrimonio aſſerenda eſt conditio ac natura veri Sacramenti, quòd ſit ſignum rei ſacræ: quàm multa enim ſunt hujuſmodi ſigna, quæ vera non ſunt Sacramenta?

Reſp. ex dictis compertum illud ac certum eſſe, nos non ea tantùm de cauſa Matrimonio rationem veri Sacramenti vindicare, quòd ſit ſignum rei ſacræ; ſed quòd ſit ſignum practicum ſeu efficax, cui ſit ex inſtitutione Chriſti annexa gratiæ promiſſio.

Inſtabis 1. cum Spalatenſi: Omne ſignum rei ſacræ habens etiam annexam gratiam non eſt conſequenter verum & propriè dictum Sacramentum; ſic v.g. martyrium, de quo dicitur, *Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego illum coram Patre meo.* Et, *Qui perdiderit animam ſuam in hoc mundo, ſervabit eam.* Pariter caſtitatis profeſſio, quæ Apoſtolo teſte, melior eſt Matrimonio, non habet rationem veri Sacramenti; ergo nec Matrimonium.

Reſp. non ſolam rei dignitatem aut gratiam ipſi annexam ſufficere, ut res ea Sacramentis evangelicis accenſeatur, ſed præſertim neceſſariam eſſe Chriſti inſtitutionem; in his etenim rebus tota ratio facti eſt voluntas facientis. Licèt igitur martyrium ſit nobilius Pœnitentia, & Unctione extrema, non eſt tamen verum Sacramentum; quia non fuit à Chriſto Domino inſtitutum tanquam inſtrumentum ordinarium ac perpetuum communicandæ gratiæ ſanctificantis. Eadem de cauſa continentia ſeu profeſſio caſtitatis, quamquam nobilior & perfectior Matrimonio, non habet tamen dignitatem & efficaciam veri Sacramenti: neque hìc aliam diſcriminis rationem quæras, quàm quæ ex voluntate Chriſti repetitur.

Inſtabis 2. Sacramentum eſt ſignum efficiens id quod ſignificat: atqui Matrimonium non efficit quod ſignificat, ſiquidem ſignificat unionem Chriſti cum Eccleſia, quam non efficit.

Huic Objectioni jam ſuprà abundè ſatisfecimus.

Inſtabis 3. Nullum verum Sacramentum poteſt ſuſcipi ante Baptiſmum: at, juxta Innocentium III. etiam ab Infidelibus ſuſcipitur Matrimonium tanquam Sacramentum.

Reſp. diſt. min. tanquam Sacramentum impropriè & latè ſumptum, concedo, propriè & ſtrictè, nego. Solutio patet ex dictis antea.

Objicies 3. Omne Sacramentum debet eſſe ceremonia exterior Religionis: atqui nihil tale occurrit in noſtro Matrimonio.

 Reſp.

Reſp. nego min. Ipſa enim externa & viſibilis conjunctio viri & mulieris, quæ per ſolemnia verba coram Eccleſiæ miniſtro fieri ſolet, nonne exterior eſt Religionis ceremonia?

Inſtabis 1. Quod in Sacramentis habet rationem ſigni, debet eſſe à Chriſto primùm inſtitutum: atqui mutuus contrahentium conſenſus verbis aut ſignis exteriùs manifeſtatus, non eſt ſignum à Chriſto primùm inſtitutum, erat enim ante Chriſtum talis contractus conjugalis.

Reſp. diſt. maj. Debet eſſe à Chriſto primum inſtitutum, in ratione ſigni efficacis & practici, ſeu in ratione veri Sacramenti, concedo; in ratione ſigni ſimpliciter, nego. Quod enim jam erat ſignum, potuit à Chriſto aſſumi ut eſſet Sacramentum; ſicut quod antea ſignum non erat, aſſumi potuit ut ſignum eſſet. Sic Deus iridem quæ ante diluvium erat, ſed ſignum non erat, in ſignum erexit atque inſtituit poſt diluvium Gen. 9. Pariter mutuus contractus conjugalis qui ante Chriſtum erat nudum ac ſimplex ſignum, à Chriſto evectus eſt ad dignitatem veri Sacramenti.

Inſtabis 2. In omni Sacramento tria vulgò diſtinguunt noſtri Scholaſtici, nempe Sacramentum tantùm, rem Sacramenti, & rem ac Sacramentum ſimul: atqui in Matrimonio tria hæc diſtingui non poſſunt.

Reſp. nego min. Namque actus contrahentium ſunt Sacramentum tantùm; gratia verò eſt effectus ſeu res Sacramenti; vinculum autem quod reſultat ex mutua contrahentium pactione atque perpetuum eſt, ſimul & Sacramentum & res eſt Sacramenti.

Objicies 4. Uſus conjugii eſt pars Sacramenti; ergo gratiam confert: at hoc abſurdum planè videtur.

Reſp. nego maj. uſus enim ille eſt quidem officium, ſed non eſt pars aut eſſentialis, aut etiam integralis Sacramenti. Gratia quidem conceditur ad illum uſum intra terminos Chriſtianæ modeſtiæ & caſtitatis retinendum; at uſus ipſe gratiam non confert, tanquam pars Sacramenti.

Objicies 5. Unum Sacramentum non pugnat cum alio Sacramento, cùm ſint ab eodem auctore Chriſto: atqui Matrimonium pugnat cum Sacramento Ordinis, non poteſt enim in uno eodemque homine ſimul eſſe utrumque iſtud Sacramentum; ergo &c.

Reſp. nego min. Ad probationem, dico cauſam hujus incompatibilitatis non oriri ex aliqua pugna quæ ſit inter Sacramentum Ordinis & Matrimonium, ſed ex ſtatu ſeu conditione eorum qui ſacris ordinibus ſunt initiati, qui cùm voto ſe obſtrinxerint ad ſervandam continentiam, ſunt omnino inhabiles facti jure eccleſiaſtico ad contrahendum Matrimonium.

Objicies 6. In omni Sacramento novæ Legis diſtingui poteſt materia, forma, & miniſter: atqui nihil tale poteſt aſſignari in Matrimonio; ergo &c.

Reſp. nego min. Quamquam enim diſcordes ſint inter ſe noſtri Theologi in iis aſſignandis, aſſignant tamen aliquid quod in hoc Sacramento rationem habeat materiæ & formæ; aſſignant pariter miniſtrum, ſive ſit ipſe Sacerdos, ſive ſint ipſi contrahentes, quam quæſtionem ſolvemus poſtea.

Objicies 7. Nonnulli ex noſtris Theologis negant Matrimonio annexam eſſe gratiam ſanctificantem. Ita Magiſter Sententiarum, & Durandus locis antè notatis: ita pariter nonnulli Canoniſtæ, quos ipſe appellat Durandus.

Reſpondent aliqui ex noſtris, opinionem Magiſtri & Durandi excuſari poſſe

&be-

& benignè explicari. Magiſtri quidem, qui abſolutè non negavit per Matrimonium gratiam conferri, ſiquidem illud veris Legis evangelicæ Sacramentis accenſuit; ſed hoc unum videtur ille contendere, nempe gratiam, quæ propria eſt Matrimonii, magis eſſe in remedium concupiſcentiæ, ſeu ad fugiendum malum; quàm ad poſitivam juſtificationem, qualem confert v.g. Baptiſmus vel Pœnitentia. Durandus verò videtur illis rem aſſertivè non propoſuiſſe, ſed dubitanter, & inquirendo.

Reſpondent alii, & noſtro quidem judicio meliùs, abſque præjudicio rei catholicæ, deſeri hìc poſſe Magiſtrum & Durandum, ex quorum judicio atque ſententia, ut & privatorum quorumcunque, æſtimari non debet veritas catholici dogmatis, ſed ex communi SS. Patrum Traditione, Conciliorum Decretis, ac publicis fidei profeſſionibus ab Eccleſia univerſa receptis & approbatis. Interim exponendæ ſunt ac ſolvendæ difficultates quas objicit Durandus.

Solvuntur Objectiones Durandi.

Objicit 1. Sacramentum novæ Legis ſtrictè & propriè ſumptum eſt ſignum non ex natura ſua, ſed ex inſtitutione divina: atqui Matrimonium natura ſua ſignum eſt, unionis ſcilicet indiſſolubilis quæ eſt inter conjuges.

Reſp. nego min. mutuus enim contrahentium conſenſus ex divina inſtitutione non ſuapte natura ſignificat 1. unionem Chriſti cum Eccleſia. 2. gratiam per quam animi & voluntates conjugum uniuntur inter ſe. 3. ipſum firmum, perpetuum & conſtantem conjugii nexum. Quamquam enim mutuus conſenſus aut mutua traditio corporum ex ſe quamdam habeat inchoatam ſaltem ad ea tria ſignificanda proportionem, ſicut habet v.g. aqua in Baptiſmo ad ſignificandam animæ munditiem, ea tamen actu ſignificare ſive ſpeculativè, ſive practivè non poteſt, ſine ſpeciali Chriſti inſtitutione.

Objicit 2. Cætera Sacramenta conſiſtunt in re aliqua ſacra quæ applicatur extrinſecus à miniſtro; at nihil tale deprehenditur in Matrimonio; ergo &c.

Reſp. 1. ad eſſentiam Sacramenti non pertinere quòd ſit res ſeu ſubſtantia quædam quæ applicetur ſuſcipienti, ſicuti v.g. eſt aqua in Baptiſmo, oleum in Confirmatione: ſiquidem in Pœnitentia, quam non negat Durandus eſſe verum Sacramentum, nulla occurrit res exterior ſeu ſubſtantia quæ pœnitenti applicetur; totum enim iſtud Sacramentum conſtat eſſentialiter actibus pœnitentis, & abſolutione Sacerdotis. Igitur ad eſſentiam Sacramenti ſatis eſt ſi occurrat ſignum aliquod exterius & ſenſibile, ſive res ſit & ſubſtantia quædam, ſive actio exterior. Unde

Reſp. 2. nego min. In Matrimonio quippe mutuus contrahentium conſenſus ſignum eſt exterius; atque inter Chriſtianos ritu ſacro & legitimo celebratus, rationem habet & efficaciam veri Sacramenti.

At, inquit Durandus, mutuus ille conſenſus non applicatur ſuſcipienti Matrimonium, ſicut in aliis Sacramentis applicatur res ſacra per miniſtrum Eccleſiæ; namque ipſimet contrahentes ſibi invicem adminiſtrant Matrimonium.

Reſp. difficultatem hanc ſpectare quæſtionem de miniſtro Matrimonii, de qua paulò poſt. Interim dicimus hanc Durandi inſtantiam parum urgere: ſi enim Sacerdos eſt miniſter, ut multis placet, objectio locum non habet; Sacramentum enim per Eccleſiæ miniſtrum confertur viro & mulieri

fieri exteriùs contrahentibus: ſi verò ipſi contrahentes ſunt miniſtri, dicemus iſtud peculiare eſſe ac ſingulare Matrimonio, Deo ita ſtatuente. Neque inde licet inferre, Matrimonium non habere univocam cum aliis Sacramentis rationem; Chriſtus quippe Sacramenta, ut voluit, inſtituit. Sic in Baptiſmo voluit materiam eſſe elementum naturale; in Confirmatione, non elementum, ſed ſubſtantiam aliquam; in Pœnitentia, nec elementum, nec ſubſtantiam, ſed actus pœnitentis: an inde rectè concluditur, Sacramenta hæc inter ſe unica ratione Sacramenti non convenire? minimè profectò. Ita de Matrimonio ſentiendum.

Objicies 3. Matrimonium non confert gratiam; ergo non eſt verum Sacramentum.

Antecedens probat Durandus. 1. Quia non confert primam gratiam; non enim inſtitutum eſt in remiſſionem peccatorum, ſicut Baptiſmus & Pœnitentia. 2. Non confert ſecundam gratiam, hoc eſt augmentum gratiæ primæ juſtificantis: quia ſi ſecundam conferret gratiam, ſequeretur fore ut iis, qui antea in gratia Dei continentiam & caſtitatem ſervabant, ſi contraherent Matrimonium, relicto ſtatu perfectiori continentiæ, augeretur gratia, quod, inquit Durandus, credibile non eſt; potius enim videtur fore, ut eis minueretur gratia magis quàm augeretur, cùm à perfectiori ſtatu ad imperfectiorem deficerent.

Reſp. nego ant. Ad probationem, quæ mera eſt argutia, reſpondet Bel-

T. 3. p. 506. H. larminus Lib. 1. de Matr. cap. 5. *per Matrimonium conferri gratiam quæ prima & ſecunda dici poteſt. Nam etſi hoc Sacramentum non ſit principaliter inſtitutum ad remittenda peccata, ea tamen remittere poteſt eo modo quo à Sacramentis Euchariſtiæ, Confirmationis & Ordinis, remittuntur: & ſiquidem id fiat, erit prima gratia; ſin autem, erit ſecunda.*

Neque obſtat, quòd continentia ſit excellentior Matrimonio. Nam aliud eſt comparare ſtatum cum ſtatu, aliud ſtatum cum Sacramento: ſtatus continentiæ altior eſt & perfectior ſtatu Matrimonii & majoris gratiæ ac meriti; Sacramentum nihilominus ſemper auget gratiam, in quocunque ſtatu ſuſcipiatur. Quare continens, dum contrahit Matrimonium, creſcit in gratia: ſed ſi idem continens propter Deum nuptias humanas contempſiſſet, plùs gratiæ apud Deum inveniſſet, quàm ſit illa, quæ per Sacramentum Matrimonii datur. Ita Bellarminus.

Objicit 4. In Matrimonio contrahentes de pecunia & dote paciſcuntur, quod tamen minimè liceret, ſi eſſet Sacramentum conferens gratiam, eſſet quippe manifeſtum ſimoniæ peccatum.

Reſp. pactum illud non ſpectare Matrimonium, quatenus Sacramentum, ſed quatenus contractus eſt civilis, atque referri ad onera Matrimonii, non ad gratiam Sacramenti.

Objicit 5. Abſque Baptiſmo nemo capax eſt Sacramenti: atqui Infideles ſine Baptiſmo poſſunt contrahere Matrimonium.

Reſp. ut antea, Matrimonium Infidelium non eſſe propriè Sacramentum, ſed impropriè & latiori ſignificatione.

Objicit denique: Nihil poteſt Eccleſia in ſubſtantias Sacramentorum: atqui tamen poteſt Eccleſia declarare nullum eſſe Matrimonium in certo gradu conſanguinitatis contractum, adeoque nullam facere ſubſtantiam Matrimonii; ergo Matrimonium non eſt Sacramentum.

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. equidem nihil poſſe Eccleſiam in ſubſtantiam Sacramentorum, mutando materiam vel formam; at poſſe in iis Sacramentis quorum materia conſiſtit in aliquo morali certas quaſdam leges ac conditiones præſcribere, quibus omiſſis inhabilis declaratur aut miniſter ad conferendum, aut ſuſcipiens ad percipiendum Sacramentum. Sic inhabiles ad contrahendum declaravit Conc. Trid. eos qui non contraherent coram proprio Parocho & teſtibus.

An quodlibet Fidelium Matrimonium ſit Sacramentum, itaut ratio contractus ſejungi & ſeparari non poſſit à ratione Sacramenti.

Senſus propoſitæ quæſtionis iſte eſt, utrum fieri poſſit eſſe inter Fideles Chriſtianos verum ac ratum in ratione contractus Matrimonium, quod tamen non ſit verum Sacramentum.

Negat Thomas Sanches Lib. 2. de Matrimonio diſput. 10. n. 6. ratus ex inſtitutione Chriſti rationem Sacramenti ſic alligatam eſſe nexu inſeparabili conjugali contractui, ut in poteſtate hominis non ſit eam divellere ac diſtrahere. Ad hanc opinionem accedit cum aliis non paucis Iſambertus noſter, de Sacramento Matrimonii diſput. 3. art. 3. propoſitione ultima. P. 549 E contra affirmat Baſilius Pontius L. 1. de Matr. cap. 9. Ratio præcipua hæc ipſi eſt, quòd contrahentes hujus Sacramenti miniſtri carere poſſint debita intentione adminiſtrandi Sacramentum, quo caſu valeret quidem Matrimonium, quatenus contractus eſt humanus & civilis, careret tamen dignitate & virtute Sacramenti. Opinionem hanc ſequuntur ex Theologis quotquot exiſtimant & Sacerdotem miniſtrum eſſe Sacramenti Matrimonii, & Matrimonium contractum per procuratorem ratum quidem eſſe in ratione contractus, ſed non eſſe verum Sacramentum. Ita Canus, Durandus, Cajetanus &c.

Obſerva, in præſenti argumento aliud eſſe teneri Fideles Chriſtianos eo ritu ita celebrare ſemper Matrimonium, ut ſit Sacramentum, ejuſque gratia frui poſſint; & aliud reipſa ita ſemper ab illis celebrari: prius verum eſt, non poſterius. Itaque ſit

CONCLUSIO.

Poteſt eſſe inter Fideles Chriſtianos ratum ac validum Matrimonium quoad fœdus & vinculum perpetuum, quod tamen non ſit verum & propiè dictum Sacramentum.

Probatur 1. Quia nulla ſatis firma in contrarium videtur opponi ratio theologica. Potiſſima hæc ſolet adduci, quòd nempe non ſit penes hominem ſeparare à contractu conjugali eam dignitatem quam Chriſtus inſtitutione ſua ipſi conceſſit perpetuò duraturam: at hæc ratio hoc tantùm attendenti demonſtrabit, ſcilicet, nec eſſe in poteſtate hominis efficere ut Matrimonium ritu legitimo celebratum non ſit inter Chriſtianos verum Sacramentum; nec Chriſtianos ritu nuptias inire debere, quàm qui neceſſarius eſt ut celebretur Sacramentum, quæ duo ultro concedimus. At longè aliud eſt, ut jam obſervavimus, ad aliquid teneri Chriſtianos, & illud ab ipſis ſemper obſervari. Tenentur quoties Matrimonium contrahunt, eo ritu contrahere, qui verum efficiat Sacramentum, & penes ipſos non eſt efficere,

ut

ut eo ritu legitimè poſito non ſit verum Sacramentum; at reipſa ritum hunc non ſemper obſervant. Valet tamen initum Matrimonium in ratione contractus humani & civilis quoad fœdus & vinculum: quemadmodum vice verſa valere poſſet Matrimonium in ratione Sacramenti coram Deo & Eccleſia, quod tamen nullum foret in ratione contractus civilis, quoad effectus civiles & temporales, prolis ſcilicet legitimationem, dotem, ſucceſſionem & alia hujuſmodi; ſi nempe Matrimonium illud ritu legitimo Eccleſiæ celebratum quidem fuiſſet, verùm contra legem Principis tale Matrimonium prohibentis ſub tali pœna civili & temporali.

Probatur 2. Quia patebit ex dicendis poſtea, Sacerdotem eſſe hujus Sacramenti miniſtrum, atque verba quibus contrahentes in Matrimonium conjungit, eſſe formam. Ex qua opinione ſequitur 1. Matrimonia clandeſtina quæ ante Decretum Tridentinum celebrata ſunt, vera & rata fuiſſe quoad contractum ex quo reſultat nexus indiſſolubilis; non autem vera fuiſſe Sacramenta, cùm nec per miniſtrum Eccleſiæ, nec forma conſueta adminiſtrata fuerint. Sequitur etiam poſt Conc. Trid. Matrimonium quod contrahitur præſente quidem Parocho, ſed benedictionem nuptialem recuſante, validum eſſe quoad fœdus & vinculum, non tamen verum eſſe Sacramentum. Separari igitur poteſt inter Fideles Chriſtianos à Matrimonio ratio contractus, & ratio Sacramenti, ita ut validum ſit Matrimonium ratione contractus, quamquam non ſit verum Sacramentum efficiens ſanctificantem gratiam: quoties nempe non celebratur eo ritu ſacramentali quem Chriſtus inſtituit, & uſurpat Eccleſia. Qui verò inter Theologos ſeu veteres ſeu recentiores, (pauci autem non ſunt) exiſtimant ipſos contrahentes miniſtros eſſe Sacramenti Matrimonii, illi conſequenter docent, à contractu rato & legitimo disjungi non poſſe veram Sacramenti rationem; ac Matrimonium clandeſtinum, ante Concilium Tridentinum verum fuiſſe Sacramentum, de qua quæſtione nihil hactenus Eccleſia pronuntiavit.

An Matrimonium inter Fideles Chriſtianos abſentes per procuratorem contractum ſit verè Sacramentum.

Obſerva 1. uſu Eccleſiæ recepto poſſe validè contrahi Matrimonium inter abſentes, per procuratores: qui enim abſentes ſunt, tam certò poſſunt conſenſum ſuum mediis internuntiis ſignificare, ac ſi præſentes forent.

Obſerva 2. in procuratoribus has Jure canonico deſiderari conditiones, ut poſſint aliorum nomine Matrimonium celebrare.

Prima eſt, ut procurator habeat ſpeciale mandatum ad Matrimonium contrahendum; nec ſufficeret generalis deputatio ad procuranda & gerenda
P. 294. negotia mandantis. *Procurator*, ait Bonifacius VIII. Cap. *Procurator. De pro-*
n. 30. *curatoribus*, in Sexto, *non aliter cenſetur idoneus ad Matrimonium contrahendum, quàm ſi ad hoc mandatum habuerit ſpeciale*.

Secunda eſt, ut procurator illud onus per ſeipſum exequatur, dempta ipſi facultate alium in ſui locum ſubſtituendi. *Et quamvis aliàs* (pergit ibid. S. Pontifex) *is qui conſtituitur ad negotia procurator, alium dare poſſit; in hoc tamen caſu (propter magnum, quod ex facto tam arduo poſſet periculum imminere) non poterit deputare alium, niſi hoc ei ſpecialiter ſit commiſſum*.

Tertia

Tertia conditio eſt, ut procurator non ſit revocatus, quo tempore contrahit alterius nomine Matrimonium. *Si procurator, antequam contraxerit*, ait ibidem Bonifacius VIII. *à domino fuerit revocatus, contractum poſtmodum Matrimonium ab eodem (licèt tam ipſe, quàm ea, cum qua contraxit, revocationem hujuſmodi penitus ignorarent) nullius momenti exiſtit, cùm illius conſenſus defuerit, ſine quo firmitatem habere nequit.*

Quarta conditio eſt, ut mandatum illud ſit ad contrahendum cum certa perſona; nec ſufficit hæc clauſula, *ad contrahendum cum quacunque*, ut patet ex lege generali *Digeſtis. De ritu nuptiarum.*

Quinta, ut procurator non excedat fines ſui mandati: ſi enim eos excederet, non præſumitur mandans conſentire, adeoque nullus foret contractus, ut habetur lege *Diligenter*. Digeſtis. *Mandati.*

Sexta denique, ut procurator contrahat obſervato ritu quem præſcribit Synodus Tridentina, ut nempe coram Parocho & teſtibus celebret conjugium; aliàs nullum futurum & irritum, in iis ſaltem locis in quibus viget Decretum Tridentinum.

Quid ſi contingat mandantem poſt datum mandatum in phreneſim vel amentiam cadere, an ſtabit conjugium ea perſeverante per procuratorem contractum?

Reſpondet Sanchez L. 2. de Matr. diſput. 11. n. 12. ſtare ejuſmodi conjugium: *Quia*, inquit, *virtute manet prior conſenſus, cùm non ſit revocatus; perinde ac Baptiſmus furiæ tempore receptus, petitus ante furiam, validus eſt.* Cap. *Majores. De Baptiſmo.* Idem aſſerit Joan. Cabaſſutius Juris canon. Theoria & praxis L. 3. c. 19. *Non enim*, inquit, *requiritur, ut qui mandavit ratione utatur, dum procurator mandatum exequitur: alioqui ſi tunc temporis dormiret ac ebrius eſſet, dicendum quoque eſſet, irritum eſſe id omne, quod à procuratore gereretur, quatenus qui mandaverat, jam uſu rationis caret; ſufficit enim quòd rationis compos mandaverit, & procurator ipſe, dum exequitur, ratione utatur.* Edit. Lugd. 1621. p. 125.

Reſpondet Pontius Lib. 2. de Matr. c. 15. n. 14. non valere: *Quia*, inquit, *pro forma & cauſa contractus eſt conſenſus expreſſus per verba procuratoris: at eo tempore impoſſibilis eſt conſenſus, ergo nullum Matrimonium. Adde, ſi moreretur mandans, eo tempore nihil ageret procurator, ipſa enim morte ceſſaret conſenſus; ergo etiam amentia, quæ æquiparatur morti quoad conſenſum. In quo*, pergit auctor ille, *videtur longè diverſam eſſe rationem de mandante, ſi in amentiam incidat, aut ſi dormiat: ille enim incapax eſt habendi conſenſum, hic verò minimè. Neque ſimile eſt quòd Baptiſmus petitus ante amentiam, validè conferatur in amentia: nam ut Baptiſmus effectum habeat, ſatis eſt voluntatem præceſſiße, neque revocatam; eo enim ipſo poſita materia & forma ponitur effectus: at in Matrimonio neceſſarius eſt affectus perſeverans, etiam in ipſo fieri contractus.* Ita Pontius.

His præmiſſis, varia eſt Theologorum ad propoſitam quæſtionem reſponſio.

Prima negat Matrimonium inter abſentes contractum per procuratorem, verum eſſe Sacramentum. Ita Durandus in 4. diſt. 26. q. 3. n. 11. Cant. num. 8. de Locis cap. 5. ad 3. Cajetanus To. 1. Opuſculorum Tractatu 12. qu. 2. ad quos inter recentiores accedere videtur Eſtius in 4. diſt. 29. paragr. 5. Fundamenta hujus ſententiæ iſta ſunt.

I. Quia perficere vel recipere aliquod Sacramentum, importat perſonalem actum.

II. Quia

II. Quia verba iſta, *Ego te accipio in meam*, *vel in meum*, videntur exprimere perſonam præſentem quæ loquitur: idcirco etenim non poteſt conſecrari abſens hoſtia, aut abſolvi pœnitens abſens, quia in forma conſecrationis Euchariſtiæ adhibetur pronomen demonſtrativum, *hoc*, quo materia præſens denotatur; & in forma abſolutionis exprimitur perſona quæ abſolvitur, *Ego te abſolvo*. At pariter in forma qua conjuges in Matrimonium conjunguntur, Sacerdos ait: *Ego vos conjungo*. Vel ſi dicas contrahentes eſſe miniſtros, quilibet eorum ait, *Ego te accipio in meum*; &, *Ego te accipio in meam*.

III. Quia etſi Sacramento Pœnitentiæ, quatenus eſt quoddam judicium, non repugnet perfici inter abſentes, repugnat tamen ea præſertim de cauſa quòd Sacramentum ſit. Eſto pariter, non repugnet Matimonio, quatenus contractus eſt, perfici inter abſentes per procuratorem, repugnabit ſaltem eidem quatenus eſt Sacramentum.

Quia aliàs fieri poſſet ut qui dormiret, vel peccaret, vel gratiam Sacramenti perciperet: ſi nempè quo tempore procurator contrahit, ille cujus nomine contrahit, dormiret & eſſet in ſtatu peccati mortalis, quo caſu peccaret actu mortaliter percipiendo indignè Sacramentum; vel ſi eſſet in ſtatu gratiæ, dormiendo ſacramentalem Matrimonii gratia perciperet, quæ duo videntur his Theologis planè abſurda.

V. Quia Sacramentum eſt cauſa phyſica gratiæ: at Matrimonium per procuratorem contractum non poteſt eſſe cauſa phyſica, quia nempè conſenſus eorum, quorum nomine contrahitur, eſt materia & forma hujus Sacramenti; conſenſus verò ille non amplius phyſicè ſubſiſtit, ſed effluxit.

VI. denique, quia Doctores oppoſitæ ſententiæ fatentur laudabile eſſe, imò neceſſarium, ſi poſtea in præſentia renovetur conſenſus: at ſi prius Matrimonium fuiſſet Sacramentum, ſacrilegum foret illud iterare, cùm non adſit nova vel materia, vel forma.

Secunda reſponſio quæ eſt Catharini contra Cajetanum Lib. 5. cap. 3. Dominici Soto in 4. diſt. 27. q. 1. art. 3. Navarri in Caput *Fratres*. *De pœnitentia*, diſtinctione 5. n. 95. Iſamberti de Sacramento Matrim. diſput. 3. art. 4. & aliorum multorum, affirmat Matrimonium inter abſentes contractum per procuratorem eſſe verum Sacramentum, juxta quos ſit

CONCLUSIO.

Matrimonium inter abſentes Chriſtianos contractum ritu legitimo per procuratorem, verum eſt Sacramentum.

Probatur I. Quia cùm Eccleſia hujuſmodi Matrimonium ratum habet, non diſtinguit inter contractum & inter Sacramentum: contractus verò conjugalis ritu eccleſiaſtico celebratus verum eſt Sacramentum.

II. Quia Eccleſia de his Matrimoniis judicat; ergo non ſunt intra terminos puri contractus civilis, ſed habent aliqui ſacri & divini.

III. Quia in Matrimonio hujuſmodi nihil deſideratur eorum quæ ad verum Sacramentum ſunt neceſſaria, nempè Chriſti inſtitutio, materia & forma legitima, miniſter Eccleſiæ, Parochus ſcilicet coram quo ex Decreto Tridentino celebrari debet Matrimonium ut ratum ſit ac firmum.

IV.

IV. Matrimonium eſt contractus quidam: ſed contractus rectè initur inter abſentes per procuratorem. Neque ratio Sacramenti quæ ad contractum accedit, mutat illius naturam; ſed ſervat integram, & ad meliorem ſortem evehit.

V. Favet Jus canonicum. Innoc. III. in cap. *Ex parte* 14. *De converſ. conjugatorum*. Bonifacius VIII. in cap. *Procurator.* in Sexto. Favet & uſus apud nos receptus, maximè verò inter viros principes ac primarios.

VI. denique, momenta prioris ſententiæ negantis adducta ſatis firma non videntur.

Non primum: Fatemur enim ad perſonam pertinere perficere vel recipere Sacramentum: at in Matrimonio, de quo loquimur, id locum habet; Sacerdos enim tanquam miniſter Eccleſiæ perficit, mandantes verò, quorum conſenſum procurator exhibet, verè percipiunt Sacramentum, non ipſe procurator, qui tantùm eſt inſtrumentum: unde non peccat, ſi dum contrahit alterius nomine, conſcius ſibi ſit alicujus mortalis culpæ.

Non ſecundum: Ex uſu enim recepto in Matrimonio quod per procuratorem celebratur, verba hæc, *Ego accipio in meam*, aut *in meum*, ſignificant non procuratorem, ſed mandantem, cujus nomine loquitur. Ita fert communis uſus in contractibus qui aliorum nomine per procuratores ineuntur. Confirmari poteſt ſumpto argumento à forma conſecrandi Euchariſtiam, in qua cùm celebrans repræſentet Chriſtum Dominum, rectè ait, *Hoc eſt corpus meum. Hic eſt ſanguis meus*, licèt non ſit proprium corpus & proprius ſanguis Sacedotis loquentis, ſed Chriſti Domini, cujus vices agit, ac repræſentat perſonam. Ad exempla adducta hoſtiæ quæ debet eſſe præſens ut conſecretur, & pœnitentis qui pariter debet eſſe præſens ut abſolvatur, facilè reponitur. Ad primum: Sicut hoſtia qua conſecratur debet phyſicè eſſe præſens, ita conſenſus illorum quorum nomine procurator contrahit, debet moraliter adeſſe, ſicut de facto præſens exhibetur & ſignificatur per procuratorem. Ad ſecundum: Oſtendimus in Tractatu de Pœnitentia, non eſſe contra naturam hujus Sacramenti ut inter abſentem miniſtrum & pœnitentem perficiatur; adeoque valeret abſolutio abſenti data, niſi obſtaret Eccleſiæ prohibitio, quæ poteſt inhabiles declarare & Sacerdotes ad abſolvendum, & pœnitentes ad recipiendam abſolutionem, niſi ſint præſentes: eo enim in caſu Sacerdotes privat juriſdictione neceſſaria ad validè abſolvendum.

Atque hinc patet ſolutio ad tertium: Eccleſia quippe voluit eſſe irritum Sacramentum Pœnitentiæ inter abſentes, non verò Sacramentum Matrimonii.

Non quartum: Nihil enim videtur abſurdi, ſi qui mandatum dedit procuratori ad contrahendum, dormiens vel peccet mortaliter, vel percipiat gratiam Sacramenti, prout nempè affectus erit, quo tempore ipſius nomine Matrimonium contrahitur; itaut peccet mortaliter, ſi tunc temporis ſit in ſtatu peccati mortalis; vel percipiat gratiam, ſi ſit debitè præparatus ad illam percipiendam. Ratio eſt, quia conſenſus illius antea datus nec revocatus moraliter perſeverat & præſens eſt; ac ſufficit ut homo ille etiam dormiens Matrimonio jungatur, reus ſit peccati, vel gratiam Sacramenti percipiat: ſicut contingit in eo qui poſtquam ſuum de percipiendo Baptiſmo deſiderium ſignificavit, baptiſatur, vel dormiens, vel in phreneſim

Digitized by Google

ſim verſus; cenſetur quippe perſeverare conſenſus illius antea datus & cognitus.

Non quintum: Sacramenta enim non ſunt cauſæ phyſicæ, ſed morales dumtaxat gratiæ, ſicut manifeſtum eſt in Baptiſmo ficté ſuſcepto, qui recedente fictione operatur, etſi jam phyſicè tranſierit actio baptiſantis.

Non ſextum: In dubio etenim rectè conſulitur, & uſus obtinet, ut qui abſentes contraxerunt, renovent conſenſum, cùm præſentes erunt, coram Parocho benedictionem impertiente: ita omnis ſcrupulus & anxieatas amovebitur, nihil enim in præſenti quæſtione certum & definitum habemus ab Eccleſia.

An in Lege evangelica Matrimonium Infidelium inter ſe, vel Fidelis cum Infideli, aut Catechumeno, aut etiam Hæretico, ſit Sacramentum, & licitum.

Conſideramus hic Matrimonium quod contrahitur ab utroque conjuge Infideli, vel ab uno Fideli & altero Gentili, aut Catechumeno, aut etiam Hæretico, & quæritur.

I. an poſt Chriſtum licitum ſit, ratum & validum Matrimonium quod Infideles contrahunt inter ſe, & an ſit verum Sacramentum.

II. an Matrimonium Fidelis cum infideli ſit quoque Sacramentum, ſaltem ex parte Fidelis, ſicut exiſtimat Catharinus.

III. an Eccleſia prioribus ſæculis toleraverit Matrimonia Fidelium cum Infidelibus vel Catechumenis.

IV. an Eccleſia ſemper prohibuerit Matrimonia Chriſtianorum cum Infidelibus, tanquam illicita, propter adjunctum ſubverſionis periculum; & an jure ipſo divino poſitivo ſint illicita & prohibita.

V. an jure naturali & eccleſiaſtico illicita ſint Matrimonia Orthodoxorum cum Hæreticis.

PRIMA CONCLUSIO.

Verum eſt, ratum ac firmum Matrimonium inter Infideles legitimè contractum, non tamen Sacramentum, niſi ſenſu latiori ac improprio.

Dico legitimè contractum, id-eſt ſevera lege naturali, ac civili Principum, quibus ſubditi ſunt, contrahendi forma.

Probatur prima pars: Quia Infideles poſſunt contractum conjugalem inire inter ſe, qui, niſi aliqua lege Principum, quibus ſubditi ſunt, irritetur, ratus eſt ac firmus. Inde Apoſtolus 1. Cor. 7. v. 12. jubet ne Infidelis qui ad fidem convertitur, dimittat uxorem quam in infidelitate duxerat, ſi conſentiat illa pacificè habitare cum ipſo: at id non permitteret Apoſtolus, niſi ſupponeret verum & ratum fuiſſe quod præceſſerat Matrimonium. *Si quis fratres*, inquit, *uxorem habet infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo, non dimittat illam*. Ita pariter ſtatuit Innocentius III. Cap. *Gaudemus*, & *Quanto*. *De divortiis*. *Per Sacramentum Baptiſmi*, inquit, *non ſolvuntur conjugia, ſed dimittuntur peccata*.

Decret. ſ. 1559. n. 40.

Altera Concluſionis pars ex dictis antea manifeſta eſt, quibus adde neminem ante Baptiſmum capacem eſſe veri Sacramenti.

Majorem difficultatem patitur ſecunda quæſtio, utrum ſcilicet Matrimonium

nium Fidelis cum Infideli ſit Sacramentum. Ubi obſerva, quæſtionem in ea hypotheſi proponi, in qua per Eccleſiæ diſpenſationem liceret tale inire Matrimonium: certum quippe eſt, jam à multis ſæculis cultus diſparitatem unum eſſe ex impedimentis Matrimonium dirimentibus. Non igitur jure divino, nec conſequenter naturali, invalidum eſt Matrimonium Fidelis cum Infideli, & reipſa mox patebit, quinque prioribus ſæculis Eccleſiam ſaltem toleraſſe aliquarum mulierum ſanctarum contractas cum Infidelibus nuptias; ergo jure tantùm civili aut canonico ſubſequentibus temporibus nulla & irrita declarata ſunt, Legibus ſcilicet Valentiniani & Valentis L. 3. Cod. Theodoſ. tit. 15. & Lib. 9. tit. 54. ubi ejuſmodi connubia Chriſtianorum cum Infidelibus pœna capitis plectuntur. Quæ quidem Leges ita ſenſim obtinuerunt, ut ante duodecimum ſæculum, ejuſmodi conjugia ubique pro irritis haberentur, ut conſtat ex Magiſtro Sent. L. 4. diſt. 39. Rata igitur & valida præcedentibus ſæculis fuere, quamdiù nulla lege aut civili aut eccleſiaſtica irritata leguntur.

Exiſtimant igitur nonnulli cum Catharino & Dominico Soto, Matrimonium Fidelis cum Infideli Sacramentum eſſe, ſaltem ex parte conjugis Fidelis.

SECUNDA CONCLUSIO.

Nulla ſatis firma ratione demonſtratur, Matrimonium Fidelis cum Infideli ritu legitimo contractum non eſſe Sacramentum ex parte Fidelis.

Probatur 1. ex Apoſtolo 1. Cor. 7. v. 14. *Sanctificatus eſt vir infidelis per mulierem fidelem; & ſanctificata eſt mulier infidelis per virum fidelem*, quæ verba nos cum Maldonato ſuprà expoſuimus de ſanctitate ipſius Matrimonii, non de ſanctitate ſola perſonarum. Eundem textum in confirmationem Concluſionis adducit Catharinus. Reſpondet quidem Vaſques diſput. 2. de Matrimonio c. 10. ſolvens iſtud Catharini argumentum, non loqui Apoſtolum de Matrimonio quod contrahit Fidelis cum Infideli, ſed de illo quod fuerat contractum ab utroque conjuge Infideli, & quod diſſolvi non debere docet Apoſtolus, per converſionem unius ad fidem, modò pars altera conſentiat pacificè & ſine injuria creatoris habitare. Idem quoque reſpondet Eſtius in 4. diſt. 39. paragr. 2. in reſponſione ad 3. Verùm patebit textum Apoſtoli attentè legenti, nullum eſſe hujuſce reſponſionis fundamentum.

Probatur 2. Quia æquum non videtur ut quo tempore Eccleſia ſaltem toleravit, ob publicam utilitatem, Matrimonia Fidelium cum Infidelibus debitè contracta, Fideles privati fuerint Sacramento Matrimonii ejuſque fructu.

Probatur 3. Quia *nulla abſurditas eſt*, ait Dominicus Soto in 4. diſt. 28. q. 2. art. 2 in fine, *ſi dicatur eſſe Sacramentum ex parte viri, qui capax eſt illius recipiendi, non tamen ex parte feminæ quæ illius incapax eſt*. Et verò præcipua & ferè unica ratio adverſæ ſententiæ hæc eſt, tùm quia Matrimonium debet eſſe inter duas perſonas: ſicut ergo non poteſt eſſe contractus ex una parte, quin viciſſim ſit ex altera; ita pariter non poteſt eſſe Sacramentum ex parte unius, quin ſimul ſit ex parte alterius: at certum eſt ex parte Infidelis conjugis Matrimonium non eſſe verum Sacramentum; ergo neque ex parte Fidelis. Tùm quia materia hujus Sacramenti eſt mutuus conſenſus:

at

at conſenſus ille ex parte conjugis Infidelis non poteſt habere rationem materiæ ſacramentalis.

At duplex iſta ratio ſatis firma non videtur. Non prima: quia cùm uterque conjux ſit capax Matrimonii, quatenus contractus, neceſſe prorſus eſt ut contractus ille ſit mutuus ac reciprocus: econtra, cùm pars infidelis non ſit capax Sacramenti, ſicut pars fidelis, non repugnat conjugalem illum contractum eſſe Sacramentum ex parte unius, & non eſſe ex parte alterius. Non ſecunda: licèt enim conſenſus conjugis infidelis non ſit materia ſufficiens ut ipſe percipiat Sacramentum, eſt tamen materia ſufficiens ex parte fidelis: poteſt enim quis idonea materia erga ſeipſum carere ad Sacramentum cujus eſt incapax, & eam alteri ſufficientem exhibere, qui capax eſt percipiendi Sacramenti.

Quæres 1. an Infidelis qui ante Baptiſmum ſemel Matrimonio junctus fuit, & iterum mortua priori uxore poſt Baptiſmum alteram ducit, verè ſit bigamus & irregularis ad ſacros Ordines.

Reſp. variam eſſe Græcorum & Latinorum eam in rem diſciplinam: Græci verè bigamum non putant, nec irregularem: ſecus verò Latini, quia re vera duas ille ſucceſſivè uxores habuit.

Quæres 2. quid ſentiendum de Matrimonio quod duo apoſtatæ Religionis chriſtianæ apud Infideles ritu infideli contrahunt, an ratum ſit, & ſi ad Eccleſiam redierint, ſit iterandum.

Reſp. nullum illud eſſe, ac iterandum ſi ad Eccleſiam redeant. Ratio eſt quia cùm illi ſint baptiſati, legibus Eccleſiæ obſtricti tenentur, ac nullum eſt eorum conjugium quod ſecundùm Eccleſiæ leges non contrahitur.

TERTIA CONCLUSIO.

Eccleſia prioribus quinque ſæculis toleravit legitima Matrimonia Fidelium cum Infidelibus vel Catechumenis, ubi nullum aderat certum ſubverſionis periculum.

Probatur 1. exemplo ſanctarum mulierum quæ primis temporibus abſque ulla eccleſiaſtica cenſura Gentilibus nupſerunt.

Ipſo tempore Apoſtolorum Eunice Timothei mater fidelis erat, quam laudat S. Paulus 2. ad Timoth. 1. v. 5. & tamen nupſerat Gentili, teſte S. Luca Actorum *16.* v. 2.

Sancta Cæcilia virgo Romana Valerianum infidelem ſponſum habuit; ſancta pariter Monica Auguſtini mater virum duxit infidelem, referente ipſomet Auguſtino Lib. *9.* Confeſſ. c. *9.* ſancta Clotildis chriſtiana nupſit Clodovæo Francorum Regi ethnico, teſte Gregorio Turonenſi Lib. 2. Hiſt. cap. 28. Idem legere eſt de multis aliis piis ac chriſtianis mulieribus, Bertha, Dingonda, Theodelinda, quæ memorantur à Beda Venerabili Lib. 1. Hiſtoriæ Anglorum c. 25. & Lib. 2. cap. *9.*

Probatur 2. teſtimonio SS. Hieronymi & Auguſtini, qui non diſſimulant frequentiſſima fuiſſe ſuo tempore conjugia Fidelium cum Infidelibus.

T. 4. p. 2. p. 152. *Nunc*, inquit S. Hieronymus L. 1. contra Jovinianum, *pleræque junguntur Gentilibus*. Quod quidem improbat S. Auguſt. L. de fide & operibus c. 19.

c. 19. licèt tam uſitata ſua ætate teſtetur ejuſmodi connubia, *ut noſtris*, inquit, *temporibus, jam non putentur eſſe peccata, quoniam re vera in novo Teſtamento nihil inde præceptum eſt; & ideo aut licere creditum eſt, aut velut dubium derelictum*. Agnoſcit his verbis S. Doctor, in novo Teſtamento nullum extare contra hujuſmodi connubia præceptum. Tom. 6. p. 185. D.

Ante illos Tertullianus eundem viguiſſe morem teſtatur, quem totis impugnat viribus in Lib. ad uxorem. Toleravit ergo ſaltem quibuſdam in circumſtantiis Eccleſia, hujuſmodi mulierum piarum cum viris infidelibus cujugalia fœdera: neque tamen eas omnes in hoc peccaſſe, Eſtio concedimus; meritò enim præſumimus, omni prorſus ſemoto periculo ſubverſionis, & nonniſi injecta maxima ſpe promovendæ rei chriſtianæ, mulieres illas fideles ad tales nuptias convolaſſe. Hac etenim via utilitatis plurimùm Religioni chriſtianæ accedere poterat, ſive per converſionem Infidelium, quomodo Monica Patricium, Cæcilia Valerianum, Clotildis Clodovæum Chriſto acquiſivere; ſive gratiam, auctoritatem, & protectionem, qua viri Gentiles cauſam catholicam aut promovebant, aut ſaltem non lædebant, in gratiam ſcilicet ſuarum uxorum. Similibus de cauſis in veteri Lege Eſther Judæa nupſit Aſſuero idololatræ, Samſon Dalilæ Philiſteæ, quamquam lege generali Deuteronomii 7. v. 3. Deus prohibuiſſet ne filii Iſrael Matrimonio jungerentur cum Cananæis, cæteriſque alienigenis idololatris.

Toleraſſe pariter Eccleſiam Matrimonia Fidelium cum Catechumenis nondum baptiſatis, oſtendit manifeſtè priorum temporum neceſſitas, cùm nempè uſus invaluerat nonniſi tardè & ad provectam ætatem accedendi ad Baptiſmum; quod factitatum legimus à Conſtantino magno, Valentiniano juniore, S. Ambroſio & aliis benè multis. Hoc ſenſu Conc. Agathenſe an. 506. Can. 67. ſic ſtatuit: *Quoniam*, inquit, *non oportet cum omnibus Hæreticis miſcere connubia, & vel filios vel filias dare, ſed potius accipere; ſi tamen profitentur Chriſtianos futuros ſe & Catholicos*. Videntur Patres illi Hæreticorum nomine Infideles etiam complecti, ſiquidem Chriſtianos & Catholicos diſtinguunt, Hæretici autem ſunt Chriſtiani. Itaque, juxta Decretum iſtud Agathenſe, Fidelis poteſt cum non Chriſtiano ſeu Infideli conjugio copulari, ſi promittat ille ſe futurum Chriſtianum: atqui tales erant Cathecumeni Baptiſmatis candidati; ergo Fidelium cum Catechumenis connubia ſaltem toleravit prioribus temporibus Eccleſia. Tom. 4. Conc. p. 1394 B.

QUARTA CONCLUSIO.

Eccleſia generatim ſemper prohibuit Matrimonia Chriſtianorum cum Infidelibus, propter adjuncta pericula: an verò ipſo jure divino poſitivo ſint illicita & prohibita, res videtur incerta & dubia.

Prima pars Concluſionis probatur 1. ex Apoſtolo 1. Cor. 7. v. 40. ubi de vidua chriſtiana dicit: *Cui vult nubat, tantùm in Domino*; id eſt, Chriſtiano. Sic interpretantur Tertull. L. 2. ad uxorem c. 2. S. Hieronymus: L. 1. contra Jovinianum c. 5. Auctor Commentariorum in Epiſtolas S. Pauli, Theodoretus &c. 2. Corinth. 6. v. 14. *Nolite*, ait idem Apo-

ſtolus, *jugum ducere cum infidelibus: quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate? aut quæ ſocietas lucis ad tenebras?* Quæ verba de Matrimonio cum Infideli non contrahendo exponunt SS. Cyprianus L. 3. teſtimoniorum ad Quirinum, Hieronymus L. 1. contra Jovinianum c. 5. Chryſoſtomus & Theodoretus in hunc locum. Dubium quidem eſt inter Theologos, an Dei mandatum, an ſuum dumtaxat vel conſilium vel mandatum eò loci exprimere voluerit Apoſtolus: ſed ea jam ſepoſita lite, de qua mox, ſaltem his verbis efficitur, votum Apoſtoli eſſe, ut Fideles chriſtiani abſtineant à nuptiis cum Infidelibus contrahendis.

Probatur 2. multis Conciliorum Canonibus, quibus prohibentur ejuſmodi nuptiæ. Ita Conc. Eliberitanum Can. 15. *Propter copiam puellarum,* inquit, *Gentilibus minimè in Matrimonium dandæ ſunt virgines chriſtianæ, ne ætas in flore tumens, in adulterio animæ reſolvatur.* Et Can. 16. *Sed neque Judæis neque Hæreticis dare placuit; eo quòd nulla poſſit eſſe ſocietas Fidelis cum Infideli. Si contra interdictum fecerint parentes, abſtineri per quinquenium placet.* Similis prohibitio legitur facta à Concilio Laodiceno Can. 10. Carthaginenſi III. Can. 12. Chalcedonenſi œcumenico Can. 14. Agathenſi Can. 67. Burdigalenſi anno 1583. cap. 15. & aliis benè multis.

Tom. 1. Conc. p. 972. D.

Cauſam & rationem hujus prohibitionis repetunt ex graviſſimis periculis quibus ſubjacere ſolent ejuſmodi connubia, quo fit ut jure naturali prohibita ſint; tenetur etenim quiſque, ipſa dictante Lege naturæ, tùm ſuæ, tùm prolis incolumitati ac ſaluti conſulere. 1. propter periculum ſubverſionis in fide. *Non ingrediemini ad eas* (filias Gentilium) *certiſſimè enim avertent corda veſtra ut ſequamini deos earum*, ait Deus L. 3. Regum cap. 11. v. 2. Eadem ratio indicatur Deuteronomii 7. v. 3. 2. propter periculum perverſæ educationis filiorum. 3. propter rixas & contentiones quæ in Religionis cauſa ardentiores ſunt & frequentiores. 4. propter impedimenta quæ maritus infidelis opponet exercitiis Pietatis chriſtianæ quæ mulier fidelis obire tenetur, quæ incommoda vividè exponit ac urget Tertullianus L. 2. ad uxorem cap. 2. Multa in rem eandem adduci hìc poſſent SS. Patrum teſtimonia, unus ſufficiet S. Ambroſius Epiſtola 19. quæ eſt ad Vigilium, aliàs 23. *Nihil gravius*, inquit, *quàm copulari alienigenæ, ubi & libidinis & diſcordiæ incentiva, & ſacrilegii flagitia conflantur. Nam cùm ipſum conjugium velamine ſacerdotali & benedictione ſanctificari oporteat, quomodo poteſt conjugium dici, ubi non eſt fidei concordia? Cùm oratio communis eſſe debeat, quomodo inter diſpares devotione poteſt eſſe conjugii communis charitas? Sæpe plerique capti amore feminarum fidem ſuam prodiderunt.* Et L. 1. de Abraham c. 9. *Cum ſancto*, inquit, *ſanctus eris, & cum perverſo perverteris. Si hoc in aliis, quantò magis in conjugio, ubi una caro & unus ſpiritus eſt? Quomodo autem poteſt congruere charitas, ſi diſcrepet fides? Et ideo cave Chriſtiane, Gentili aut Judæo filiam tuam tradere. Cave Gentilem aut Judæam atque alienigenam, hoc eſt, Hæreticam & omnino alienam à fide tua, uxorem accerſas tibi.*

Tom. 1. p. 844. n. 7.

Tom. 1. p. 303. B.

Licèt verò generatim loquendo pericula hæc annexa ſint ejuſcemodi connubiis, adeoque generatim hæc prohibita ſint, nihilominus quia fieri poteſt, & aliquando contingit, ut iis periculis careant in certis circumſtantiis, inde potuere aliquando, illæſa conſcientia, ita permittente vel ſaltem tole-

tolerante Eccleſia, Fideles Matrimonio jungi cum Infidelibus, ut diximus ſuperiori Concluſione: neque verò neceſſe eſt, ut caſus illos peculiares exceperint in ſua prohibitione Canones, lèx quippe attendit potiſſimùm ad id quod vulgò & communiter contingit, non ad caſus ſingulares.

Secunda pars Concluſionis probatur teſtimonio S. Auguſtini Lib. de fide & operibus cap. 19. ubi ait *S. Cyprianum in Epiſtola de lapſis inter malos Chriſtianorum mores computare, jungere cum Infidelibus vinculum Matrimonii, quod nihil aliud eſt, aſſerebat, quàm proſtituere Gentilibus membra Chriſti: quæ noſtris temporibus,* (pergit S. Auguſtinus) *jam non putantur eſſe peccata, quoniam re vera in novo Teſtamento nihil inde præceptum eſt; & ideo aut licere creditum eſt, aut velut dubium derelictum.* Quod confirmat ibid. S. Doctor aliquibus aliis exemplis rei incertæ, nec ſatis liquido per Scripturam definitæ. Idem rurſus teſtatur L. 1. de adulterinis conjugiis cap. 25. ubi exponens iſta verba Apoſtoli. *Cui voluerit nubat, tantùm in Domino. Quod,* inquit, *duobus modis accipi poteſt; aut Chriſtiana permanens, aut Chriſtiano nubens. Non enim tempore Teſtamenti revelati novi, in Evangelio vel ullis Apoſtolicis litteris ſine ambiguitate declaratum eſſe recolo, utrum Dominus prohibuerit Fideles cum Infidelibus jungi. Quamvis B. Cyprianus inde non dubitet, nec in levibus peccatis conſtituat, jungere cum Infidelibus vinculum Matrimonii.* Igitur, judice S. Auguſtino, res hæc obſcura eſt ac dubia, atque inde nata varia interpretatio iſtorum Apoſtoli verborum, *tantùm in Domino.* Tom. 6. p. 385. C. Ib. pag 402. F.

Et certè nihil eſt apud Apoſtolum ex quo neceſſariò inferri debeat, jure divino ac præcepto poſitivo prohibita eſſe conjugia Chriſtianorum cum Infidelibus, ſecluſo ſubverſionis periculo: (eo enim tanquam certo ſuppoſito, dubio procul, jure ac præcepto tùm naturali, tùm divino, tùm eccleſiaſtico poſitivo prohibentur) nihil, inquam, eſt ex quo illud debeat neceſſariò inferri.

Non ex iſtis verbis, *nubat tantùm in Domino*; quia eorum non una eſt apud Veteres interpretatio, ut obſervatum antea fuit, cùm demonſtrabamus ex Scripturis; Matrimonium eſſe Sacramentum habens annexam gratiæ promiſſionem.

Non etiam ex iſtis, *Nolite jugum ducere cum Infidelibus*: dici enim poteſt eò loci Apoſtolum ſpeciatim non loqui de jugo matrimoniali, de quo nulla eo in capite mentio, ſed generatim eum prohibere ne Chriſtiani nimia ſua conſuetudine & commercio cum Gentilibus, eorum promoveant & adjuvent errores; hoc enim propriè ſignificat vox greca ἑτεροζυγοῦντες, id eſt, *adjutores Infidelium*, ait Maldonatus de Matrimonio parte 3. q. 2. metaphora ducta à jugo boum, qui ad idem onus trahendum alligantur. Et verò ſi ex iſtis verbis probaretur, jure ac præcepto divino ex ſeſe illicita eſſe Matrimonia Chriſtianorum cum Infidelibus, irrita quoque & nulla eſſe ex iiſdem poſſet inferri, quod tamen directè pugnat cum doctrina Apoſtoli 1. Corinth. 7. v. 12. & 13. p. 406. C.

Non etiam ex verbo, *nolite*: eò quippe non ſemper præceptum, ſed aliquando etiam conſilium ſignificat Apoſtolus. 1. Cor. 7. v. 27. *Alligatus es uxo[illegible] quærere ſolutionem*: quo certè loco conſilium dat, non præcep[illegible]itur non immeritò poſſet, his verbis, *Nolite jugum ducere cu[illegible]*[illegible]poſtolum non præceptum, ſed conſilium dediſſe. Ration[illegible]imè videtur afferre Dominicus Soto in 4. diſt. 17. q. 3.

art. 1. *Quòd Apoſtoli*, inquit, *non erat tantùm Apoſtoli, verùm etjam & Eccleſiæ Rectores & Paſtores, ſicut modò eſt ſummus, & reliqui Pontifices; undè quatenus Apoſtoli, utebantur ſpiritu prophetico, quo ſacram Scripturam condebant; ſed quatenus Paſtores & Prælati, ſtatuebant in Concilio leges, ut Act.* 15. *& conſilia dabant, ut* 1. *Cor.* 7. *Paulus, Præceptum Domini non habeo, conſilium autem do.*

QUINTA CONCLUSIO.

Illicita ſunt, non tamen nulla, jure naturali & eccleſiaſtico, Matrimonia Orthodoxorum cum Hæreticis legitimè contracta, id eſt ſervatis Eccleſiæ legibus: an verò per diſpenſationem licita fieri poſſint, diſputant Theologi.

I. illicita eſſe ejuſmodi connubia, demonſtrant eædem planè cauſæ & rationes quibus Concluſione quarta mox vidimus non licere Chriſtianis jungi cum Infidelibus fœdere conjugali, ob præſentia nimirum pericula ſeductionis, perverſæ prolis educationis, rixarum ac contentionum, & aliorum hujuſmodi. *Cùm enim* inquit Eſtius in 4. diſt. 39. paragr. 4. *hæreſis ſit peſſimum infidelitatis genus, eo minùs conjugia cum Hæreticis permitti debent, quo & periculoſior eſt cum illis converſatio, & difficilior eorum converſio.* Adde pluribus Eccleſiæ Canonibus prohibita paſſim eſſe ejuſmodi Matrimonia, in Conciliis Laodiceno, Chalcedonenſi, Eliberitano, Carthaginenſi III. Agathenſi &c.

Tom.2. p. 453. col.2. E.

II. Matrimonium Catholici cum Hæretico ratum eſſe ac validum, patet, quia nullo jure declaratur nullum. Non naturali: diſparitas enim Religionis non eſt impedimentum jure naturali dirimens, ut per ſe manifeſtum eſt: in Lege ſiquidem naturæ Eſau cum mulieribus idololatris junctus eſt, quas tamen Scriptura ejus uxores appellat. Non divino: quia verba hæc S. Pauli, ex quibus dumtaxat colligi jus illud poſſet, *Nolite jugum ducere cum Infidelibus*, Theologorum ferè omnium conſenſu, prohibita ſolummodo & illicita, non invalida declarant hæc Matrimonia. Non denique jure eccleſiaſtico, quia nullo Eccleſiæ Canone aut Statuto invalida & irrita declarantur, dummodo legitimè ſervatis Eccleſiæ legibus quibus Hæretici propter Baptiſmum tenentur obſtricti, contracta illa fuerint; ſi enim cum aliquo dirimente impedimento contracta fuiſſent, nulla procul dubio forent, ac iteranda ſi abjurata hæreſi ad Eccleſiæ ſinum ſe recipiant. Edicto Nannetenſi an. 1598. art. 23. tenentur Proteſtantes leges Eccleſiæ, dum Matrimonium contrahunt, ſequi. Re vera quidem Matrimonia quæ illi ante revocationem Edicti Nannetenſis in gradibus prohibitis contrahebant valida fuere, quia Henricus IV. articulo 40. eorum quos ipſis ſpeciatim conceſſerat, id permiſit. Pariter hoc ipſis à Regibus noſtris conceſſum fuit, ut coram ſuis Miniſtris nuberent, & ita præſentiam Parochi ſuppleret Miniſtrorum præſentia. Verùm poſt abrogatum Edictum Nannetenſe non amplius licitum iſtud ipſis eſt, nec connubium ſic contractum verum eſt Sacramentum, aut ſaltem omni effectu gratiæ ſpiritualis deſtitutum.

III. an ejuſmodi Matrimonia Orthodoxorum cum Hæreticis ita ſint per ſe illicita, ut nullo caſu ſeparari ab illis poſſint dicta pericula, adeoque nec

nec licita unquam fieri per diſpenſationem S. Pontificis aut Epiſcoporum, res eſt apud Theologos dubia & incerta.

Sunt enim qui negant unquam ea licita fieri poſſe: tùm propter inſeparabile periculum ſeductionis; tùm maximè propter reverentiam quæ debetur Sacramento, cujus ſanctitatem nunquam licet exponere prophanationi. Porro, inquiunt, iniri nunquam poteſt Matrimonium Orthodoxi cum Hæretico abſque evidenti prophanatione Sacramenti, ſive ex parte Sacerdotis, qui adminiſtrat notoriè indigno Sacramentum; ſive ex parte Hæretici, qui illud indignè percipit; ſive ex parte Orthodoxi, qui vel adminiſtrat Hæretico (ſi contrahentes miniſtri ſint hujus Sacramenti, ut opinantur multi) & ab eo percipit, vel ſaltem ipſi eſt occaſio percipiendi indignè Sacramentum, quod certè vetat charitas. Addunt, licitum nuſquam eſſe in rebus ſacris & divinis communicare cum Hæretico notoriè excommunicato.

Alii econtra exiſtimant, omni ſublato ſubverſionis evidenti periculo, quod non videtur ipſis inſeparabile in quibuſdam circumſtantiis licita fieri poſſe conjugia Orthodoxorum cum Hæreticis, ex diſpenſatione S. Pontificis, ob bonum ſcilicet publicum Eccleſiæ, vel Regnorum pacem & familiarum concordiam; in iis màximè locis in quibus Hætetici Catholicis permixti vivunt; idque confirmant multis exemplis diſpenſationum quas conceſſere SS. Pontifices poſt Gregorium XIII. Clemens VIII. diſpenſavit cum Duce Barrienſi, ut Catharinam Henrici IV. Francorum Regis ſororem, ſed hæreticam, duceret. Urbanus VIII. an. 1625. diſpenſationem conceſſit ut Henricia Ludovici XIII. Regis Chriſtianiſſimi ſoror Carolo Anglorum Regi hæretico nuberet, eo fine ut Catholici in Anglia liberiùs catholicæ Religionis officia exercerent.

In hujuſmodi autem nuptiis benedictionem ſacerdotalem dari prohibuit Clemens VIII. Inter articulos quos Gallicani Epiſcopi Regi chriſtianiſſimo an. 1670. obtulerunt, iſte legitur, de quo conqueruntur. *Quand un Catholique veut epoſuer une fille de la religion pretendue reformee il fait ſommer le Cure de ſa paroiße par un Notaire ou par quel qu' autre perſone publique de lui donner la benediction nuptiale, en declarant qu' il prend une telle pour ſa femme, comme elle declare qu' elle le prend pour ſon mari; & d' autant qu' ils ne ſont pas dan le reſpect ni dans la diſpoſition requiſe pour recevoir ce Sacrement, le Curè fait auſſi refus de benir le mariage, dont ils prennent Acte perdevant le Notaire qui les aſſiſte, après quoi ils vivent comme mari & femme.* Abuſum hunc ut tollat Rex chriſtianiſſimus ſupplex poſtulat Clerus Gallicanus.

Proces verbal de l'annee 1670 Tom. 5. des nouv Mem du Clergè pag. 717.

Porro dicere illas diſpenſationes nullas fuiſſe, irritas, injuſtas, & SS. Pontifices poteſtate ſua abuſos fuiſſe, durum ſanè videtur, imò & temerarium Theologis, quorum hìc referimus ſententiam. Ita inter cæteros Baſilius Pontius, in Appendice de Matrimonio Catholici cum Hæretico cap. 8. n. 6. & cap. 5. n. 2. ubi ait nullum ſe legiſſe auctorem qui ſcripſerit conjugium Orthodoxi cum Hæretico ita eſſe illicitum, ut nullo prorſus caſu ex diſpenſatione S. Pontificis licitum evadere poſſit. Ipſi ſuffragatur Iſambertus noſter, de Matrimonio diſp. 9. art. 7.

Ad momenta verò prioris & oppoſitæ ſententiæ reſpondent.

Ad primum, ſeparari dumtaxat poſſe aliquibus in circumſtantiis pericula il-

la memorata à conjugiis Catholicorum cum Hæreticis; quibus certè ſepoſitis periculis, nihil eſt quod illicitam faciat & diſpoſitionem S. Pontificis vel Epiſcoporum, & conjunctionem illam maritalem.

Ad ſecundum: negant neceſſariò annexam eſſe huic Matrimonii celebrationi irreverentiam & prophanationem Sacramenti, ſaltem ex parte Catholici, quæcumque tandem eligatur opinio circa miniſtrum ipſius. Namque ſi Sacerdos eſt miniſter, indigno quidem (Hæretico ſcilicet) Sacramentum conjugii adminiſtrat; at ſine ulla ex parte ſui culpa: tum quia miniſter eſt publicus, qui Sacramentum publicè petenti cum legitima Superiorum diſpenſatione denegare poteſt: tùm quia prophanationem hanc ipſe non intendit; tùm quia Hæreticus contrahens utitur jure ſuo, cùm poſtulat ab ipſo Sacerdote Matrimonio conjungi. Si verò contrahentes ſunt miniſtri, neque etiam eo præcisè peccare videtur pars catholica, quòd parti hæreticæ vel adminiſtret, vel ab ea percipiat Sacramentum; ſiquidem jure ſuo utitur, ſive ut det, ſive ut accipiat illud Sacramentum: quemadmodum non peccaret, ſi peteret Sacramentum à miniſtro quem ſciret excommunicatum; ſicut etiam non peccat qui ab uſurario publico pecuniam ſub gravi fœnore accipit, ut rebus ſuis premente neceſſitate conſulat, quia nempè jure ſuo utitur, nec hanc in uſurario perverſam facit animi diſpoſitionem, ſed ſupponit, quam optaret non eſſe.

At ſaltem, inquiunt, pars catholica occaſionem dat Hæretico prophanandi Sacramentum.

Tom. 6. p. 393. n. 7. Reſpondet Iſambertus loco citato, *id per accidens fieri reſpectu viri catholici: Cùm tunc*, inquit, *ſuo iure tantùm utatur, nec ullo modo habeat animum partem ſecum contrahentem impellendi ad peccatum, ſed ejus dumtaxat voluntate ad id faciendum diſpoſita utendi.*

Ad tertium, ajunt in caſu propoſito licitum eſſe communicare cum Hæretico, ſublata nempè per legitimam diſpenſationem prohibitione. Addunt, in celebrandis hujuſmodi conjugiis hanc obſervari formam, ut nec offeratur ſacrificium altaris, nec fiat benedictio; ſed ſimpliciter adſit Sacerdos, in iis nempè locis quibus viget lex Tridentina; unde id ſequi videtur, ejuſmodi Matrimonium defectu benedictionis ſacerdotalis, verum non eſſe Sacramentum, tametſi ratum & validum ſit quantùm ad nexum & vinculum perpetuum. Clarè ac nitidè iſtud exponit Statutum ſynodale Ebroicenſe an. 1576. ſedente Epiſcopo Claudio Sanctеſio, qui Concilio Tridentino interfuerat. *Si*, ait Statutum apud Bochel Decret. Eccleſiæ Gallicanæ L. 3. tit. 5. cap. 82. *in Hæreticorum conventiculo, redeuntes ad Eccleſiam vir & uxor Matrimonium contraxerint & celebraverint, ſtatuimus ceſſante omni alio canonico impedimento, ipſis in facie Eccleſiæ benedictionem ſacerdotalem in nuptiali Miſſa à Curato vel Vicario conferri, ne ſaltem dubitari poſſit an eorum Matrimonium careat Sacramenti ratione & gratia.*

Diſſimulare non poſſumus, graves ex utraque parte circa præſentem controverſiam urgere difficultates, quæ diu noſtros in Galliis exercuere Theologos, ſed quibus nos feliciter expedivit Rex noſter chriſtianiſſimus Ludovicus XIV. ſive cùm hæreſim à finibus ſui imperii ejecit, ſive cùm anno 1680. menſe Novembri Declaratione ſua prohibuit, ne impoſterum Catholici Matrimonii fœdere cum Hæreticis jungerentur, declaratis nullis & iriti-

ritis ejuſcemodi conjugiis, ac filiis inde natis ſpuriis & illegitimis, qui bonis paternis ſuccedere non valeant.

An Matrimonium inter Infideles contractum, accedente Baptiſmo evadat Sacramentum.

Affirmant nonnulli, quorum aliqui dicunt, ſtatim per Baptiſmum, abſque ullo novo conſenſu, Matrimonium fieri Sacramentum. Alii dicunt, Sacramentum evadere, cùm vel novus ponitur conſenſus, vel antiquus renovatur & approbatur, aut verbis, aut nutibus, aut effectu maritali. Alii denique cum Vaſqueſio diſput. 2. de Matrim. c. 10. n. 120. & ſequentibus, Pontio L. 1. de Matrim. c. 9. n. 8. negant ejuſmodi Matrimonium fieri Sacramentum propriè dictum.

CONCLUSIO.

Nulla ſatis firma ratione probatur Matrimonium contractum inter Infideles, accedente Baptiſmo fieri Sacramentum.

Probatur 1. Non fit Sacramentum per ſolum Baptiſmum, ſine novo conſenſu: tùm quia Baptiſmus præcedere debet, cùm ſit janua Sacramentorum; aliàs plura Sacramenta iiſdem Infidelibus dari poſſunt cùm actu baptiſantur: tùm quia non eſt Sacramentum ſine materia & forma: ſed ubi nullus ſupponitur novus accedere conſenſus, nulla quoque ſupponitur eſſe materia & forma Sacramenti Matrimonii.

Neque obſtat ſi dixeris tale Matrimonium ita ratum fieri per Baptiſmum, ut diſſolvi amplius non poſſit, quod certè non aliunde habet, quàm quòd per Baptiſmum evadat verum Sacramentum.

Namque aliud eſt Matrimonium ratum fieri, & aliud fieri Sacramentum. Per Batiſmum quidem ita fit ratum, ut amplius non poſſit diſſolvi; quia nempè ceſſat ratio propter quam poterat diſſolvi. Nempè diſſolvi poteſt Matrimonium Infidelium, quando unus conjux convertitur ad fidem, & alter non vult cohabitare cum ipſo pacificè ſine injuria Creatoris: cùm igitur ambo ad fidem convertuntur & baptiſantur, accedente Baptiſmo ceſſat ratio hæc, atque hoc ſenſu dicitur ratum fieri per Baptiſmum, quia firmius evadit; at non propterea fit verum Sacramentum.

Neque dicas eo in caſu Matrimonium paris eſſe conditionis v. g. cùm venditione, quæ cùm mutuo conſenſu confirmatur, rata eſt ac valida, qualis antea non erat. Namque venditio, aut quilibet alius contractus, nonniſi per mutuum conſenſum valet; igitur ante illum vera non eſt venditio, ſed ſimplex venditionis propoſitum: ſed ante Baptiſmum verum erat inter Infideles Matrimonium, ex ſe indiſſolubile quidem, licèt major firmitas & indiſſolubilitas ipſi acceſſerit ex Baptiſmo, ceſſante nimirum cauſa propter quam diſſolvi potuiſſet.

Secundò, Matrimonium inter Infideles contractum per Baptiſmum non fit verum Sacramentum, aut novo accedente conſenſu, aut uſu ipſo Matrimonii: ſiquidem contractus eſt materia hujus Sacramenti, cùm actu

 fit;

ſit; neque enim, ut diximus ſuprà, Matrimonii Sacramentum conſiſtit in re fixa & permanente, ſed in actione contrahentium, & actione miniſtri: at inter illos Infideles contractus non initur poſt Baptiſmum, ſed ſupponitur antea initus: neque ſufficit ut quis dicatur de novo contrahere, quòd vel perſiſtat in priori contractu, vel alia ſigna exhibeat quibus prius conjugium confirmare videatur; ſicut qui votum antea emiſit, non cenſetur denuo illud emittere, quòd velit illud implere & ſervare.

Præterea, ſi Matrimonium illud evaderet Sacramentum propter renovationem conſenſus, toties repeti poſſet Sacramentum ejuſque gratia percipi, quoties conſenſus ille renovaretur: at iſtud videtur abſurdum; ergo &c.

QUÆSTIO TERTIA.

De materia, forma, & miniſtro Sacramenti Matrimonii.

ARTICULUS PRIMUS.

De materia & forma Sacramenti Matrimonii.

Materiam & formam in Sacramentis diſtinguunt Theologi per analogiam ad materiam & formam rerum phyſicarum. Diſtinguunt pariter duplicem in Sacramentis materiam, unam remotam, alteram proximam: unam, quam vocant materiam *circa quam*; alteram verò, materiam *ex qua*. V. g. in Pœnitentia materia *circa quam*, ſunt peccata; materia verò *ex qua* conſtat Sacramentum Pœnitentiæ, ſunt tres actus pœnitentis, contritio, confeſſio, & ſatisfactio.

Quæſtio hìc non movetur de materia *circa quam*, ſeu objectum vel ſubjectum Sacramenti Matrimonii; ſed de materia *ex qua*.

Nihil in præſenti negotio definitum habemus ab Eccleſia, unde tanta opinionum varietas & diſſonantia, ſalva ſemper & integra Sacramenti hujus veritate. *In materia & forma Matrimonii ſtatuenda*, inquit Melchior Canus L. 8. de Locis theologicis cap. 5. *adeò ſunt inconſtantes & varii, adeò incerti & ambigui* (Scholaſtici Theologi) *ut ineptus futurus ſit, qui in tanta illorum varietate ac diſcrepantia rem aliquam certam, conſtantem, exploratam conetur efficere*. Pro ſumma igitur, quæ hìc eſt, ſentiendi libertate, propoſitis ac rejectis nonnullorum ſententiis, quam veriſimiliorem exiſtimamus, ſequemur, ac Concluſione noſtra propugnabimus.

Proponuntur ac rejiciuntur variæ Scholaſticorum opiniones.

Prima eſt Catharini, Opuſculo de Matrimonio q. 1. ubi docet verba & actus contrahentium eſſe materiam, formam verò eſſe verbum Dei ſanctificans Matrimonium, cùm dixit Gen. 2. & Matth. 19. *Propter hoc relinquet homo patrem &c.* unde etiam infert, Deum eſſe miniſtrum hujus Sacramenti, qui verbo ſuo ſemel ſanctificavit, & quotidie illud ſanctificat.

Verùm confundere videtur auctor ille inſtitutionem cum eſſentia Matrimonii; verbum quidem Dei de quo Gen. 2. rectè ad inſtitutionem Matrimo-

monii refertur, non verò ad eſſentiam ſeu formam; eſſentia quippe Sacramenti alicujus ſupponit ejus inſtitutionem factam: quæ inſtitutio revocatur ad cauſam efficientem, non ad conſtituentem internam rei naturam. Præterea quod addit de miniſtro, pugnat apertè cum recepta & communi doctrina, nempe miniſtrum Sacramentorum eſſe hominem; miniſter ſiquidem alterius miniſter eſt, ac cauſam ſe ſuperiorem ſupponit, cujus nomine, virtute & auctoritate agat: at quis non videt ea in hominem, non verò in Deum poſſe cadere?

Secunda opinio putat conſenſum internum contrahentium eſſe materiam; verba autem ſive ſigna exteriora, eſſe formam. Tribuitur Navarræ, Capreolo &c.

Verùm nec placet hæc opinio. Namque tam materia, quàm forma Sacramenti debet eſſe ſenſibilis: conſenſus autem interior talis non eſt: deinde verò forma debet materiam ad tale eſſe determinare; clariùs enim & expreſſiùs ſignificat in re ſacramentaria forma, quàm materia: at verba ſeu ſigna exteriora nihil plùs ſignificant, quàm ipſemet conſenſus; nec illum conſenſum ad effectum aliquem proprium determinant, cùm ex ſe ſit determinatus ad unionem ſeu vinculum inter conjuges efficiendum.

Tertiò, alii, ut Major, aſſerunt conſenſum eſſe formam; verba autem exprimentia, materiam.

At hæc opinio eadem de cauſa rejicitur, ac ſecunda mox dicta.

Quartò, cenſent alii cum Richardo, verba unius conjugis eſſe materiam, & verba alterius eſſe formam: nimirum verba quæ priùs pronuntiantur, eſſe materiam, quia inchoant Matrimonium; verba autem alterius conjugis, quæ poſtea accedunt, eſſe formam, quia perficiunt,

At neque etiam arridet hic modus exponendi materiam & formam: tùm quia ſi uterque contrahens ſimul verba proferat, quod certè fieri poteſt, nulla erit amplius diſtinctio materiæ & formæ: tùm quia nulla ſufficiens cauſa & ratio proferri poteſt, cur potius verba unius ſint materia, quàm verba alterius, ſiquidem tam poſteriora verba determinantur per priora, quàm priora per poſteriora.

Quintò, ſunt qui putant verba contrahentium ſibi mutuò eſſe materiam & formam: in ipſis enim, ajunt, conſiderari poteſt ratio expreſſionis tradentis conſenſum, & ratio expreſſionis acceptantis conſenſum; & quatenus ſibi invicem ſunt traditio & acceptatio, ſibi quoque invicem ſunt materia & forma: habet autem rationem materiæ traditio, quia prior eſt ſecundùm rationem; acceptatio verò, formæ. Tribuitur hæc opinio Dominico Soto, Suari &c.

At in hoc maximè difficultatem patitur hæc opinio: tùm quia ratione dumtaxat, non re, diſtinguere videatur materiam & formam, quas in Sacramentis diſtinctas eſſe debere inſinuat Eugenius IV. in Decreto Armenis dato, ubi ait *Sacramenta tribus perfici, materia, forma, & intentione miniſtri.* Re autem non diſtingui in prædicta opinione materiam & formam, patet, quia mutua traditio includit mutuam acceptationem; eſt quippe contractus qui dicitur, *do ut des*: tùm quia falsò ſupponit traditionem determinari ab acceptatione; namque mutuò ſe determinant traditio & acceptatio: ſicut in contractu venditionis, rei oblatio non complet contractum, niſi accedente acceptatione, quæ duo ſimul perficiunt contractum.

Sextò,

Digitized by Google

Sextò, putant alii contrahentes eſſe materiam; verba autem quibus exprimunt ſuum mutuum conſenſum, eſſe formam.

Verùm confundit hæc opinio ſubjectum Sacramenti cum materia ex qua conſtat, de qua una hìc loquimur. Contrahentes recipiunt quidem Sacramentum, at non ſunt ipſa materia ex qua coaleſcit: deinde verba non videntur habere neceſſariò formæ rationem, ut putavit Scotus; nutibus enim aut aliis ſignis, ſine ullis verbis, contractum Matrimonium validum eſt.

Septimò, cenſent ex recentioribus quamplures, traditionem & acceptationem mutuam corporum eſſe materiam; verba autem vel ſigna quibus exprimitur mutuus conſenſus in traditione & acceptatione mutua corporum, eſſe formam.

Opinionem hanc rejicit Eſtius in 4. diſt. 26. paragr. 11. & 12. 1. quia forma Sacramenti debet ſignificare effectum Sacramenti ut Sacramentum eſt, non verò ut aliquid humanum, aut naturale, aut civile; atqui verba iſta, *Accipio te in meam*, aut alia quæcunque aut verba aut ſigna quibus exprimitur mutuus conſenſus in traditione vel acceptatione reciproca corporum, non ſignificant effectum Sacramenti, neque omnino ſacrum aliquid, ſed tantùm conjugalem obligationem, quam ſignificarent etiam ſi non eſſet conjugium in Sacramentum inſtitutum; unde & communia ſunt Fidelibus & Infidelibus. 2. quia juxta ſententiam hanc fatendum eſt carnalem copulam aliquando eſſe Sacramenti formam, videlicet ante Tridentinam Synodum, vel etiàm jam iis in locis quibus non eſt receptum Synodi Decretum, nimirum quando & ubi per ſubſequentem copulam ſponſalia tranſibant, vel adhuc tranſeunt in Matrimonium; tunc enim copula ſignum eſt ſufficiens conſenſus ad Matrimonium requiſiti: hoc autem, inquit Eſtius, non immeritò refugiunt aures chriſtianæ. 3. quia juxta eandem ſententiam, contrahentes ſunt miniſtri Sacramenti Matrimonii: at patebit ex dicendis Articulo ſequenti, hujus, ſicut & aliorum Sacramentorum, miniſtrum eſſe Sacerdotem, qui materiæ à contrahentibus ſubminiſtratæ formam adhibet Sacramenti.

T. 2. p. 351. & ſeq.

Maldonatus attentè conſiderata illarum omnium opinionum difficultate, voluit non eſſe tam ſubtiliter quærendam in Sacramentis materiam & formam; ac novam ipſe viam excogitavit qu. 1. de Matrimonio in ſolutione argumentorum tertiæ claſſis, exponendi materiam & formam Sacramenti Matrimonii. Sic ille loquitur: *Ego reſpondeo, non eſſe tam ſubtiliter in Sacramentis quærendam materiam & formam. Nam ſi materiam & formam propriam requiramus, amittemus multa Sacramenta; ſed quia Sacramentum eſt ſignum, non aliter in illo quærenda materia & forma, quàm in cæteris ſignis. Omne autem ſignum ut minimùm conſtat ex duabus rebus; altera, quæ ſenſibus percipitur; altera, quæ animo inſtillatur per rem illam externam. Prior vocatur ſemper materia, propterea quòd eſt externa: ſecunda vocatur forma, quia forma eſſentialis ſolo animo percipitur.... Eodem ergo modo in omni Sacramento, quia ſignum eſt, debet eſſe aliqua res externa, quæ appellatur materia; & aliqua interior, quæ ſolo animo percipiatur, & vocetur forma. Si iſtas duas res requiras in Matrimonio, facile eſt oſtendere. Nam tota illa externa conjunctio & ſocietas viri & uxoris, quæ ad omnibus percipitur, eſt ſignum quoddam externum Chriſti & Eccleſiæ, ac propterea appellari debet*

P. 439. A.

Digitized by Google

debet materia: ſignificatio autem ipſa, quæ ſolo animo comprehenditur, eſt forma. Ita Maldonatus.

Verùm hæc opinio duo patitur incommoda. Primum eſt, quòd forma Sacramenti perinde ac materia debeat eſſe ſenſibilis: at ſignificatio de qua loquitur Maldonatus, eſt merè ſpiritualis & in animo. Alterum eſt, quòd Decretum Eugenii expreſsè aſſerat Sacramenta novæ Legis tribus perfici, nempe *rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & perſona miniſtri conferentis Sacramentum intentione faciendi quod facit Eccleſia*. Igitur quantùm fieri poteſt, ad mentem hujuſce Decreti aſſignanda ſunt verba in Matrimonio, quæ habeant rationem formæ: at in adducta Maldonati expoſitione nihil tale occurrit.

Itaque alii Theologi cum Eſtio in 4. diſt. 26. paragr. 11. & 12. exiſtimant materiam Sacramenti Matrimonii eſſe actus contrahentium, formam verò eſſe verba Sacerdotis, quibus conjuges in Matrimonium conjungit. Juxta hanc ſententiam ſit

CONCLUSIO.

Materia Sacramenti Matrimonii ſunt actus contrahentium; forma verò, verba quibus Sacerdos in Matrimonium conjungit.

Prima pars probatur 1. ex refutatione mox adducta aliarum opinionum.

Secundò, quia ratio materiæ his actibus rectè aſcribitur, qui cùm ex ſe indifferentes ſint & indeterminati ut ſint Sacramentum, determinantur per verba Sacerdotis, tanquam per formam, ad rationem & effectum Sacramenti.

Tertiò, *Quia*, inquit Eſtius in 4. diſt. 26. paragr. 12. *ſicut in Sacramento Pœnitentiæ materia, vel quaſi materia ſunt actus pœnitentis, qui velut informantur per abſolutionem Sacerdotis; ita rectè dicitur actus contrahentium, quibus ſibi mutuò ſive per verba, ſive per alia ſigna dant fidem matrimonialem, eſſe hujus Sacramenti materiam, vel quaſi materiam, quæ deinde informetur ad gratiæ conſecutionem per ea verba Sacerdotis in quibus conſiſtit forma Sacramenti. Sicut enim Deus actus pœnitentis erexit in Sacramentum novæ Legis, addita abſolutione Sacerdotis ut forma; ita valdè convenienter dicitur, quòd actus contrahentium erexit in Sacramentum novæ Legis, addita benedictione Sacerdotis ut forma*. Ita Eſtius. T. 1. p. 351. col. 2. E.

Quartò, quia hæc videtur eſſe S. Thomæ ſententia in 4. diſt. 26. art. 1. ad 2. *Sacramentum Matrimonii*, inquit, *perficitur per actum ejus qui Sacramento illo utitur, ſicut Pœnitentia. Et ideo ſicut Pœnitentia non habet aliam materiam niſi ipſos actus ſenſui ſubjectos, qui ſunt loco materialis elementi, ita eſt de Matrimonio*. Quæ verba repetit Auctor Supplementi ad 3. partem Summæ S. Th. qu. 42. art. 1. ad 2. Rationem hujus doctrinæ, ac veluti principium adducit S. Thomas 3. parte q. 84. art. 1. ad 1. *In illis Sacramentis*, inquit, *quæ habent effectum correſpondentem humanis actibus, ipſi actus humani ſunt loco materiæ, ut accidit in Pœnitentia & Matrimonio*. T. 10. p. 466.

Secunda pars probatur. Tùm quia in illis verbis reponenda videtur forma hujus Sacramenti, quæ determinant actus contrahentium ad eſſe ſacramentale, & primarium ipſius effectum exprimunt: atqui talia ſunt verba quibus

bus Sacerdos conjungit contrahentes in Matrimonium eiſque benedicit, hoc eſt cæleſtem benedictionem & gratiam invocat, & confert tanquam Sacramenti miniſter. Tùm quia hæc ſententia longè magis videtur accedere & ad mentem Veterum qui Matrimonium benedictione Sacerdotis confirmari & obſignari teſtantur, & ad verba Concilii Trid. Seſſ. 24. c. 1. de reformatione Matrimonii, quæ Articulo ſequenti referemus; pendet enim maximè præſens controverſia ex iis quæ circa miniſtrum Sacramenti Matrimonii dicturi mox ſumus.

ARTICULUS II.

De miniſtro Sacramenti.

IN duas omnino ſententias Schola diviſa eſt circa præſens argumentum. Prima, quæ Veterum eſt ac multorum è Recentioribus, exiſtimat contrahentes eſſe miniſtros hujus Sacramenti, quorum quilibet ſibi, vel alter alteri Sacramentum adminiſtrat, vir nempe mulieri, & mulier viro; utroque enim modo rem explicant.

Secunda verò ſententia aſſignat pro miniſtro Matrimonii, Sacerdotem. Hanc tuentur Guillelmus Pariſienſis, quem in Concilio Tridentino ſequutus eſt unus ex primariis Sorbonæ Doctoribus, teſte Pallavicino Lib. 23. Hiſt. Conc. Trid. c. 9. nu. 15. Melchior Canus Lib. 8. de Locis theologicis cap. 5. Toletus Lib. 7. ſacerdotalis inſtructionis cap. 6. Petrus Ledeſma, de Matrimonio qu. 42. art. 1. dubio 4. Concluſione 4. Illuſtriſſimus Petrus de Marca, Tractatu ſpeciali de Matrimonio; Maldonatus, de Matrimonio qu. 1. pag. 441. ad ſextum argumentum ſecundæ ſententiæ, Eſtius in 4. diſt. 26. paragr. 10. Sylvius in Supplementum 3. partis S. Th. q. 42. art. 1. quæſito 1. & in 2. 2. q. 100. art. 2. in reſponſione ad ſextum. Sententiam hanc temeritatis incuſant Vaſques, Pontius, & ante illos Dominicus Soto; ab hac tamen nota purgatur ab aliis Theologis, imprimis Dominico Banneſio in primam partem S. Thomæ qu. 1. art. 8. ubi ait *ſententiam communem modò à multis improbari, non ſolùm poſt celebrationem Concilii Tridentini, ſed etiam antea*; *& Cani ſententiam multos alios ſequi abſque ulla temeritate. Quod enim uno tempore occultatur, poſtea*, inquit, *per diligentiam & ſtudium advenientium multoties innoteſcit.*

Depoſitis itaque præjudiciis quæ ex auctoritate & numero Scholaſticorum Theologorum primæ ſententiæ faventium vulgò habentur, quæſtionem in ſeipſa nudam expendemus, libratis ac ponderatis quæ utrimque proferuntur rationum momentis, ut hac facta comparatione intelligatur quæ veriſimilior ac probabilior ſit opinio; neque enim probabilitatis metas excedit quidquid hìc ex utraque parte adducitur, cùm nulla extet eam in rem Eccleſiæ definitio. Itaque ſit

CON-

CONCLUSIO.

Sententia quæ aſſignat Sacerdotem pro miniſtro Sacramenti Matrimonii, vero magis accedere, ac probabilior nobis videtur.

Hanc opinionem multis momentis confirmant locis mox indicatis Melchior Canus, Eſtius & Sylvius.

Primò: quia ille videtur eſſe miniſter Sacramenti Matrimonii, qui eſt miniſter benedictionis omnino eſſentialis ac neceſſariæ ad obtinendam gratiam hujus Sacramenti: atqui talis eſt Epiſcopus, vel Sacerdos; ergo &c.

Minor duplicem habet partem. 1. Epiſcopum vel Sacerdotem eſſe miniſtrum benedictionis conjugalis. 2. benedictionem illam omnino neceſſariam eſſe & eſſentialem ad obtinendam Sacramenti gratiam: hanc verò poſtremam partem, quam negant qui hic nobis adverſantur Theologi, demonſtrare videntur ea omnia Veterum teſtimonia quæ jam ſuprà laudavimus ad Quæſtionem hujus Tractatus ſecundam, ubi ex conſtanti ac perpetua Traditione oſtendebamus Matrimonium eſſe verum novæ Legis Sacramentum; argumentum verò ducebamus ex illa ſacra & ſolemni benedictione quam Veteres exigunt ut nuptiæ ſanctæ ſint, ac effectum ſpiritualem gratiæ referant. Conſule. Hinc in Jure canonico apud Gratian. cauſa 30. q. 5. cap. *Nullus*, dicitur. *Nullus Fidelis, cuiuſcumque conditionis ſit, occultè nuptias faciat: ſed benedictione accepta à Sacerdote, publicè nubat in Domino*. *Grat. p. 1573. n. 50.*

Reſpondent adverſæ partis Theologi, benedictionem quidem illam, de qua Veteres, neceſſariam eſſe uſu & præcepto Eccleſiæ ad majorem nuptiarum ſolemnitatem; non verò eſſentialem jure ac præcepto divino ad conſtituendum Sacramentum Matrimonii, & effectum gratiæ conſequendum, quaſi ſine illa Matrimonium nec foret Sacramentum, nec ullum gratiæ fructum conjuges inde perciperent: idque efficere nituntur nonnullis argumentis, quæ referemus inter objectiones mox ſolvendas.

Verùm hæc reſponſio non videtur aliis ſufficiens. 1. quia non ſatis accommodata videtur verbis SS. Patrum, qui aſſerunt per benedictionem illam nuptias ſanctificari, conciliari, obſignari, licitas fieri; ita ut defectu ipſius non careant ſuſpicione fornicariæ aut adulteræ conjunctionis: quæ certè loquendi ratio deſignat ritum non purè accidentalem, ſed omnino eſſentialem ac neceſſarium. 2. quia propter ejuſmodi benedictionem volunt Patres Concilii Carthag. IV. ut conjuges eadem nocte in virginitate permaneant: at propter ritum purè accidentalem & ceremonialem id certè non poſtulaſſent Patres Carthaginenſes. 3. quia reſponſio hæc infirmat præcipuum, quod ex Traditione habemus argumentum, ut demonſtremus adversùs Hæreticos Matrimonium eſſe verum Sacramentum. Quippe ſi benedictio illa eſt dumtaxat accidentalis & ceremonialis, non pars Sacramenti quæ vim habeat ex ſe conferendi gratiam, vix poteris Novatoribus oſtendere, Matrimonium apud veteres Eccleſiæ Doctores pro vero haberi Sacramento, cui ſit annexa gratiæ promiſſio: non alio enim argumento id meliùs efficimus, quàm ex benedictione illa ſacra toties apud illos commen-

Digitized by Google

mendata. Quapropter non immeritò obſervat Canus, ſententiam quam Concluſione noſtra defendimus, longè aptiorem & commodiorem eſſe refellendis Hæreticis. Addit, non alia magis ratione ductum fuiſſe Magiſtrum, ut putaret Matrimonio vim non ineſſe ad conferendam gratiam, quàm ex communi tunc temporis ſententia, quæ contrahentes hujus Sacramenti miniſtros eſſe ſtatuit: cùm enim nihil in eo miniſterio deprehenderet, quod eccleſiaſticum ritum ac ceremoniam referret, pronum ipſi fuit ut conjiceret, præter nudam & ſimplicem ſignificationem quam habet unionis Chriſti cum Eccleſia, nihil ampliùs ineſſe unde gratiam, ſicut cætera Sacramenta, poſſet conjugibus conferre.

Secundò: Ille verus dici debet miniſter Sacramenti Matrimonii, qui verè contrahentes conjungit in Matrimonium: atqui talis eſt Sacerdos; ergo &c.

Minor probatur auctoritate Concilii Trid. & aliorum nonnullorum Conciliorum particularium, quibus accedunt quamplures Eccleſiarum Rituales Libri.

Concilium Trid. Seſſ. 24. de reform. Matrim. cap. 1. *Ad celebrationem*, inquit, *Matrimonii in facie Eccleſiæ procedatur, ubi Parochus, viro & mulie-*
T. 14. Conc. p. 876. D. *re interrogatis, & eorum mutuo conſenſu intellecto, vel dicat, Ego vos in Matrimonium conjungo, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti; vel aliis utatur verbis juxta receptum uniuſcujuſque Provinciæ ritum*. Si data opera voluiſſet Synodus innuere Sacerdotem eſſe miniſtrum Sacramenti Matrimonii, & verba quibus contrahentes conjungit eſſe formam, aut quaſi formam, non potuiſſet verbis uti ſignificantioribus. Eodem capite ſtatuit Concilium, benedictionem ſacerdotalem à proprio Parocho fieri debere; neque à quoquam, niſi ab ipſo Parocho, vel ab Ordinario, licentiam ad prædictam benedictionem faciendam alii Sacerdo-
Ibid. p. 877. A. doti concedi poſſe. *Item*, inquit, *quòd ſi quis Parochus vel alius Sacerdos alterius Parochiæ ſponſos ſine illorum Parochi licentia Matrimonio conjungere aut benedicere auſus fuerit, ipſo jure ſuſpenſus maneat*.

Eandem ſententiam paulò ante Conc. Trid. amplexi ſunt Patres Con-
Ibid. p. 541. A. cilii Colonienſis ann. 1536. parte 7. cap. 40. quorum hæc verba ſunt: *Quod Sacramentum* (Matrimonii) *ſi quis, ſicut decet, acceperit, accedente ſacerdotali precatione, confert donum Spiritus, quo vir diligat uxorem amore caſto, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam*. Audis iſta verba, *accedente ſacerdotali precatione*, quæ certè manifeſtè demonſtrant, mentem hujus Synodi hanc eſſe, ſacerdotalem precationem, ſeu verba quibus in celebrando Matrimonio utitur Sacerdos, eſſe formam hujus Sacramenti, qua poſita confert donum Spiritus ſancti. Et in Enchiridio quod juſſu ejuſdem Concilii editum eſt, capit. penultimo de Matrimonio dicitur: *Quantò magis putandum eſt, & in nova Lege Sacerdotes, qui legatione pro eo funguntur, legitimos hujus Sacramenti miniſtros eſſe?*

Poſt Concilium Tridentinum confirmata fuit eadem ſententia in pluribus Conciliis Provincialibus.

In Cameracenſi, quod refert Sylvius, an. 1567. cap. 1. *Cùm conſtet*, inquit, *in Matrimonio habendam eſſe rationem non ſolùm divinæ conſtitutionis*, *ſed*

ſed etiam Sacramenti & gratiæ quam in illo conſequuntur Fideles, admonendos eſſe duximus Parochos hujus miniſtros &c. To. 15.

In Remenſi an. 1583. *Nuptiis*, inquit, *ritè completis ita ſe component conjuges, ut putent ſe non à Sacerdote, ſed per eum à Chriſto conjugiorum præſule conjunctos.* Conc. p. 897. F. Ibid. p. 1016. B.

In Turonenſi an. 1583. eadem forma celebrandi Matrimonii præſcribitur, quæ in Tridentino.

In Aquenſi an. 1585. Mexicano ejuſdem anni; Rothomagenſi ann. 1581. Avenionenſi ann. 1594. Mechlinienſi ann. 1607. eadem pariter forma legitur præſcripta.

His adde Ritualia. Romanum vetus ann. 1494. collectum per Albertum Caſtellanum Dominicanum, ait: *Contrahentibus reſpondentibus ſe nec affines, nec conſanguineos &c. Sacerdos pronuntiet verba quæ ſunt forma hujus Sacramenti.* Alterum Romanum juſſu Pauli V. editum, in Præfatione, inter Sacramenta quorum adminiſtrationem ait pertinere ad Parochos, recenſet Matrimonium. Et in omnibus editis ab ann. 1589. Ritualibus Romanis hæc verba à Sacerdote proferenda notantur, *Ego vos conjungo* &c. qui ritus in omnibus ferè particularium Eccleſiarum Ritualibus Libris præſcriptus quoque legitur. Unde in Manuali Atrebatenſi an. 1600. dicitur: *Sponſus & ſponſa debent fieri conjuges dicendo, Ego vos conjungo*. Manuale verò Ipreuſe anni 1576. & Mechlinienſe anni 1589. jubet ut Sacerdos tanquam Eccleſiæ miniſter dicat: *Vos in Matrimonium conjungo*. In Rituali Mediolanenſi, præſcribente S. Carolo Borromæo, Actorum parte 4. dicitur *quinque dumtaxat eſſe Sacramenta quæ Parochus ex officio adminiſtrare poteſt, Baptiſmum, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Matrimonium, & Extremam unctionem*. Plura in rem eandem brevitatis cauſa hìc miſſa facimus. Vide P. Martene de antiquis Eccleſiæ ritibus Tom. 2. parte 2. Lib. 1. cap. 9. ubi laudat in rem eamdem p. 639. *Ordo XII.* vetus Rituale Lemovicenſe; pag. 643. *Ordo XIII.* Rituale Remenſe; p. 645. *Ordo XIV.* Rituale Leodienſe; p. 648. *Ordo XV.* Ambroſianum juſſu Cæſaris Montii Cardinalis & Archiepiſcopi Mediol. editum.

Huic ſecundo argumento quo premi ſe non diſſimulant adverſarii, reſpondent 1. verba iſta, *Ego vos conjungo*, non ad formam, ſed ad ſolemnitatem dumtaxat Sacramenti pertinere; aliàs non permitteret Conc. Trid. ea pro vario Eccleſiarum uſu immutari: forma quippe Sacramenti debet eſſe conſtans & firma. 2. eorum verborum ſenſum hunc eſſe, Ego tanquam teſtis neceſſarius declaro vos conjunctos, ſeu confirmo & ratam habeo conjunctionem veſtram. 3. ajunt Sacerdotem miniſtrum aliquando ab auctoribus eccleſiaſticis hìc appellari, ſive quia præſentia ſua firmitatem dat contractui conjugali, qui aliàs foret irritus; ſive quia adminiſtrat ceremonias & ritus ſolemnes ab Eccleſia præſcriptos; ſive denique quia cùm Matrimonium ſit Sacramentum, pertinet ad Sacerdotes in eo ſuſcipiendo dirigere Fideles, atque dignos ad illud admittere, indignos verò arcere. Ita reſpondebat anonymus quidam Neotericus, in Tractatu ſpeciali quem de miniſtro Sacramenti Matrimonii edidit an. 1625. quem citat ac refellit Sylvius in ſecundam ſecundæ S. Thomæ qu. 100. art. 2. in reſponſione ad 6.

Verùm reſponſionem hanc diſtortam paulò eſſe ac coactam non immeritò

adver-

Digitized by Google

advertunt, qui noſtræ Concluſioni ſuffragantur Theologi. 1. quidem gratis omnino fingitur verba iſta, *Ego vos conjungo*, ad ſolemnitatem dumtaxat, non ad formam Sacramenti pertinere. Neque urget in contrarium adducta probatio: conſtans quippe ac firma debet eſſe Sacramenti forma quoad ſenſum & ſignificationem, licèt quoad ſonum verborum & modum loquendi varia ſit; quomodo permittit Synodus Tridentina, ut Sacerdotes pro vario Eccleſiarum uſu his verbis, *Ego vos conjungo*, vel ſimilibus utantur, quibus ſignificent ſe verè Sacramentum Matrimonii conferre; quomodo etiam nonnihil diſcrepat forma Baptiſmi & Confirmationis inter Latinos & Græcos, quamquam eadem ſit quoad ſenſum & ſignificationem eſſentialem verborum. 2. Huic formulæ, *Ego vos conjungo*, hunc affingere ſenſum, *Declaro vos conjunctos*, videtur manifeſtus verborum abuſus. Tùm quia verba uſurpanda ſunt in propria & nativa eorum ſignificatione, quando nihil eſt aut abſurdum contra rationem, aut falſum contra fidem, aut perverſum contra mores: at nihil tale occurrit in præſenti negotio, ut ſatis per ſe notum eſt. Porro nullus dixerit verborum iſtorum, *Ego vos conjungo*, naturalem & obvium ſenſum hunc eſſe, *Ego declaro vos conjunctos*: non eſt igitur cur ab illa naturali ſignificatione ad alienam verba illa transferamus. Tùm quia peſſimi exempli eſt Novatoribus noſtris talis illorum verborum interpretatio: quo enim jure dicunt è noſtris multi, verba citata ſic eſſe intelligenda, *Ego vos conjunctos declaro*; ita dicent Novatores verba iſta ſacramentalis abſolutionis, *Ego te abſolvo*, non aliud ſignificare, quàm, *Ego declaro te à Deo abſolutum*. Tùm quia ſi Sacerdos eſſet merus teſtis, quamquam neceſſarius, impropriè admodum diceret, *Ego vos conjungo*: ſiquidem & alii qui adſunt teſtes, dicere pariter non poſſunt, *Ego*, vel, *Nos vos coniungimus*. Quid ita? quia nempe ſolus ille verba hæc meritò & propriè proferre poteſt, qui verè tanquam Eccleſiæ miniſter conjugibus benè precatur, eoſque in Matrimonium conjungit: at id facit ſolus Sacerdos, non alii qui adſunt teſtes.

Neque enim idcirco Sacerdos miniſter dici poteſt, ut placet adverſariis, 1. quòd Matrimonio ſua præſentia firmitatem conferat: ipſi etenim teſtes, quorum præſentia planè neceſſaria eſt, firmitatem quoque dant conjugio, neque tamen propriè dicuntur & ſunt miniſtri. Neque 2. quòd ritus & ceremonias adminiſtret: namque Parochus v.g. qui infanti jam domi baptiſato ſolemnes ceremonias Baptiſmi adminiſtrat, propriè loquendo non dicitur ipſi Baptiſmi Sacramentum conferre ſeu adminiſtrare. Neque 3. quòd Fideles inſtruant qua ratione dignè poſſint Sacramentum iſtud percipere: aliud enim eſt Fideles inſtruere & dirigere ad dignam Sacramenti alicujus perceptionem, & aliud iiſdem Sacramentum adminiſtrare. Parochus v.g. tenetur ſuos adhortari, dirigere ad percipiendum ſanctè, ut oportet, Sacramentum Confirmationis, tenetur indignos arcere &c. an idcirco dici poteſt miniſter Confirmationis? Quis non rideat? Infirmæ igitur & contortæ videntur reſponſiones adverſariorum ad hoc ſecundum argumentum.

Tertiò ſic arguit Eſtius in 4. diſt. 26. parag. 10. *Concilium Florentinum declarat omnia Sacramenta tribus perfici, quorum tertium eſt perſona miniſtri conferentis Sacramentum. Intelligit autem miniſtrum Eccleſiæ, quia addit*, cum intentione faciendi quod facit Eccleſia. *Nam quomodo facit Eccleſia, quod nun-*

T. 2. p. 349. col. 2. C.

nunquam facit nec facere poteſt miniſter Eccleſiæ? Unde ex iſtis poſterioribus verbis fit, inquit Eſtius, *tale argumentum: Omne Sacramentum ſic inſtitutum eſt, ut illud facere debeat Eccleſia, (per ſuos ſcilicet miniſtros) niſi ob neceſſitatem, ut in Baptiſmo, alius faciat ſupplens vicem miniſtri Eccleſiæ, qui tamen etiam debet habere intentionem faciendi quod facit Eccleſia: ergo etiam Sacramentum Matrimonii ſic inſtitutum eſt, ut debeat fieri per miniſtrum Eccleſiæ.*

Confirmatur 1. Quia eadem eſſe debet conditio Matrimonii, ac aliorum Sacramentorum novæ Legis, quorum quodlibet ſacrum habet miniſtrum Eccleſiæ. 2. Quia contrahentes ut plurimùm non habent intentionem conferendi, ſed accipiendi dumtaxat Sacramentum Matrimonii: neque enim legimus eos admoneri in Libris Ritualibus, aut à Paſtoribus, ut habeant intentionem illum tanquam miniſtri hujus Sacramenti. 3. Quia ſicut in Pœnitentia rectè diſtinguitur virtus à Sacramento, ita in Matrimonio contractus humanus à Sacramento: & quemadmodum Sacerdos eſt miniſter Pœnitentiæ quatenus eſt Sacramentum; ita & Matrimonii, quatenus Sacramentum eſt, cauſa conficiens ſeu miniſter eſt ipſe Sacerdos, quatenus verò eſt contractus humanus, contrahentes ſunt ipſius cauſa. 4. Quia juxta Conc. Flor. omnia Sacramenta tribus perficiuntur, rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & intentione miniſtri: atqui ſi verba quibus Sacerdos conjungit in Matrimonium non ſunt eſſentialia, neque habent rationem formæ, nulla poſſunt aſſignari ex parte contrahentium quæ ſint eſſentialia; certum eſt etenim Matrimonium ſine verbis ſolis nutibus aut aliis exterioribus ſignis contractum validum eſſe. 5. denique, quia eorum Sacramentorum quæ in actione conſiſtunt, miniſter diſtinguitur à ſuſcipiente, nullus enim ſibi ipſi poteſt Sacramentum conferre, ſeipſum v. g. baptiſare, abſolvere &c. at contrahentes recipiunt Sacramentum Matrimonii; ergo non ſunt illius miniſtri.

Ad hoc argumentum reſpondent alii, contrahentes ex ipſa Chriſti inſtitutione ſupplere vices miniſtri Eccleſiæ in Matrimonio, atque ſibi invicem adminiſtrare Sacramentum iſtud, & quidem cum legitima intentione, utpote qui velint inire nuptias quales Chriſtus in nova Lege juſſit iniri à Chriſtianis, hoc eſt, quatenus ſunt verum Sacramentum. Reſpondent præterea, verba non eſſe eſſentialia, ſed ſatis eſſe ſi adſint aliqua exteriora ſigna.

Verùm Eſtius reponit 1. in ſolo Baptiſmo, propter ſummam ejus neceſſitatem, fieri ut alius vices ſuppleat miniſtri Eccleſiæ. *Et ſi hic eſſet ſupplementum*, inquit, *ſequeretur quòd multò magis miniſter Eccleſiæ, cujus vicem contrahentes ſupplent, id facere poſſet, quia magis poteſt rem unamquamque primarius adminiſter, quàm vicarius*. 2. Vel quilibet contrahens ſibi, vel unus alteri viciſſim Sacramentum adminiſtrat: at primum ex mox dictis repugnat; nullus enim ſibi ipſi adminiſtrat Sacramentum quod in actione poſitum eſt: alterum verò difficilè conciliatur cum ipſamet adverſariorum ſententia: cùm enim ambo contrahentes ſint miniſtri, ſimul conſtituunt unum totalem miniſtrum, ſiquidem neuter poteſt ſine altero, ex mutuo enim amborum conſenſu reſultat vinculum Matrimonii; exponi igitur vix poteſt, an priùs vir mulieri, an viro mulier Sacramentum conferat, an ſimul & eodem inſtanti ſibi invicem: quibus certè implicatis nodis locus non datur in ea

Digitized by Google

quam tuemur opinione; tuncenim perfectum cenſetur Matrimonium, cùm
Sacerdos audito mutuo contrahentium conſenſu, verba iſta aut ſimilia pro-
fert, *Ego vos conjungo &c.*

Omittimus hic argumentum petitum ex auctoritate multorum Theolo-
gorum qui noſtræ Concluſioni ſuffragantur; ſi enim ex auctoritate & nume-
ro Scholaſticorum pugnandum hic foret, vinceret haud dubiè oppoſita ſen-
tentia. Quæ verò fuerit S.Thomæ mens atque ſententia circa præſens argu-
mentum, non videtur ſatis exploratum: ſcribens enim in Libros Sententia-
rum, docet contrahentes eſſe miniſtros Matrimonii, & benedictionem Sa-
cerdotis eſſe dumtaxat aliquid ſacramentale, non partem Sacramenti eſ-
ſentialem; aliis tamen in locis certa quædam ſtatuit principia, ex quibus
colligi poſſet eum, mutata ſubinde ſententia exiſtimaſſe Sacerdotem eſſe mi-
niſtrum Sacramenti Matrimonii. Lib. 4. contra Gentes cap. 73. ait, *ea, in*
T.14.p. *quibus gratia illuminans confertur, exhiberi ſolùm poſſe à Sacerdotibus.* Et
777.col. cap. 78. ſic loquitur: *Matrimonium, in quantùm ordinatur ad bonum Eccle-*
2.A. *ſiæ, oportet quòd ſubjaceat regimini eccleſiaſtico: ea autem quæ populo per*
Ibid. p. *miniſtros Eccleſiæ diſpenſantur, Sacramenta dicuntur .... Matrimonium igi-*
790.col. *tur eſt Eccleſiæ Sacramentum: unde & quædam benedictio nubentibus per mini-*
2.C. *ſtros Eccleſiæ adhibetur.* Et 3.parte q.83. art.3. ad 8. *Diſpenſatio Sacramento-*
rum, inquit, *pertinet ad miniſtros Eccleſiæ.* Et 2.2. qu.100. art.2. ad 6. docet
ſecundùm jura prohiberi, ne pro benedictione nuptiarum aliquid exigatur;
quia Matrimonium eſt Eccleſiæ Sacramentum. Denique in Supplemento q.
22. art. 2. *Sacramenta*, inquit, *in quibus gratia confertur, diſpenſare, ad ſo-*
los Sacerdotes pertinet. Et qu. 31. art. 1. *Nullius Sacramenti diſpenſatio laicis*
ex officio competit. Et qu. 59. art. 2. ad 1. ait *Matrimonium, ſecundùm quod eſt*
Sacramentum conſiſtens in diſpenſatione miniſtrorum Eccleſiæ, non competere Infi-
delibus. Ex his omnibus S. Doctoris teſtimoniis conjicit Sylvius, futurum ut
ſi ultimam manum ſuæ Summæ appoſuiſſet S. Thomas, agniturus fuiſſet Sacer-
dotem eſſe miniſtrum Sacramenti Matrimonii; ſed hæc conjectura eſt, non
certa & evidens probatio.

Supereſt ut jam exponamus & ſolvamus adverſæ partis objectiones.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. Eugenius IV. S.P. in Decreto ſeu Inſtructione Armenis data
loquens de Sacramento Matrimonii, ait *cauſam ejus efficientem regulariter*
T. 13. *eſſe mutuum conſenſum per verba de præſenti*; cauſa verò efficiens & miniſter
Conc.p. hic unum & idem ſunt: porro conſenſus ille à contrahentibus declaratur;
539. A. contrahentes igitur ſunt cauſæ efficientes ſeu miniſtri Matrimonii, non tan-
tùm quatenus eſt humanus contractus, ſed quatenus eſt verum Sacramen-
tum, de quo potiſſimum Armenos informat S.Pontifex, cùm Matrimonium
recenſet inter ſeptem Legis novæ Sacramenta.

Sunt qui paulò liberiùs de hocce Eugenii Decreto ſentientes, reſpon-
dent nullam per illud Theologis legem ac neceſſitatem imponi ſubſcri-
bendi iis omnibus quæ circa materiam & formam Sacramentorum Armenis
exponit, v.g. circa materiam & formam Confirmationis, Ordinis &c. in qui-
bus certè & aliis nonnullis capitibus à doctrina hujuſce Inſtructionis recedere
religio-

religioni non ducunt quamplures Theologi. Verùm hac miſſa reſponſione.

Reſp. hoc certum & exploratum eſſe debere, noluiſſe ſcilicet hoc in Decreto S. Pontificem, aſſignare quæ ſit materia, quæ forma, quive miniſter Sacramenti Matrimonii. Cùm enim aliorum Sacramentorum materiam & formam & miniſtrum diſtinctè aſſignaſſet his verbis, *Materia hujus Sacramenti &c.* de Matrimonio nihil tale dixit; quòd nempe intelligeret, rem inter Theologos adeo controverſam in ſuſpenſo eſſe relinquendam. Cùm igitur citatis verbis ait cauſam efficientem Matrimonii eſſe mutuum conſenſum, agit de vinculo Matrimonii, (abſtrahendo à ratione Sacramenti) quod omnino eſſe indiſſolubile affirmat, & cujus efficientem cauſam non immeritò aſſignat mutuum conſenſum; ex illo enim, ut diximus ſuprà, reſultat nexus ſeu vinculum illud in quo conſiſtit eſſentia Matrimonii, quatenus humanus eſt contractus. Ita Eugenii verba interpretatur Catechiſmus Concilii Tridentini parte 2. de Matrimonio n. 6. *Cùm dicunt*, inquit, *conjugium eſſe conſenſum maris & feminæ, hoc ita accipiendum eſt, conſenſum ipſum Matrimonii cauſam effectricem eſſe; quod Patres in Concilio Florentino docuerunt. Etenim obligatio & nexus oriri non poteſt niſi ex conſenſu & pactione.*

Neque urget quod additur, loqui ſcilicet Eugenium de ſeptem novæ Legis Sacramentis, inter quæ Matrimonium recenſet. Id quidem fatemur ultro; at ſatis fuit S. Pontifici, Armenos docuiſſe Matrimonium eſſe ſeptimum novæ Legis Sacramentum: quæ verò addit de cauſa ejus efficiente, non ſpectant Matrimonium quatenus Sacramentum, ſed quatenus eſt contractus humanus ex quo reſultat nexus & vinculum indiſſolubile. Id ita eſſe oſtendit mutata loquendi ratio qua uti ſolet Eugenius in aliis Sacramentis; ſtatim enim ac dixit v.g. *Primum omnium Sacramentorum eſt Baptiſmus*, addit: *Hujus Sacramenti materia &c.* At in præſenti argumento mutat conſuetam loquenti rationem, & ſimpliciter ait: *Cauſa efficiens Matrimonii* &c. non ait, *hujus Sacramenti*: ne ſcilicet, quod jam obſervavimus, rem figeret in Scholis hinc & inde agitatam.

Objicies 2. Concilium Trid. Seſſ. 24. cap. 1. de reformatione, docet Matrimonia clandeſtina rata & vera fuiſſe, quamdiu Eccleſia ea irrita non fecit, quamquam ea ſemper prohibuerit ac deteſtata fuerit: atqui Matrimonia hujuſmodi & ſine teſtibus, & ſine proclamationibus, & maximè ſine miniſterio Sacerdotis, adeoque ſine benedictione eccleſiaſtica perficiebantur; igitur verum eſt ac ratum eſſentialiter Matrimonium ſine miniſterio Sacerdotis & benedictione Eccleſiæ. *T. 14. Conc. p. 876. A. B.*

Reſp. diſt. maj. Concilium Trid. docet Matrimonia clandeſtina rata & vera fuiſſe quoad fœdus, ac vinculum perpetuum & civilem contractum, antequam Eccleſia ea irrita feciſſet, concedo: rata & vera fuiſſe quoad rationem & virtutem Sacramenti, nego. Conceſſa minore diſtinguo pariter conſequens: ergo verum eſt ac ratum eſſentialiter Matrimonium, quoad fœdus, vinculum perpetuum & civilem contractum, ſine miniſterio Sacerdotis & benedictione Eccleſiæ, concedo: quoad rationem & virtutem Sacramenti, nego. Itaque Conc. Trid. loco citato firmitatem ac vinculum Matrimonii potius ſpectat, quàm Sacramenti dignitatem; ac docet Matrimonium clandeſtinum, quamdiu Eccleſia illud irritum non fecit,

E 2 ratum,

ratum, verum & indiſſolubile eſſe ratione contractus, an verò tale Matrimonium fuerit Sacramentum, minimè ſtatuit Concilium, teſtante ipſomet Concilii Hiſtorico Pallavicino Lib. 23. cap. 9. num. 13. *Nunquam*, inquit, *declaravit Concilium clandeſtina Matrimonia fuiſſe Sacramenta, adeo ut graves Theologi id negent*. Quòd verò Synodus citato in loco validitatem ſeu firmitatem Matrimonii magis ſpectet, quàm dignitatem Sacramenti, patet ex eo quòd declaret valuiſſe pro præterito clandeſtina Matrimonia, inpoſterum verò irrita & nulla fore: poſſe verò ſeparari in Matrimonio rationem contractus à ratione Sacramenti, ita ut ſit verum & ratum Matrimonium, quod tamen careat dignitate & virtute ſeu efficacia veri Sacramenti, antea probavimus.

T. 3. p. 765.

Nonnulli ex verbis ipſius Concilii conantur efficere, Matrimonia clandeſtina non fuiſſe vera Sacramenta, eo quòd loco citato Concilium declaret Eccleſiam ſemper ea prohibuiſſe ac deteſtatam fuiſſe: porro, inquiunt, ſi tale Matrimonium verum fuiſſet Sacramentum, quomodo Eccleſia illud deteſtata fuiſſet? At, noſtro quidem judicio, infirma videtur hæc probatio: non immeritò quippè reponent adverſarii, Eccleſiam deteſtatam fuiſſe in Matrimonio clandeſtino, non Sacramentum ipſum, ſed ejus abuſum, ac neglectas in eo celebrando Eccleſiæ leges; quomodo deteſtatur indignam & ſacrilegam Euchariſtiæ perceptionem, ſalva ſemper & integra remanente tùm Sacramenti ſubſtantia, tùm ea, quæ ipſi debetur, reverentia.

Inſtabis 1. Conc. Trid. agit de Matrimonio quatenus Sacramentum eſt, Canone ſiquidem 1. Seſſ. 24. *definit illud eſſe Sacramentum*. Et Can. 12. *damnat eos qui docent cauſas matrimoniales non ſpectare ad Judices eccleſiaſticos*. Ergo cùm declarat Matrimonia clandeſtina rata & vera fuiſſe, antequam ab Eccleſia irrita fierent, ea rata declarat in ratione Sacramenti; neque enim ſub alia ratione Matrimonium conſiderat Eccleſia: quæ enim ſpectant contractum civilem, & ex eo conſequentes civiles ac politicos effectus, non Eccleſiæ, ſed Magiſtratuum civilium juriſdictioni ſubjiciuntur. Cùm igitur Eccleſia ſemper judicaverit de Matrimonio clandeſtino, iis etiam temporibus quibus irritum non erat, ſequitur Matrimonium hujuſmodi tunc fuiſſe Sacramentum; & conſequenter Conc. Tridentinum declarando Matrimonia clandeſtina rata & vera fuiſſe, quamdiu ea Eccleſia irrita non fecit, ſupponit ea rata fuiſſe non tantùm in ratione contractus civilis, de quo illa non judicat, ſed maximè in ratione Sacramenti.

To. 14. Conc. p. 874. & 875.

Reſp. Canone 1. citato revera Concilium agere de Matrimonio quatenus Sacramentum eſt, cujus dignitatem aſtruit adverſùs Novatores; at in capite laudato generatim loquitur de Matrimonio, neque quidquam aſſerit unde certò poſſit inferri Matrimonia clandeſtina vera fuiſſe Sacramenta. Et certè quod ſtatuit Canone illo primo, omnium Orthodoxorum conſenſu ad fidem pertinet: quis verò dixerit fidei noſtræ caput eſſe, Matrimonia clandeſtina fuiſſe vera Sacramenta ante Decretum Tridentinum quo irrita & nulla inpoſterum declarantur? nemo certè. Quæ igitur docet Synodus Canone illo primo, transferri non debent ad ea quæ declarat capite primo citato, in quo quæ dicit de Matrimonio clandeſtino vero & rato ante prohibitionem Eccleſiæ, intelligi meritò poſſunt de Matrimonio rato quoad fœdus, vinculum, & contractum civilem, non verò quoad dignitatem

& vir-

& virtutem Sacramenti. Neque hinc rectè infertur, Eccleſiam leges tuliſſe circa civilem contractum Matrimonii. Non ita eſt: ſed inferri dumtaxat debet, Matrimonium clandeſtinum irritum non fuiſſe quamdiu illud irritum non fecit Eccleſia, ſive fuerit Sacramentum, ſive non, quem nodum non ſolvit Synodus Tridentina.

Canone verò 12. meritò damnat eos qui negant cauſas matrimoniales pertinere ad Judices eccleſiaſticos, ſive reipſa Matrimonium contractum fuerit verum Sacramentum, ſive non fuerit; quia nempe tenentur omnes Chriſtiani eo ritu celebrare nuptias, qui neceſſarius eſt ut ipſis accedat dignitas Sacramenti, voluit enim Chriſtus Matrimonium Chriſtianorum eſſe Sacramentum; atque in judicium vocare jure poteſt Eccleſia, eos omnes ex ſuis, qui non eo debito ritu Matrimonium contrahunt: ſicque judicavit de Matrimoniis clandeſtinis, non quòd eſſent vera Sacramenta, ſed quòd eſſe debuiſſent; atque cenſuræ ſuæ eos ſubjecit, qui ſpretis Chriſti & Eccleſiæ ſuæ legibus aliter nuptias contraxiſſent, quàm ferat Chriſti & Eccleſiæ conſtitutio.

Inſtabis 2. Sequitur ex noſtra ſententia, eos omnes Fideles qui clam Matrimonium contraxerunt ſine præſentia & benedictione Sacerdotis ante Concilium Tridentinum, caruiſſe & Sacramento Matrimonii & ejus effectu: at id durum videtur, fortè temerarium.

Reſp. ſi quid in eo durum ſit, totum eſſe refundendum in eos qui contra Eccleſiæ legem ac diſciplinam nuptias celebrabant clam & in abſcondito ſine præſentia & benedictione Sacerdotis; eos enim peccaſſe dubitari non poteſt. Quamquam igitur daremus Matrimonium ab illis ſic initum verum fuiſſe Sacramentum, gratia tamen ſacramentali privatos illos fuiſſe, fateri debent adverſarii, propter obicem quem ponebant; imò & novo ſacrilegii peccato eos ſe inquinaſſe, cùm indignè Sacramentum perciperent: quo novo ſacrilegii peccato videntur liberari in ea quam hic propugnamus ſententia, ſiquidem Matrimonium ſic clam ab illis contractum non erat verum Sacramentum; ergo quamquam grave foret eorum peccatum, ob neglectas Chriſti & Eccleſiæ leges, ſaltem carebat ea gravitate, quæ propria eſt ſacrilegii.

Inſtabis 3. Non alia de cauſa Matrimonium clandeſtinum ante Decretum Concilii Tridentini ratum erat ac firmum, & perpetuum ejus vinculum, quàm quòd verum eſſet Sacramentum.

Reſp. nego ant. Matrimonium enim inter Infideles firmum eſt ac inſolubile ex ſe, quod tamen non eſt verum Sacramentum: Quamquam, ut antea dictum fuit, per Baptiſmum major accedit Matrimonio firmitas, eo quòd ceſſet cauſa propter quam diſſolvi poteſt inter Infideles, ſi nempe eorum unus ad fidem convertatur, nec velit alter cum eo pacificè & ſine injuria Creatoris habitare; inter Fideles verò conſummatum Matrimonium ſola morte poteſt diſſolvi.

Objicies 3. Benedictio Sacerdotis, & verba quibus contrahentes conjungit in Matrimonium, non pertinent ad eſſentiam, ſed ad ſolemnitatem dumtaxat Sacramenti Matrimonii.

Antecedens probant adverſarii.

I. quia de illa benedictione idem non aſſeruit Concilium Tridentinum

cap. 1. Seſſ. 24. quod de præſentia Parochi & teſtium, nempe nullum & irritum eſſe Matrimonium defectu hujus benedictionis, ſicut declarat nullum eſſe defectu præſentiæ Parochi & teſtium; ergo videtur Concilium in ea eſſe mente, talem benedictionem non eſſe eſſentialem.

II. ſecundæ & ulteriores nuptiæ tali benedictione carent. Ita ſtatutum legimus Can. 7. Concilii Neocæſarienſis, & cap. 1. Concilii Lateranenſis ſub Alexandro III. titulo, *De ſecundis nuptiis*. Porrò ſecundæ nuptiæ veram habent Sacramenti rationem; eſt igitur verum eſſentialiter Sacramentum Matrimonii ſine benedictione Sacerdotis.

III. Alexander III. parte 6. Appendicis Concilii III. Lateranenſis cap. 8. declarat ratum eſſe Matrimonium ſine benedictione, imò & ſine præſentia Parochi, modò adſit ejus Notarius, qui certè meri teſtis, non miniſtri perſonam ſuſtinere poteſt. Sic enim reſpondet S. Pontifex Epiſcopo Salernitano, à quo conſultus fuerat: *Conſuluiſti nos*, inquit, *utrum inter virum & mulierem, præſtito, vel non præſtito ſacramento, ſi legitimus conſenſus intervenerit de præſenti, carnali copula non ſecuta, liceat mulieri alii nubere, vel ſi nupſerit alii, & carnalis copula fuerit ſecuta, an ab ipſo debeat ſeparari. Super hoc inquiſitioni tuæ taliter reſpondemus: Quòd ſi legitimus conſenſus ea ſolemnitate qua fieri ſolet, præſente Sacerdote, aut etiam ejus Notario, ſicut etiam in quibuſdam locis adhuc obſervatur, coram idoneis teſtibus interveniat de præſenti . . . . non liceat mulieri alii nubere.* Hæc Alexander III. ex quibus duo videntur manifeſta. Primum, loqui S. Pontificem de Matrimonio prout Sacramentum eſt: ſiquidem exigit ut ordinaria ſolemnitate celebretur coram Sacerdote, vel ejus Notario. Secundum, non exiſtimaſſe S. Pontificem, Sacerdotem eſſe miniſtrum Sacramenti Matrimonii, & benedictionem eſſe abſolutè neceſſariam; aliàs quomodo permiſiſſet vices Sacerdotis demandari ejus Notario, viro certè laico qui eccleſiaſticam benedictionem diſpenſare profectò non poteſt? Et quomodo ratum habuiſſet Matrimonium coram tali Notario celebratum, niſi perſuaſum habuiſſet & Sacerdotem & Notarium non alias hic partes implere, quàm meri teſtis, quamquam neceſſarii?

T. 10. Conc. p. 1574. D.

IV. verum ac ratum eſt Matrimonium præſente quidem Parocho, ſed benedictionem connubialem recuſante, contractum, ab illis nempe qui coram illo & teſtibus in facie Eccleſiæ declarant ac conteſtantur, quòd ſeſe mutuò in conjuges accipiant & ſibi mutuò fidem obligent, quod Matrimonii genus vulgò dicitur gallicè *à la gaulmine*, quòd à viro hujus nominis ita celebratum ſit apud nos. Rata verò ac firma eſſe hujuſmodi conjugia, multis ſupremi Senatus Pariſienſis Decretis demonſtrant.

V. qui contrahunt Matrimonium juxta præſcriptam à Concilio Tridentino formam, cum occulto tamen impedimento dirimente, eo per diſpenſationem ſublato, non tenentur rurſus contrahere coram Parocho benedicente ac verba conſueta pronuntiante, ſed ſufficit ſi clam inter ſe contrahant, vel affectum maritalem ſigno aliquo exteriori ſibi mutuò teſtentur, quemadmodum declaravit S. Pius V. teſte Navarro c. 22. Manualis n. 7. Extat quoque eam in rem Declaratio Cardinalium, data ſedente Clemente VIII. S. Pontifice, quam lege poſt caput 1. Seſſ. 24. Concilii Trid. de reformatione Matrimonii, editionis Lugdunenſis. Porro ſi Parochus eſſet

Digitized by Google

eſſet miniſter neceſſarius hujus Sacramenti, qua ratione abſque ejus miniſterio valere confirmari poſſet ſecundum iſtud Matrimonium, cùm, ut diximus, prius nullum fuerit propter impedimentum dirimens occultum.

VI. denique, Cardinales præpoſiti interpretationi Concilii Tridentini declaraverunt *verum ac ratum eſſe Matrimonium, etiam ſi Parochus nulla proferat verba, imò etſi ipſe diſſentiat & invitus præſens adſit dum contrahentes mutuò ſibi dant & accipiunt fidem.* Eas Cardinalium Declarationes habes in editione Concilii Tridentini Lugduni facta, p.427.& 428.

Reſp. nego ant.

Ad primam ejus probationem ex Concilio Tridentino, dico id unum poſſe meritò confici, nempe Synodum Tridentinam nihil circa præſentem ſtatuiſſe quæſtionem, quod certè ultrò concedimus; neque enim nos dogma hìc proponimus, ſed opinionem dumtaxat quam ut probabiliorem amplectimur.

Ad ſecundam: ſecundæ & ulteriores nuptiæ carent quidem aliqua benedictione accidentali quæ intra Miſſarum ſolemnia à Sacerdote pronuntiatur poſt dictum, *Libera nos*, & incipit ab his verbis in Rituali Pariſienſi, *Propitiare, Domine, ſupplicationibus noſtris* &c. at non carent alia benedictione eſſentiali, per quam Sacerdos tanquam Dei & Eccleſiæ miniſter conjuges in Matrimonium conjungit, & quæ talis eſt, *Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Jacob, ipſe vos conjungat, impleatque benedictionem ſuam in vobis, & ego conjungo vos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* Rituale Par. p. 381. Cauſa verò & ratio cur ulterioribus nuptiis deneget Eccleſia benedictionem illam accidentalem, duplex eſt potiſſimùm. Prima, quia ſecundæ & ulteriores nuptiæ quamdam præ ſe ferunt incontinentiæ ſpeciem, à qua procul abeſt caſtiſſima Chriſti ſponſa, unde & pœnitentiam imponebat olim ſecundò nubentibus, & benedictionem denegabat, ut magis inde ſuum in continentiam ſtudium & amorem ſignificaret. Hanc rationem & cauſam nitidè exponit Rituale Leodienſe apud P. Martene de antiquis Eccleſiæ ritibus Tom. 2. parte 2. *Ordo XIV.* pag. 647. *Hanc benedicendi formam*, inquit, *non impendet Sacerdos ſecundis nuptiis, ſed primis dumtaxat, non quidem quòd ſecundæ nuptiæ non verum ac legitimum Matrimonium contineant, ſed quòd non tam perfectè ſicut primæ, Chriſti Domini unius ſponſi cum ſua ſponſa Eccleſia unicam ac ſimplicem repræſentent conjunctionem.* Secunda ratio erat, quia benedictio hæc inſtar eſt cujuſdam conſecrationis, cujus finis eſt fœcunditas mulieris; cùm igitur conſecratio non iteretur, & mulier quæ jam nupſit fœcunditatem adepta præſumatur, non repetitur illa benedictio, quæ tota tendit ad impetrandam fœcunditatis gratiam. Rationem hanc reddit Concilium Lateranenſe III. ſub Alexandro III. titulo *De ſecundis nuptiis*, cap. 1. *Vir*, inquit, *vel mulier ad bigamiam tranſiens, non debet à Presbytero benedici: quia cùm alia vice benedicti ſint, eorum benedictio non debet iterari.* T. 10. Conc. p. 1597.

Canon Concilii Neocæſarienſis qui citatus eſt, certè ad rem noſtram præſentem non pertinet: neque enim prohibet dari ſecundò nubentibus benedictionem, ſed Sacerdotibus tantùm vetat ne interſint conviviis quæ celebrantur in ſecundis nuptiis.

Ad tertiam: Notarii illi ſeu ſcribæ quibus vices aliquando demandabantur

celebrandi Matrimonia, non erant, ut ſupponit objectio, viri laici, ſed ex Cleri ordine aſſumpti, qui munia eccleſiaſtica obibant, ſicut colligimus ex Libro Sacramentorum S. Gregorii pag. 70. editionis eruditi Patris Menardi Benedictini, cujus notas vide in hunc locum ibidem pag. 89. Idem habemus ex vita S. Cæſarii, auctore Meſſiano Presbytero, ubi ſic loquitur: *Cùm ecce vir Dei per eadem loca ad aliam pergeret Eccleſiam, Clericus cui cura erat baculum illius portare, quod Notariorum officium erat, oblitus eſt &c.* Notarii ergo illi, de quibus objectio, munia aliqua eccleſiaſtica obibant, velut cereos accenſos tenere, ut ait S.Gregorius loco mox indicato; baculum Epiſcopi portare, ut ait Meſſianus, & alia id genus; non erant igitur purè Laici, ſed ex Clero aſſumpti; non ergo mirum ſi aliquando deputarentur ad excipiendum conſenſum eorum qui Matrimonio conjungi poſtulabant, & impertiendam ipſis benedictionem conjugalem.

Ad quartam: hoc unum ſequitur, Matrimonium contractum præſente Parocho, ſed benedictionem Eccleſiæ recuſante, ratum quidem eſſe quoad vinculum, civilem contractum & effectus purè temporales; at ratum & verum eſſe quoad rationem Sacramenti, minimè inde demonſtratur: imò potius contrarium, ſiquidem & Epiſcopi pœna excommunicationis animadvertunt in eos qui ſic contrahunt; ac poſt impoſitam & adimpletam pœnitentiam, compellunt ut rurſus coram Sacerdote benedicente juxta ritus Eccleſiæ contrahant; & ipſi judices ſæculares, poſtquam pronuntiarunt circa valorem & firmitatem contractus civilis, remittunt ejuſmodi conjuges ad Epiſcopos & Parochos, ut ab iis pœnis canonicis puniantur, & juxta leges eccleſiaſticas in Matrimonium, quatenus Sacramentum eſt, rurſus conjungantur, facta Notariis ſeu ſcribis publicis prohibitione, ne admittant contractum conjugalem per verba de præſenti, eumque in Tabulas publicas referant, Parocho benedictionem Eccleſiæ recuſante.

Ad quintam, eadem eſt reſponſio: nempe eo in caſu ſi coram Parocho non renovetur conſenſus, eſſe quidem Matrimonium verum, ratum, indiſſolubile; ſed non eſſe verum & propriè dictum Sacramentum.

Ad ſextam, Declarationes illas Cardinalium quæ juris publici factæ ſunt, nullius ponderis & auctoritatis eſſe; neque fidem eis eſſe habendam declaravit S.P. Urbanus VIII. an. 1631. die 2. Auguſti; declararunt & ipſimet Cardinales anno 1621. die 29. Aprilis & 6. Junii. Lege verba apud Sylvium in 2.2. S. Thomæ q. 100. art. 2. verſus finem p. 708.

Objicies 4. Cùm Chriſtus contractum matrimonialem evexit ad dignitatem Sacramenti, non mutavit naturam ipſius contractus; ergo eoſdem eſſe voluit miniſtros Sacramenti Matrimonii, qui ſunt & ipſius contractus. Porro conjuges cauſam eſſe effectricem contractus conjugalis, res eſt manifeſta.

Reſp. nego conſeq. manente quippe eadem natura contractus, diverſus eſſe poteſt miniſter Matrimonii prout eſt contractus, & prout eſt Sacramentum: non immutavit enim Chriſtus materiam contractus, ſed aliquid ei addidit, nempe dignitatem & efficaciam Sacramenti, quæ videtur exigere ſpecialem Eccleſiæ miniſtrum, ut diximus.

Objicies denique: Si Matrimonium abſque benedictione ſacerdotali contractum non eſt Sacramentum, quare non monentur Heterodoxi cùm ad nos redeunt, ut coram Parocho rurſus contrahant, percepturi Sacramenti gratiam?

Reſp.

Reſp. rationem eſſe, tùm quia infirmis aliquibus offenſioni eſſe poſſet lex quæ obligaret ita coram Parocho renovandi conſenſum: ſuſpicari etenim inde poſſent, nullum antea fuiſſe Matrimonium, & ſibi concedi licentiam convolandi ad alias nuptias, quod certè falſum eſt, ac tanti periculi, ut expediat magis talem legem non ferri. Tùm quia non conſtat inter Theologos, an Matrimonium quod valuit in ratione contractus, accedente ſacerdotali benedictione fiat Sacramentum. Ratio enim dubitandi eſt, quòd non adſit Sacramentum Matrimonii, niſi cùm actu fit contractus, hoc eſt mutuus conſenſus exprimitur & ſignificatur coram Sacerdote: atqui contractus eo in caſu non fit, ſed jam diu factus ſupponitur. Tùm denique quia non legimus olim Infideles vel Hæreticos, qui in infidelitate vel hæreſi Matrimonio conjuncti fuerant, compulſos fuiſſe rurſus coram Eccleſia contrahere, cùm ad ejus ſinum confugerunt.

QUÆSTIO QUARTA.

De cauſa efficiente Matrimonii, ſeu de mutuo contrahentium conſenſu.

MUtuus contrahentium conſenſus dicitur cauſa efficiens Matrimonii, reſpectu ſcilicet vinculi quod remanet poſt contractum: ſi enim ſermo ſit de ipſo contractu, ut vocant, in fieri, conſenſus per verba de præſenti expreſſus, cauſa eſt formalis extrinſeca.

Quæ ſpectant neceſſitatem & conditiones conſenſus in Matrimonio requiſiti, nonnullis hìc quæſtionibus ac reſponſis, qua fieri poterit brevitate & perſpicuitate abſolvemus. Itaque

Quæres 1. utrum ad Matrimonium validè contrahendum neceſſarius ſit utriuſque conjugis conſenſus.

An cõſenſus ſit neceſſarius.

Reſp. affirmativè. Matrimonium enim eſt firmum vinculum mutui atque perpetui amoris, animorum corporumque conjunctio: atqui ſine mutuo conſenſu non ſtat primò nexus amoris mutui. Ut enim ſcitè ait Nicolaus I. S. P. c. *Præſens*, cauſa 20. q. 3. *Quod quis non eligit neque optat, profectò non diligit; quod autem non diligit, facilè contemnit.* Quæ ratio ut in aliis, ita maximè locum habere debet in eo ſubeundo jugo, quod perpetuum eſt nec ſolvi poteſt, eaque onera habet annexa, quæ moleſtiarum, amaritudinis ac laboris plurimùm ſecum trahunt. 2. ſine mutuo conſenſu non transfertur corporis dominium; non enim poſſunt cujuſquam bona in alterius tranſire poteſtatem, niſi vel cogente lege, vel per ipſius domini conſenſum: cùm igitur nulla cogente lege poteſtas mutua corporum in Matrimonio transferatur, conſequens eſt id non aliter fieri, quàm per mutuum conſenſuum eorum qui contrahunt. Communis hæc eſt SS. Pontificum & Conciliorum doctrina. Nicolaus I. jam laudatus apud Gratianum cauſa 27. qu. 2. *Sufficiat*, inquit, *ſolus ſecundùm leges conſenſus eorum* (id eſt, quorum quarumque conſenſu & conjunctionibus agitur) *qui conſenſus ſi in nuptiis ſolus fortè defuerit, cætera etiam cum ipſo coitu celebrata fruſtrantur.* Nicolai verba repetit & confirmat Innocentius III. Cap. *Cùm apud ſedem.* Cap. *Tuæ paternitatis.* Cap. *Tuas. De ſponſa duorum.* Et Alexander

Grat. p. 1227. n. 30.

Grat. p. 1509. n. 10.

xander III. titulo *De ſponſalibus*. cap. *Cùm locum*, ait *Matrimonium ſolo conſenſu contrahi*. Dum SS. Pontifices ſolum conſenſum exigunt, non excludunt alia neceſſaria ſecundùm leges divinas aut eccleſiaſticas; ſed innuere dumtaxat volunt, ſolum conſenſum contrahentium cauſam eſſe efficientem matrimonialis vinculi. Concilium Florentinum in Decreto, & Tridentinum Seſſ. 24. cap. 1. de reformatione Matrimonii idem pariter docent. Inde eſt quòd cùm Rebecca poſtularetur ad nuptias, parentes ipſius conſenſum exploravere prius, quàm fidem darent, *Vocemus puellam*, inquiebant Gen. 24. v. 57. *& quæramus ipſius voluntatem*.

Quærunt hic nonnulli Scholaſtici, utrum Deus pro ſua abſoluta poteſtate ſupplere poſſit conſenſum, & efficere ut verum ſit Matrimonium, non accedente conſenſu conjugum. Affirmant aliqui, inter quos Eſtius in 4. diſt. 27. paragr. 3. rati Deum ſupremo jure poſſe conferre dominium corporis unius in alterum; ac conſequenter ſupplere vices conſenſus qui eſt tantùm cauſa efficiens. Verùm alii negant; atque non immeritò advertunt otioſam videri præſentem quæſtionem, cùm tali jure nuſquam Deus uſus fuerit. Ratio eſt, quia conſenſus eſt cauſa formalis, quamquam extrinſeca, Matrimonii, neque magis poteſt Deus facere ut ſit Matrimonium ſine conſenſu, quàm meritum ſine actu voluntatis, licèt voluntas ſit tantùm cauſa efficiens.

Quæres 2. ſi conſenſus defuerit ex parte dumtaxat unius contrahentium, an ſtet Matrimonium.

To. 10. p. 476. E.

Reſp. negativè cum S. Thoma in 4. diſt. 27. q. 1. art. 2. quæſtiunc. 4. *Si deſit*, inquit, *conſenſus maritalis ex parte unius, ex neutra parte eſt Matrimonium; quia Matrimonium conſiſtit in mutua conjunctione*.

Quæ ſint conditiones conſenſus.

Quæres 3. quæ ſint conditiones requiſitæ in conſenſu, ut validum efficiat Matrimonium.

Reſp. conſenſum debere eſſe internum, & ſigno aliquo exteriùs manifeſtatum; ſincerum, non fictum; liberum, non coactum; ab errore immunem, publicum.

Dices 1. Poſſunt Principes ſubditos etiam invitos cogere ad contrahendum Matrimonium, ſicut & ad alios contractus civiles ineundos, v. g. ad vendendum frumentum tempore neceſſitatis.

Reſp. eo in caſu contractum non eſſe ex parte illius qui cogitur, ſed ex parte Principis, qui ob publicum ſubditorum bonum, poteſt ad hanc venditionem cogere, imò & partem bonorum, quibus nonnulli affluunt, dum alii fame pereunt, à divitibus diſtrahere ut aliis concedat.

Dices 2. Judex eccleſiaſticus poteſt etiam pœnis canonicis adigere virum ad contrahendum Matrimonium cum virgine quam corrupit.

Reſp. eo in caſu Eccleſiam ſupponere virum illum, ut à pœnis immunis fiat, reipſa in Matrimonium conſentire: quòd ſi non conſentiret & animo totus reluctaretur, nullum & irritum foret conjugium.

Dices 3. Filii impuberes quorum nomine parentes ſponſalia pro futuro contraxerunt, poſtquam ad adultam ætatem pervenerunt, illa confirmare & rata habere obligantur. Cap. *Tua ſanctitas*, cauſâ 31. q. 2. quod caput Hormiſdæ S. Pontifici tribuitur.

Reſp. 1. jure novo caput illud abrogatum fuiſſe. 2. mens S. P. ſic expo-

exponi poteſt, nempè filium impuberem, ſi nullam legitimam cauſam habuerit, teneri ob paternam reverentiam illa ſponſalia rata habere: nihilominus tamen ſi vel juſtam cauſam habuerit obſiſtendi, vel ſi adduci non poſſit ut conſentiat, ab illis poteſt reſilire, nec celebrare Matrimonium.

Quæres 4. an conſenſus interior, nullo exteriori ſigno expreſſus ſufficiat ad Matrimonium.

Reſp. negativè. 1. quia conſenſus ille eſt materia Sacramenti: atqui non poteſt eſſe materia, niſi fiat ſenſibilis per aliquod ſignum exterius. 2. quia conſenſus unius conjugis debet ab alio acceptari: at id fieri non poteſt niſi cognoſcatur per aliqua exteriora ſigna: homines quippe ſenſa ſua & cogitationes communicare invicem non poſſunt ſola directione & intentione animi, ſicut Angeli faciunt, ſed per externa quædam ſymbola, ſive ſint verba, ſive quodcunque aliud ſignum. 3. quia aliàs ſequeretur inter homines locis ſejunctiſſimos ac mutuum conſenſum planè ignorantes, Matrimonium intercedere poſſe, ex quo certè quanta rei civilis & eccleſiaſticæ perturbatio ſequtura eſſet, nemo non intelligit. An conſenſus interior ſufficiat.

Quæres 5. per quod exterius ſignum neceſſe ſit exprimi conſenſum.

Reſp. per verba de præſenti. Ita Eugenius S. P. in Decreto. *Cauſa*, inquit, *efficiens Matrimonii, regulariter eſt mutuus conſenſus per verba de præſenti expreſſus*. Ubi particula hæc, *regulariter*, non refertur ad ipſum conſenſum, quaſi fieri aliquando poſſet Matrimonium ſine conſenſu; ſed refertur ad *verba*: quia nempè abſolutè ſine verbis poteſt contrahi Matrimonium per aliqua alia ſigna externa, ut contingit cùm muti junguntur Matrimonio. Ita Innocentius III. cap. *Tuæ fraternitatis*. *De ſponſalibus*, ubi poſtquam dixit *Matrimonium in veritate contrahi per legitimum viri & mulieris conſenſum; quantùm autem ad Eccleſiam, neceſſaria eſſe verba conſenſum exprimentia*; ſubjungit, *ſurdos & mutos poſſe contrahere Matrimonium ſine verbis. Quod enim verbis non poſſunt, ſignis valent declarare*, ait idem S. Pontifex cap. *Cùm apud ſedem Apoſtolicam*. Ita pariter Catechiſmus Romanus parte 2. de Matrimonio n. 10. *Verborum loco*, inquit, *tùm nutus & ſigna quæ intimum conſenſum apertè indicent, ſatis ad Matrimonium eſſe poſſunt; tum ipſa etiam taciturnitas, cùm puella propter verecundiam non reſpondet, ſed pro ea parentes loquuntur*. An debeat eſſe exterior. To. 13. Concil. p. 539. A. Decret p. 1438 n. 10. Ib. pag. 1437. n. 10.

Quæres 6. utrum conſenſus interior debeat eſſe verus & ſincerus; an fictus, per verba tamen de præſenti exteriùs ſeriò & liberè expreſſus, ſufficiat; quidve facto ſit opus, cùm alteruter conjux poſt verba exteriùs ſeriò & liberè prolata, conteſtatur ac declarat ſe animo revera diſſenſiſſe. An debeat eſſe interior ſincerus an fictuus, etſi exteriùs ſeriò expreſſus, ſufficiat.

Reſpondent aliqui poſt Magiſtrum L. 4. diſt. 27. littera C. Matrimonium iſtud validum eſſe. *Si verbis explicant*, ait Magiſter, *quod tamen corde non volunt, ſi non ſit coactio ibi, vel dolus, obligatio illa verborum quibus conſentiunt dicentes, Accipio te in virum, & ego te in uxorem, Matrimonium facit*. Videtur ergo exiſtimare Magiſter ſufficere conſenſum in pronuntiationem verborum quæ ex ſe obligationem important, non autem neceſſarium eſſe conſenſum in rem ſignificatam per verba. Solet momentis & rationibus nonnullis confirmari hæc opinio.

I. quia in aliis contractibus, v. g. venditionis, ſufficit obligatio reſultans ex verbis quibus contractus exprimitur, ſine interiori animo aut venden-

di

di, aut ſe quocunque alio modo obligandi: aliàs ſi eo ipſo nulla foret venditio, quo vendens non conſenſit interiùs, poſſet occultè rem ſuam accipere,& reſtituere acceptum pretium ipſi emptori, ſine peccato contra juſtitiam; ſiquidem qui fictè vendidit, non tranſtulit dominium in emptorem, cùm nulla ſit venditio defectu conſenſus: at quàm abſurdum iſtud ſit, & contra commune bonum; & quàm multis & fraudibus & diſſenſionibus aditum aperiat, per ſe ſatis eſt manifeſtum. Sicut ergo in venditione ſigna externa contractus voluntariè & ſeriò facta, inducunt veram obligationem, ac firmum efficiunt contractum, etſi deſit conſenſus interior, ita & in Matrimonio.

II. Quicunque rem facit liberè ac ſeriò, ex qua nexu neceſſario ſequitur obligatio, ille tali obligatione tenetur, quantumcunque declaret ſe animum habuiſſe ab obligatione contrahenda longè alienum; aperta quippe videtur eſſe contradictio, & proteſtatio, ut ajunt, facto contraria. V. g. ſi quis ſolemniter aſtringat ſe alicui Religioni, haud dubiè voto tenetur, ſi voluntariè, liberè, ac nulla vi compulſus ea fecit & dixit quæ faciunt & dicunt ii qui verè ac ſincerè votum ſolemne emittunt, quantumcunque interiùs ille diſſentiat, ac ſe diſſenſiſſe profiteatur.

III. Non alia ratione cognoſci poteſt interior conſenſus, quàm ſignis exterioribus, neque alius eſt modus contrahendi inter homines: cùm igitur ſeriò & voluntariè exhibentur ſigna hujuſmodi, ſufficiens cenſetur adeſſe conſenſus ad contractum ejuſque obligationem. Si verò contingat deeſſe interiorem aſſenſum, præterquam quod præſumi id non debeat, nec facilè credi, nihilominus tamen ſtat contracta obligatio; nemini quippe ſua fraus ac dolus debet patrocinari: atque quàm multa inde ſcandala, incommoda, familiarum perturbationes, doli, fraudes, conjugum diſſenſiones ac rixæ ſuboriri poſſint, nemo non videt. Qui enim ad alias nuptias convolare, ſuamque dimittere voluerit uxorem, poterit conteſtari ſe nuſquam animo in Matrimonium conſenſiſſe, ſed fictè ac doloſè; atque Matrimonium quod contraheret cum altera, in conſcientia & coram Deo ratum eſſet & validum, licèt Eccleſia, quæ non judicat de occultis, illud improbaret & pro nullo haberet. Ratio eſt, quia prius Matrimonium defectu interioris conſenſus irritum fuit ac nullum; iſtud verò, & alia benè multa graviſſima incommoda cautè declinat laudata Magiſtri opinio.

IV. denique, miniſter qui ſeriò externum Sacramenti ritum adhibet, qualem Chriſtus inſtituit & uſurpat Eccleſia, verè conficit Sacramentum, licèt careat interiori intentione faciendi rem ſacram; ergo pariter qui per verba de præſenti ſeriò ac voluntariè contrahit Matrimonium, verè contrahit, quamquam animo interiùs diſſentiat.

Reſpondent alii, & quidem numero plures, Matrimonium in adducta hypotheſi nullum eſſe, quia ex dictis non ſtat Matrimonium ſine conſenſu conjugum vero, ſincero & ex animo, ut patet ex cap. *Tua nos, De ſponſalibus*, atqui fictus conſenſus reipſa non eſt verus conſenſus, ſincerus & ex animo. Ita docet ſanctus Bonaventura in 4. diſt. 27. quæſtione 2. *Si ſit*, ait, *conſenſus exterior ſine interiori, non eſt Matrimonium ſecundùm veritatem, nec ſecundùm divinum judicium, nec ſecundùm conſcientiæ forum*.

T. 5. p. 356.

Ita pariter ſanctus Thomas in eandem diſt. q. 1. art. 2. *Sicut*, inquit, *ſi quis ablutionem perciperet exteriorem, non intendens accipere Sacramentum, ſed*

T. 10. p. 476. D.

ſed ludum & dolum facere, non eſſet baptiſatus; ita expreſſio verborum ſine interiori conſenſu, Matrimonium non facit. Præterea Matrimonium eſt eſſentialiter contractus quo contrahentes ſibi invicem donant ſuas perſonas; quod certè fieri non poteſt ſine conſenſu vero & ſincero. Denique Matrimonium eſt vinculum perpetui & mutui amoris, eſt etiam animorum conjunctio, quæ omnia eſſe non poſſunt ſine vero ae ſincero conſenſu.

Ad momenta verò prioris ſententiæ reſpondent.

Ad primum: hoc diſcriminis eſſe inter contractum conjugalem & alios, v. g. emptionis & venditionis, quòd in priori fiat non tantum corporum, ſed animorum conjunctio, quæ quidem ſine vero ac ſincero conſenſu vix poteſt intelligi: quamquam non deſunt Theologi, qui putant ex contractu ficto quocunque, hoc eſt, qui ſupponitur eſſe ſine animo ſe obligandi, reipſa obligationem non oriri, ſecluſo damno, aut injuria, aut ſcandalo, quorum opinionem refellit Pontius L. 2. c. 4.

Ad ſecundum: negant coram Deo & in foro conſcientiæ naſci obligationem, tùm in Matrimonio, tùm in Voto ſolemni, ex verbis liberè quidem & feriò, ſed fictè & ſine interiori animi aſſenſu prolatis. Cùm enim, inquiunt, Deo pateat intimus animorum ſenſus, atque votum ipſimet Deo fiat, voto non tenetur, qui reipſa interiùs apud ſe vovere non intendit, nec ſe ligare. Non ita porro eſt quoad forum externum Eccleſiæ, quæ cùm non judicet de internis, niſi per ſigna exteriora, præſumit & Matrimonium & votum his in caſibus valere, quando nullum præceſſit ſignum ex quo prudenter poſſit judicare, fictum fuiſſe animum & contrahendi & vovendi; unde Eccleſia hujuſmodi homines obligat & ad retinendum vinculum Matrimonii, & ad perſolvendum votum, ut mox dicemus. Hic autem ſermo eſt dumtaxat de veritate Matrimonii coram Deo & in foro conſcientiæ, ſi reverà animo interiùs reluctante contractum fuerit.

Ad tertium eadem eſt reſponſio. Rectè quidem probat iſtud tertium argumentum, in foro exteriori Eccleſiæ ratum & validum haberi Sacramentum Matrimonii, quamdiu certis & invictis indiciis non demonſtratur (quod demonſtrare difficile eſt) fictum fuiſſe in contrahente animum: unde cùm alia nubere non permittitur, nec dicenti ſe cohibuiſſe conſenſum fides habetur; utque ut conſenſum de novo præbeat, ſi aliàs eum retinuerit, jubetur: locum igitur non habent, quæ hìc timentur incommoda.

Ad quartum; ſunt qui negant miniſtrum verè conficere Sacramentum, ſi careat interiori animo ſeu intentione illud conficiendi, adeoque totum iſtud quartum momentum ultro concedunt. Alii negant paritatem: quia, inquiunt, generalis intentio miniſtri qua intendit facere exteriùs quod Chriſtus inſtituit & uſurpat Eccleſia, ſufficit ut perficiatur Sacramentum; at non ſufficit in Matrimonio uſurpare verba quæ verum exprimant conſenſum, ſi reipſa deſit ille interior conſenſus, quia nempè ſine illo fieri non poteſt nec intelligi animorum conjunctio, qualis eſſentialiter ac neceſſariò exigitur Matrimonio.

Ad auctoritatem verò Magiſtri, ſunt qui reſpondent, hoc ipſi, ut & alia non pauca incautè ſcripta, condonari debere. Aliis placet eum exponere, quaſi loquutus dumtaxat fuerit de veritate & validitate Matrimonii coram Eccleſia & in foro externo; non verò coram Deo, & in foro conſcientiæ.

Quan-

Digitized by Google

Quantùm verò ad ſecundam propoſitæ quæſtionis partem, quæ praxim ſpectat, quid nempè factoſit opus, cùm alteruter conjux poſt verba exteriùs liberè ac ſeriò prolata, conteſtatur ſe verè non conſenſiſſe.

Reſpondent iidem Theologi

I. eum qui conſenſum interiorem retinuit, graviter peccaſſe contra veritatem & juſtitiam. Contra veritatem quidem, ratione mendacii; cùm nempè aliud verbis expreſſit, quàm quod animo ſentiebat; contra juſtitiam, cùm alterum contrahentem fraude ac dolo decepit, à quo poteſtatem in ſuum corpus recepit, cui reciprocam, ut debebat, ille non conceſſit.

II. affirmanti ſe fictè conſenſiſſe, fidem non eſſe habendam, niſi tam certis demonſtraret argumentis, ut negari meritò non poſſet. *Præſumendum enim eſt bonum*, ait S. Thomas in 4. diſt. 27. q. 1. art. 2. *niſi probetur contrarium*. Et Innocentius III. cap. *Per tuas*. *De probationibus*, ait *nimis indignum eſſe, juxta legitimas ſanctiones, ut quod ſua quiſque voce dilucidè poteſtatus eſt, in eundem caſum proprio valeat teſtimonio infirmare*. Et ſanè ſi cuilibet affirmanti ſe ficto animo contraxiſſe, crederetur, atque licentia ipſi fieret ad alias convolandi nuptias, familiarum conditionem, Rempublicam, ac totam Eccleſiam confundi & perturbari neceſſe foret. Audiri igitur facilè non debent, qui contra propria ſua verba & facta reclamant; atque ne ſerpat ejuſmodi proterva licentia, graviſſima ſtatim per Epiſcopum imponi debet pœnitentia ita conteſtanti, ob ſcilicet fraudem qua & Eccleſiam, & contrahentem alterum deluſit: ſic fiet ut aut non declaret ſe non conſenſiſſe, aut ſaltem de novo, ut debet, conſentiat.

T. 19. p. 476. E.

Decret. p. 694. n. 20.

III. reſpondent, eum qui fictè conſenſit teneri in conſcientia ſub peccato mortali, verè & ex animo conſentire; tùm ut verborum, quibus contraxit exteriùs, veritatem adimpleat; tùm ut injuriam & Eccleſiæ & alteri conjugi illatam reſarciat; tùm ut graviſſima, quæ inde ſuboriri poſſent & ſcandala & incommoda effugiat. Abſolvendus igitur non eſt vir hujuſmodi, niſi priùs verum conſenſum præbuerit, ſive interiùs, ſive exteriùs, prout expedire judicaverit prudens Sacerdos, etiamſi longè diſpar fuerit conditio viri & mulieris; hæc quippe diſparitas certum & indubitatum non eſt argumentum denegati veri conſenſus. Lege Pontium L. 2. de Matrim. c. 5. Hæc autem ſic intelligenda ſunt, ſi nempè nulla ſit veriſimilis ratio exiſtimandi reipſa defuiſſe aliqua ex parte conſenſum; ſi enim omnibus benè penſatis ac ponderatis defuiſſe præſumatur, nec adduci poſſet qui reluctatur, ut rurſus conſentiat in Matrimonium, tunc poſt reparatum parti læſæ damnum illatum, & factam pro mendacio & injuria Eccleſiæ illata pœnitentiam, abſolvi poterit, ac per Judicem eccleſiaſticum nullum declarari præcedens Matrimonium.

IV. reſpondent, non debere Judicem eccleſiaſticum in caſu propoſito declarare nullum præcedens iſtud Matrimonium, niſi certis aliquibus & indubitatis argumentis probatum fuerit reipſa conſenſum defuiſſe; quod certè cùm difficile ſit admodum demonſtrare, rarò etiam ac difficilè admodum debet Judex eccleſiaſticus tale Matrimonium irritum & nullum declarare. Tomas Sanches L. 2. de Matrim. diſp. 45. concluſione 3. ennumerat & expendit conjecturas illas omnes & cauſas ex quibus moveri poteſt Judex ut exiſtimet prudenter reipſa defuiſſe conſenſum.

V. de-

V. denique reſpondent, quòd, ſi revera defuerit conſenſus, nec adduci poſſit homo ut illum de novo exhibeat propter aliquas cauſas graviſſimas, non debeat ad alias tranſire nuptias niſi poſt ſententiam Judicis eccleſiaſtici, in iis præſertim locis in quibus viget diſciplina Concilii Tridentini circa celebrationem Matrimonii: quòd ſi tamen contingat eum cum altera contraxiſſe, antequam prius Matrimonium fuerit per ſententiam Judicis eccleſiaſtici declaratum nullum & irritum, valebit poſterius iſtud conjugium coram Deo, quia nempè prius, defectu veri conſenſus, nullum fuit; & quamquam per excommunicationem cogeretur ab Eccleſia, relicta poſteriori muliere, redire ad priorem, non teneretur ille in conſcientia & coram Deo obtemperare, atque nulla foret excommunicatio, cujus nulla eſſet eo in caſu cauſa legitima, cùm reipſa non prius, ſed poſterius Matrimonium ratum ſit. Eodem igitur modo ſe haberet, ac ille qui cùm reipſa legitimam haberet uxorem, alteram tamen acciperet, Eccleſia prius ejus Matrimonium prorſus ignorante: teneretur quippe ille, relicta ſecunda, redire ad primam & ſolam legitimam uxorem; quamquam etiam lata excommunicatione (errore facti) ab Eccleſia cogeretur remanere cum ſecunda: quo certè in caſu, ſicut & in altero, debet potius vir patienter ferre ſententiam excommunicationis, quàm relicta vera & legitima conjuge (quam ignorat Eccleſia) ad aliam, quæ ſua non eſt, accedere. Ita Innocentius III. cap. *Inquiſitionis tuæ. De ſententia excommunicationis. Debet potius*, inquit, *excommunicationis ſententiam humiliter ſuſtinere, quàm per carnale commercium peccatum operari mortale*. Ita pariter S. Thomas in Suppl. q. 45. art. 4. Ut autem tertium iſtud incommodum ſanè graviſſimum præcaveatur, caveant conjuges ne interiorem aſſenſum retineant, quem ſi fortè retinuerint, quantocius illum reſtituant, nec utantur jure conjugali niſi priùs eo reſtituto. *Decre. p. 1916. n. 30.*

Quæres 7. an conſenſus metu extortus reddat Matrimonium nullum & irritum. *De conſenſu ex metu.*

Ad ſolutionem propoſitæ quæſtionis nonnulla ſunt obſervanda.

I. voluntas propriè cogi non poteſt ad actus ſuos internos; quod enim vult, haud dubiè voluntarium eſt: impropriè igitur dicitur cogi, cùm nempè aliqua cauſa impellitur ut velit.

II. metus rectè definitur, *inſtantis periculi vel futuri opinio cum trepidatione*.

III. multiplex diſtinguendus hìc metus: alius gravis, alius levis; alius qui ex cauſa interna naturali, alius qui ex cauſa externa oritur; alius juſtus, alius injuſtus; alius denique reverentialis.

Metus gravis eſt de aliquo imminente probabiliter malo, vel in ſe gravi, ut eſt mors, mutilatio, exilium, vel gravi ratione timentis, ſicut mulieri poteſt eſſe grave malum, quod leve eſt viro. Levis eſt, qui concipitur de levi malo, & ſecundùm ſe, & in ordine ad perſonam timentem. Prior dicitur cadens in conſtantem virum, nòn item poſterior.

Metus ortus ex cauſa interna naturali dicitur, qui vel ob conſervationem vitæ, vel ob fugam pœnæ æternæ, vel ob quodcunque ſimile fugiendum aut aſſequendum impellit ad agendum.

Metus è contra ortus ex cauſa externa dicitur, qui agente exteriùs comminante ac premente concipitur; & hic iterum duplex: vel enim externum agens eſt tantùm occaſio metus, vel eſt vera & efficiens ipſius cauſa, ratio-

ratione violentiæ quam infert. V. g. mercator ſæviente tempeſtate ad vitæ conſervationem merces in mare projicit, aut votum aliquod emittit: tempeſtas dicitur occaſio hujus projectionis mercium, & emiſſionis voti; econtra latro diſtricto pugione mortem comminatur niſi pecuniam dederis; violentia hæc exterior dicitur vera cauſa metus ex quo fit actio.

Metus juſtus dicitur, qui à Judice vel Superiori ex cauſa legitima incutitur, quæ fundamentum habet in crimine illius cui incutitur metus. V. g. Titius virginem corrupit, data fide futuri Matrimonii: conjicitur in carcerem, atque gravi intentata pœna compellitur ducere in uxorem puellam quam decepit; metus hujuſmodi juſtus eſt.

Metus verò injuſtus dicitur, qui contra juſtitiam indebitè incutitur.

Metus denique reverentialis eſt futuri mali exiſtimatio, quod nobis metuimus ab illis in quorum legitima poteſtate ſumus, & quos revereri ac colere tenemur: tales ſunt v. g. parentes. His prænotatis,

Reſp. 1. Matrimonium ex metu gravi injuſtè incuſſo contractum, nullum eſſe & irritum. Ita S. P. Alexander III. cap. *Cùm locum. De ſponſalibus. Cùm locum*, inquit, *non habeat conſenſus ubi metus vel coactio intercedit, neceſſe eſt, ut ubi aſſenſus cujuſdam requiritur, coactionis materia repellatur. Matrimonium autem ſolo conſenſu contrahitur; & ubi de illo quæritur, plena debet ſecuritate gaudere: cujus eſt animus indagandus, ne per timorem dicat ſibi placere, quod odit.* Ratio manifeſta eſt: ad Matrimonium etenim perficiendum neceſſaria eſt conjunctio animorum per amorem mutuum; at ubi gravis intervenit metus, nec animi verè per amorem ſociari poſſunt, nec conſenſus liber eſt. Unde meritò Codicis L. 5. titulo 4. lege 14. dicitur: *Neque ab initio Matrimonium contrahere, neque diſſociatum reconciliare quiſquam cogi poteſt. Unde intelligis liberam facultatem contrahendi atque diſtrahendi Matrimonii, transferri ad neceſſitatem non oportere.*

Decre. p. 1419. n. 10.

Reſp. 2. Matrimonium contractum ex gravi metu juſtè incuſſo, ſive per cauſam naturalem internam, ſive per externam, validum eſſe. Ratio primæ partis eſt, quia qui agit ex metu per cauſam internam naturalem incuſſo, liberè agit; ſeipſum enim ad unum determinat, ut aliud effugiat ac declinet. Sic validè contrahit Matrimonium, qui vel metu mortis, vel amore ſanitatis, vel ad pœnam æternam ſeu damnationem fugiendam ad illud contrahendum impellitur. Eo ferè modo quo qui urgente ac ſæviente tempeſtate votum emittit, haud dubiè voto tenetur, quamquam metu mortis facto, quia liberè fit: eſt quippe in libertate illius hominis ſe morti præſenti objicere, potius quàm vovere; quicunque ergo Matrimonium contrahit ut liberet ſe ab aliquo gravi malo quod pertimeſcit, haud dubiè vinculo conjugali verè obſtrictus ille eſt, dummodo malum illud eum in finem non ſit injuſtè intentatum ut tale contrahat Matrimonium. Ratio ſecundæ partis eſt, quia ſibi imputare debet homo ille quòd ita ſit metu adigendus ad Matrimonium, cui per delictum ſuum juſtam dedit occaſionem; aliundè verò præſumitur liberè conſentire, ut ſe expediat ab illis malis, in quæ ſe ultro conjecit. Qui igitur carcere detentus eam puellam in uxorem ducere compellitur, quam poſt fidem datam deceperat, & ni fecerit mala graviſſima non effugiet, validè contrahit Matrimonium, quia metus ille, quamquam gravis, juſtè incutitur; poſtulat enim ordo juſtitiæ, ut damnum illa-

tum

Digitized by Google

tum reparetur. Pariter valet Matrimonium in eo qui, ut effugiat pœnam capitis qua damnatus fuerat, talem mulierem ducit in uxorem; imò ſi metus ſit ab aliqua cauſa externa injuſtè incuſſus, non tamen præcisè eum in finem ut Matrimonium contrahatur, valet Matrimonium contractum ea intentione ut periculum illud imminens fugiatur. *Pontius p. 228.*

Reſp. 3. Matrimonium ex metu gravi, etiamſi juſtam originem habuerit, contractum, nullum eſſe, quoties qui metum illum incutit, peccat contra juſtitiam & bonos mores. Sic v. g. cap. *Veniens de ſponſalibus*, dicitur nullum Matrimonium contractum à juvene, quem, quia pater cum filia deprehendit, interficere voluit, & ideo illam duxit. Ratio eſt, quia metus ille reipſa injuſtè incurritur: namque non potuit pater illius puellæ juvenem propria ſua auctoritate interficere, ſicut poterat juſtè accuſare apud Judicem, & in vincula conjicere. *Ib. pag. 229. & 215. Decret. p. 1450. n. 40.*

Reſp. 4. Matrimonium contractum ex metu levi, ratum eſſe: quia levis ille metus facilè depelli poteſt, nec tollit libertatem.

Reſp. denique Matrimonium ex metu reverentiali contractum, eſſe validum: quia quod fit ex reverentia quæ parentibus debetur, ultrò ac liberè fit; imò eo liberiùs, quo parentibus placere illud magis cognoſcitur. Quod tamen ſic intellige, modò abſit ex parte parentum omnis verberum comminatio, ira gravis, ac planè moroſa & difficilis cum illis cohabitatio &c. his quippe in caſibus metus cenſetur gravis & injuſtè illatus; vim enim ſuis filiis inferre non debent parentes, ſicut nec Principes ſuis ſubditis, ut certa ineant Matrimonia, quemadmodum mandat Conc. Trid. Seſſ. 24. de reform. Matrimonii cap. 9. *Pontius p. 208. To. 14. Conc. p. 879.*

Quæres 8. an conſenſus in Matrimonium debeat eſſe ab errore immunis, & publicus; hoc eſt coram Eccleſia expreſſus.

Reſp. affirmativè: probationes referemus inferiùs, cùm de impedimento erroris, & de neceſſaria Parochi præſentia diſſeremus.

Quæres 9. an conſenſus ſub aliqua conditione datus, etiam per verba de præſenti, ſufficiat ut ratum ſit & validum Matrimonium. V. g. ſi quis dicat, Habeo te in uxorem, ſi pater meus conſenſerit &c. *De conſenſu conditionato.*

Reſp. non valere. Ratio eſt, quia conſenſus ſub conditione non Matrimonium, ſed ſponſalia dumtaxat efficit; Matrimonium enim non fit, niſi per conſenſum præſentem & actu expreſſum: ſed ubi datur ſub conditione conſenſus, non cenſetur præſens, ſed tantùm futurus, cùm nempè implebitur conditio, cujus proprium eſt ſuſpendere effectum; ea itaque pendente, pendet & ipſe conſenſus, pendet & ipſum Matrimonium: unde quando impletur conditio ſub qua contractus conjugalis initus fuit, novo opus eſt conſenſu ut ratum evadat Matrimonium. Favet Jus canonicum cap. *Super eo. De conditionibus appoſitis*, ubi cùm quæſitum eſſet ab Urbano III. S. P. an qui conſenſit in quamdam fœminam, ſi pater ejus præſtaret aſſenſum, ſit ad Matrimonium compellendus: reſpondet S. P. *Cùm ejuſmodi conſenſus non ſit habendus de præſenti, licèt per verba de præſenti evidenter exprimatur, quia in alieno arbitrio non habito ſed habendo conſiſtit*; talem, niſi voluntas patris poſtmodum acceſſerit, non eſſe cogendum ad Matrimonium contrahendum. Pariter cap. *Per tuas. De conditionibus appoſitis*, conſultus S. P. Innocentius III. de contractu per verba de præſenti celebrato ſub iſta *Decret. p. 469. n. 20.*

conditione, ſi pater & patruus conſentirent, qui de facto non conſenſerunt; verùm priusquam reſiſterent, contrahentes copulati ſunt, ſic reſpondet: *Cùm liquidò conſtet, quòd poſt contracta ſponſalia carnalis eſt inter eos copula ſubſecuta, pro Matrimonio eſt præſumendum, quia videntur à conditione appoſita receſſiſſe. Nam & ſi probatum ſit, quòd poſtquam pater & patruus contradixere ſponſalibus, idem vir mulierem illam carnali conjunctione cognoverit, non eſt tamen aliquo modo probatum, quòd antequam ipſe cognoviſſet eandem, pater eius & patruus contradicere curaviſſent.* Quo in loco obſerva, S. Pontificem contractum illum per verba de præſenti celebratum non appellare Matrimonium, ſed ſponſalia. Deinde ad controverſiam definiendam recurrit S. Pontifex ad præſumptionem juris, nempè illa ſponſalia ſub tali conditione facta tranſire per ſubſequentem copulam in Matrimonium; cenſet igitur ſponſalia contracta ſub conditione, non habere veram Matrimonii rationem ac naturam.

Ibid. p. 1470. n. 20.

Non abſimili ratione eundem caſum ſolverunt Cardinales præpoſiti interpretationi Concilii Tridentini, ſedente ſummo Pontifice Clemente VIII. En caſus. *Titius cum Bertha coram Parocho & teſtibus contraxit Matrimonium per verba de præſenti, ſed hac tamen conditione, ſi id ſalvo meo honore fieri poteſt, & ſi fratribus meis placuerit. Deinde non expectato conditionis eventu, copulam habuit cum Bertha affectu maritali, & copula ſcitur à multis. Quæritur, an per hæc ſit jam firmatum Matrimonium de præſenti, nec oporteat expectare conditionis eventum. Et ratio dubitandi eſt, quoniam contractus ille coram Parocho & teſtibus cùm fuerit per appoſitam conditionem ſuſpenſus, non potuit habere vim Matrimonii de præſenti, ſed ſponſalium de futuro, & copula cum affectu maritali ſubſecuta, quamvis oſtendat receſſum fuiſſe à conditione, tamen non ſufficit ad Matrimonii veritatem, niſi de præſenti contrahatur coram Parocho & teſtibus.* En caſus, cui ſic reſpondent dicti Cardinales: *Congregatio Concilii cenſuit in caſu propoſito valere Matrimonium, nec requiri ut de novo coram Parocho & teſtibus contrahatur.*

Quæres 10. an & quæ conditiones poſſint apponi in contractu Matrimonii. Reſp. 1. ex mox dictis, conditiones, ſi quæ apponuntur, ſpectare dumtaxat ſponſalia, non Matrimonium ipſum; neque enim poſt Concilium Tridentinum cuiquam licet Matrimonium ſub conditione contrahere.

Reſp. 2. conditiones quæ apponi poſſunt, multiplicis eſſe generis. Aliæ quippe ſunt generales, ſic dictæ quòd in quolibet contractu ſemper occurrunt, ſive exprimantur, ſive non: ut v.g. ſi quis dicat, Ducam te in uxorem, ſi vixerimus, ſi Deus voluerit &c. Aliæ ſunt ſpeciales, & rurſus ex iſtis quædam ſunt intrinſecæ ſine quibus ſtare non poteſt Matrimonium: v.g. ſi quis dicat, Ducam te in uxorem, ſi non ſis mea conſanguinea, vel ſi non ſis jam Matrimonio conjuncta; quædam verò ſunt extrinſecæ; & rurſus ex iſtis aliæ ſunt neceſſariò eventuræ, ut, Contraham tecum, ſi ſol manè oriatur; aliæ omnino impoſſibiles, ut Contraham tecum, ſi cœlum digito attigeris; aliæ verò contingentes & poſſibiles, inter quas aliquæ ſunt honeſtæ, aliquæ turpes, aliquæ indifferentes, & tandem inter turpes, aliquæ ſunt contra ſubſtantiam & bona Matrimonii, nempè prolem, fidem & ſacramentum, aliquæ verò non adverſantur ſubſtantiæ Matrimonii; aliæ denique ſunt conditiones vel de futuro, vel de præterito, vel de præſenti. De his omnibus ſic ſtatuendum.

I. con-

I. conditiones generales non magis ſuſpendunt contractum, quàm ſi non exprimerentur, quia ſubintelligi & præſupponi ſemper debent.

II. conditiones intrinſecæ, quæ vel natura vel legis auctoritate inſunt conjugali contractui, ſine quibus ſtare non poteſt, non reddunt pariter contractum ſponſaliorum conditionatum, nec ſuſpenſum. V. g. ſi quis dicat, Contraham tecum, ſi non es conſanguinea, vel ſi non es Matrimonio conjuncta, vel, ſi coram Parocho conſenſum dederis. Ratio eſt, quia conditiones hujuſmodi intrinſecè includuntur in ipſo contractu, ac perinde eſt ſive exprimantur, ſive taceantur; & idcirco non habent vim veræ conditionis, cujus proprium eſt effectum ſuſpendere.

III. Conditiones neceſſariò eventuræ non ſuſpendunt contractum, ac perinde ſe habent ac ſi appoſitæ non fuiſſent. Ita in Jure civili, *Qui ſub conditione ſtipulatur quæ omnino extitura eſt, purè videtur ſtipulari*. Ratio eſt, quia cùm futura illa conditio jam præſens ſit & determinata in ſua cauſa naturali, itaut impoſſibile ſit oppoſitum eſſe, cenſetur jam impleta: niſi fortè contrahentes vel conditionem hanc contingentem eſſe credidiſſent, vel eam non tanquam conditionem, ſed temporis præfinitionem appoſuiſſent, quo caſu ſuſpenderet, donec impleta foret conditio. V.g. ſi quis diceret, Contraham tecum, ſi ſol manè oriatur, & intelligeret ortum illum eſſe contingentem, vel per illum ortum intelligeret viſibilem diſcuſſis nubibus ſolis aſpectum, haud dubiè ſuſpenderetur contractus. Pariter ſi hunc ſolis ortum non tanquam conditionem, ſed temporis præfinitionem appoſuiſſet, ſuſpenderetur contractus, donec accederet tempus præfinitum. Obſerva, quòd ſi conditio neceſſaria non habeat diem certum ac præfinitum, qualis eſt v. g. iſta, Contraham tecum, ſi Titius moriatur, ſuſpenditur contractus uſque ad diem mortis Titii; quamquam enim neceſſe ſit illum mori, non tamen certus ac determinatus eſt reſpectu contrahentis dies mortis Titii: ſecus ſi conditio neceſſaria habeat diem certum, qualis eſt iſta, Contraham tecum ſi ſol cras oriatur.

IV. Conditiones impoſſibiles, & turpes quæ non adverſantur ſubſtantiæ Matrimonii, habentur pro non adjectis, nec ſuſpendunt contractum, ſed abſolutum & purum efficiunt. V. g. ſi quis dicat, Contraham tecum, aut contraho, ſi ſolem ſtare feceris, vel ſi furtis ac latrociniis operam dare mecum volueris. Ita Gregorius IX. S. P. Cap. *Si conditiones. De conditionibus appoſitis*, ubi ſic ſtatuit: *Si conditiones contra ſubſtantiam conjugii inſerantur, puta ſi alter dicat alteri: Contraho tecum, ſi generationem prolis evites; vel donec inveniam aliam honore vel facultatibus ditiorem; aut ſi pro quæſtu adulterandam te tradas, matrimonialis contractus, quantumcumque ſit favorabilis, caret effectu: licèt aliæ conditiones appoſitæ in matrimonio, ſi turpes aut impoſſibiles fuerint, debeant propter ejus favorem pro non adjectis haberi*. Conſentiunt vulgò Doctores Canoniſtæ, ſola Juris canonici diſpoſitione conditionibus illis vel turpibus vel impoſſibilibus non ſuſpendi connubialem contractum: ſtando quippe in uno jure naturali, videtur potius ſuſpendi contractus per conditiones hujuſmodi, ſicut rectè obſervat Baſilius Pontius L. 3. de Matrim. cap. 3. n. 2. Verùm diſputant inter ſe iidem Doctores, de ſenſu mox citati Decreti, cujus varias explicationes legere poteris apud mox citatum auctorem L. 3. cap. 4. & Thomam Sanches Lib. 5. diſput. 3. *Decret. p.1470. n.50.*

F 2 qui-

quibus prætermiſſis, placet imprimis expoſitio quam affert Sanches loco citato n. 18. nempè, *omnes fideles dum Sacramenta recipiunt, cenſentur ea recipere juxta Eccleſiæ intentionem; & dum contractus ineunt matrimonii, & norunt conditionem eſſe impoſſibilem, eamque rejici ab Eccleſia, & pro non adjecta haberi, ſed præſumere conſenſum eſſe purum & abſolutum, videntur velle purè contrahere, juxta intentionem Eccleſiæ, & ut ipſa Eccleſia præſumit, & indicat tale matrimonium, niſi aliter ſuam explicent intentionem*. Conditiones ergo illæ aut impoſſibiles aut turpes, hoc eſt, quæ ſunt contra bonos mores & ad peccatum inducunt, rejiciuntur à contractu ſponſaliorum & Matrimonii, ac pro non adjectis habentur. Ratio eſt, quia Eccleſia in gratiam & favorem Matrimonii, quantùm poteſt, præſumit; exiſtimat igitur conditiones hujuſmodi non feriò, ſed jocosè apponi, unde pro non adjectis habentur. Vide Sanches L. 5. diſput. 15. Si verò conditiones illæ turpes ſint vel de præterito, vel de præſenti, v. g. Contraho tecum, ſi ſis inimica Petri, ſi hominem occidiſti, aut fornicationem commiſiſti, ſentiunt vulgò Theologi, conditiones hujuſmodi, quamquam turpes, rejiciendas non eſſe, atque valere contractum comprobata veritate conditionis. Ratio eſt, quia conditiones illæ non inducunt ad peccatum, ſed illud ſupponunt.

P. 396.

Sanch. L. 5. diſ. 15. Quæres 11. quænam conditiones cenſeantur eſſe contra ſubſtantiam Matrimonii.

Reſp. eas eſſe quæ militant adversùs bona Matrimonii, nempè prolem, fidem & ſacramentum. Si quis igitur diceret, Contraho tecum, ſi nullos mihi procreaveris liberos, ſi venena ſterilitatis ſumas, generationem evites. Pariter, ſi te alteri adulterandam dederis. Pariter, Contraho tecum, donec aliam invenero nobiliorem, ditiorem &c. totidem ſunt conditiones quæ vitiant ſubſtantiam Matrimonii, ejuſque lædunt, vel finem, vel ſanctitatem, vel indiſſolubilitatem. Inde facilè inferes, omnem conditionem quæ reſolutoria eſt, hoc eſt, quæ eo animo apponitur ut ſolvatur Matrimonium contractum, nullam eſſe ac planè rejiciendam, cùm nuſquam, niſi ſola morte, diſſolvi poſſit Matrimonium ratum & conſummatum.

Ex his facilè colliges, conditiones honeſtas contractui ſponſaliorum apponi poſſe, ſive ſint de præſenti, vel de præterito, vel de futuro; earumque comperta veritate, contractum de conditionato tranſire in abſolutum.

Qua verborũ formula debeat exprimi conſenſus. Quæres 12. qua verborũ formula debeat exprimi conſenſus in Matrimonium.

Reſp. iis exprimi debere verbis aut ſignis, quæ juxta conſuetudinem loci aut communem intelligendi modum exprimunt conſenſum de præſenti: v. g. Habeo te in uxorem. Duco te &c. Ratio eſt, quia non fit Matrimonium niſi per conſenſum de præſenti.

Quæres 13. quid ſentiendum ſit de formula contrahendi, in qua ponitur dictio excluſiva, v. g. Non ducam, vel, Non duco aliam niſi te.

Vide Pontium Lib. 1. cap. 10. Reſp. 1. in propoſitione de præſenti aut præterito particulam exceptivam includere ſemper affirmationem: ut in iſtis propoſitionibus, Non video niſi te; ſenſus eſt, Te video, & nullum alium. Pariter in iſto S. Matth. loco, *Neminem viderunt niſi ſolum Jeſum*; ſenſus eſt, Jeſum viderunt, & nullum alium cum ipſo. In iſta pariter propoſitione, Nolo aliam uxorem, niſi te; ſenſus eſt, Te ſolam duco & non aliam: ac verè tali verborum formula Matrimonium perficitur.

Reſp.

Reſp. 2. in propoſitionibus de futuro, vel quæ reſpiciunt tempus futurum, particulam exceptivam non includere poſt negationem affirmationem, niſi aliquid extrinſecum apponatur quo affirmatio incluſa ſignificetur, vel id poſtulet ſubjecta materia, & id de quo agebatur, oſtendat. V. g. in iſtis propoſitionibus, Non ingrediar Religionem, niſi Carthuſianorum; Cæſar promiſit ſe hoc anno non geſturum bellum, niſi contra Turcas; ſenſus non eſt obligari te ad ingrediendam Religionem Carthuſianorum; pariter Cæſarem obligari ad bellum contra Turcas ſuſcipiendum. Ratio eſt, quia particula exceptiva, *niſi*, his in propoſitionibus conditionalis eſt, atque iſtum efficit ſenſum, Si Religionem ingrediar, non aliam quàm Carthuſianorum; Si Cæſar bellum moverit, non contra alios quàm contra Turcas. Iſta ſimiliter propoſitio, Non aliam ducam quàm te, obligationem non inducit, nec efficit contractum ſponſaliorum: ſenſus enim eſt, Si aliquam duxero uxorem, non aliam quàm te. Addidi, niſi aliquid extrinſecum apponatur quo affirmatio incluſa ſignificetur, vel id poſtulet ſubjecta materia, quo caſu obligatio naſcitur ad id quod enuntiatur in propoſitione: v.g. cùm dicitur 3. Regum 22. v. 31. *Non pugnabitis contra majorem quemquam vel minorem, niſi ſolùm contra Regem Iſrael.* Et 2. Paralipomenon c. 18. v. 15. *Ne mihi loquaris, niſi quod verum eſt*, ſenſus eſt, Pugnabitis contra Regem Iſrael, & non contra ullum alium; Loqueris verum, & nihil aliud niſi verum. Ex ſubjecta ſcilicet materia & circumſtantiis clarum eſt, particulam excluſivam poſt negationem unius, includere affirmationem alterius. Pariter igitur ſi quis poſt ſtipulationem factam dotis & aliarum rerum hujuſmodi dicat, Non aliam ducam, niſi te; certum eſt ex materia ſubjecta & circumſtantiis veram obligari fidem ad ducendam talem in uxorem, adeoque verum eſſe contractum ſponſaliorum.

Reſp. 3. particulam exceptivam in oratione affirmativa poſitam, verè ponere actum in caſu excepto, & removere ab omnibus aliis: v.g. cùm dicitur, Ducam tantùm te; vera eſt promiſſio ducendi, & fit verus ſponſaliorum contractus: ſicut cùm dicitur, Duco tantùm te, fit Matrimonium; quòd enim ponat actum ex vi affirmationis planum eſt, aliàs propoſitio non eſſet affirmans, aut eſſet falſa: quòd autem alia ab actu excludantur, hoc habet quatenus eſt exceptio, aliàs non eſſet vera propoſitio.

QUÆSTIO QUINTA.

De proprietatibus Matrimonii.

THeologi poſt SS. Auguſtinum & Thomam tria diſtinguunt nuptiarum bona, fidem, prolem & ſacramentum. Nomine fidei non intelligunt theologicam hujus nominis virtutem, ſed eam juſtitiæ partem qua promiſſis conjuges ſtare debent, in ſervanda ſcilicet thori conjugalis fide ac integritate, ne ad aliam vel alium accedant. Per ſacramentum hic intelligunt ſignum unionis ſacræ ac perpetuæ quæ eſt inter Chriſtum & Eccleſiam. Fides Matrimonii unitatem, ſacramentum firmitatem & indiſſolubilitatem, proles verò neceſſitatem demonſtrat, quæ præcipuæ ſunt Matrimonii proprietates de quibus dicendum nobis eſt.

Digitized by Google

ARTICULUS PRIMUS.

De unitate Matrimonii.

UNitati Matrimonii opponitur polygamia, ſeu uxorum pluralitas: hæc autem vel ſucceſſiva eſt, cùm nempe mortuo uno conjuge, alter ad ſecundas vel ulteriores convolat nuptias; vel ſimultanea, cùm eodem tempore aut vir plures uxores, aut mulier plures habet viros. De utraque ſeorſim agendum.

De polygamia ſucceſſiva.

An ſecundæ & ulteriores nuptiæ ſint licitæ.

Fuiſſe illicitas ac per ſe malas cenſuere inter veteres Hæreticos Montaniſtæ, quibus ſe adjunxit Tertullianus, referente S. Auguſtino Lib. de hæreſibus cap. 26. tùm Novatiani, teſte Theodoreto Lib. 3. hæretic. fabul. cap. 5. Illuſtriſſimus Petrus de Marca Tractatu de Matrimonio, exiſtimat ratas quidem fuiſſe apud Veteres ſecundas nuptias publicè ac legitimè contractas; at negat eas pro vero Sacramento habitas tunc fuiſſe.

Ut verò intelligas ſtatim in ipſo quæſtionis limine, quæ fuerit inter Catholicos veterum aliquorum Scriptorum mens, cùm paulò duriùs ac ſeveriùs loquuti ſunt de ſecundis nuptiis, obſerva iſtas conſiderari poſſe vel in ſe ſimpliciter, vel ratione intemperantiæ & incontinentiæ qua præſumuntur à nubentibus celebrari. Iſtam dum acriori & vehementiori ſtylo inſectati ſunt Veteres, ipſaſmet ulteriores nuptias viſi ſunt nonnullis damnaſſe; unde purgare ſe ac omnem erroris ſuſpicionem editis apologiis amoliri à ſe compulſi fuere; quod imprimis beato Hieronymo contigit, fervido inter cæteros Scriptore, ac caſtitatis & continentiæ propugnatore acerrimo.

Tria verò hic à nobis expendenda ſunt capita.

Primum, quodnam fuerit Eccleſiæ votum ac deſiderium circa ſecundas nuptias.

Secundum, quæ fuerit vetus diſciplina circa ſecundas & ulteriores nuptias.

Tertium, quæ fuerit Eccleſiæ fides ac doctrina circa bonitatem & honeſtatem ſecundarum nuptiarum; an eas aliquandò velut malas & illicitas habuerit.

PRIMA CONCLUSIO.

Eccleſia ſecundas & ulteriores nuptias generatim nec ſuaſit unquam, nec ex voto probavit, à quibus exoptaſſet ut abſtinerent Fideles.

Probatur 1. ex conſilio quod viduis dat S. Paulus 1. Corinth. 7. v. 8. *Dico autem non nuptis, & viduis: bonum eſt illis ſi ſic permaneant.* Et v. 39. *Mulier alligata eſt legi, quanto tempore vir ejus vivit; quòd ſi dormierit vir ejus, liberata eſt, cui vult nubat, tantùm in Domino. Beatior autem erit ſi ſic permanſerit ſecundùm meum conſilium: puto autem quòd & ego ſpiritum Dei habeam.*

Probatur 2. teſtimoniis Veterum.

Ter-

Tertullianus Lib. 2. ad uxorem, cùm nondum ad Montaniſtas defe- An.215.
ciſſet, cap. 1. *Apoſtolus*, inquit, *de viduis quidem & innuptis ut ita per-* P. 167.
maneant, ſuadet, cùm dicit: Cupio omnes meo exemplo perſeverare. De nu- A.
bendo verò in Domino, cùm dicit, Tantùm in Domino; jam non ſuadet, ſed
exertè jubet.

Theophilus Antiochenus L. 3. ad Autolycum ante medium, quale fuerit An.180.
Eccleſiæ Chriſtianæ votum ac deſiderium circa ſecundas & ulteriores nu-
ptias his verbis exprimit: *Penes Chriſtianos*, inquit, *modeſtia & temperantia* Ad calc.
florent, continentia viget, unius uxoris legitimum matrimonium (*μονογαμία*) Oper. S.
ſervatur, caſtitas colitur. Iuſtini p. 127.

Idem ſignificat Minucius Felix in Dialogo, poſt medium. *Nos*, inquit, A.
pudorem non facie, ſed mente præſtamus: unius Matrimonii vinculo libenter in- An. 201.
hæremus; cupiditatem procreandi aut unam ſcimus, aut nullam. Ad calc. Oper.

S. Ambroſius Lib. de Viduis cap. 11. *Pro conſilio dicimus*, inquit, *non* S. Cypr. p.
pro præcepto imperamus, provocantes potius viduam, quàm ligantes: neque 26. B.
enim prohibemus ſecundas nuptias, ſed non ſuademus ... Plùs dico, non prohibe- An. 397
mus ſecundas nuptias, ſed non probamus ſæpe repetitas; neque enim expedit quid- T. 2. p.
quid licet. 203. E.

S. Hieronymus in Epiſtola ad Geruntiam, vel Ageruchiam 91. aliàs 11. An. 420.
Quid igitur, inquit, *damnamus ſecunda matrimonia? minimè; ſed prima lau-* T. 4. p. 2. p. 744.
damus. Abjicimus de Eccleſia digamos? abſit: ſed monogamos ad continentiam
provocamus. Ibidem: *Aliud eſt*, inquit, *quod vult Apoſtolus: aliud quod co-* Ibid. p.
gitur velle. Ut concedat ſecunda matrimonia, meæ eſt incontinentiæ, non il- 743.
lius voluntatis .... Duæ ſunt Apoſtoli voluntates: una quæ præcipit ...
altera qua indulget. ... Vult nos permanere poſt nuptias ſicut ſeipſum ...
ſin autem nos viderit nolle quod ipſe vult, incontinentiæ noſtræ tribuit indul-
gentiam. Igitur incontinentiam eorum qui pluries nubunt, culpat ſanctus
Doctor, non ipſas in ſe ſecundas vel ulteriores nuptias. Narrat eam in rem
ibidem ſanctus Doctor lepidam hiſtoriam, vidiſſe ſe nimirum Romæ *duo in-* Ibid. p.
ter ſe paria viliſſimorum è plebe hominum comparata, unum qui viginti ſepe- 745.
liſſet uxores, alteram, quæ vigeſimum ſecundum habuiſſet maritum, extremo
ſibi, ut ipſi putabant, matrimonio copulatos. Toties repetitas nuptias velut
certiſſima impotentis intemperantiæ argumenta habebat ſanctus Doctor, Ibid.
atque in eas ſtylo ardentiori declamabat: *Quid*, inquiebat, *dicemus tali*
mulieri? nempe illud quod Dominus Samaritanæ: Viginti duos habuiſti mari-
tos, & iſte, à quo ſepeliris, non eſt tuus. Quæ certè non ea mente dicebat
ſanctus Doctor, ut vigeſimum tertium illud Matrimonium tanquam nullum
aut in ſe malum damnaret, ſed ut tam impotentem mulieris illius inconti-
nentiam perſtringeret.

Cùm idem S. Hieronymus in ſuis adversùs Jovinianum Libris caſtitatem
& continentiam tot extuliſſet laudibus, ut nuptiarum ſanctitatem vellicare
nonnullis videretur, ſeipſum veluti purgare ab omni hac in parte ſuſpicione
erroris compulſus fuit, ſcripſitque Epiſtolam 30. aliàs 50. ad Pamma-
chium, quæ eſt Apologia Librorum adversùs Jovinianum. In ea ſuam cir-
ca ſecundas & ulteriores nuptias mentem atque ſententiam declarat. *Ego*, Ibid. p.
inquit cap. 7. *nunc libera voce proclamo, non damnari in Eccleſia digamiam*, 241.
imò nec trigamiam; & ita licere quinto & ſexto, & ultra, quomodo & ſe-

cundo marito nubere: ſed quomodo non damnantur iſtæ nuptiæ, ita nec prædicantur. Solatia miſeriæ ſunt, non laudes continentiæ.... Omnia licent, ſed non omnia expediunt. Non damno digamos, imò nec trigamos, & ſi dici poteſt, octogamos: habeat cui libet, octavum maritum, & eſſe deſinat proſtituta.

Edit. Muret. T. 3. p. 208. B. Denique S. Chryſoſtomus Homilia in hæc verba Apoſtoli 1. Cor. 7. *Mulier alligata eſt legi &c.* exponens iſta quæ ſequuntur, *Si autem dormierit* (vir ejus) *libera eſt cui vult nubere, tantùm in Domino;* ſic loquitur: *Et habentibus viros, & non habentibus, & viduas, & ſecundo nubentibus marito, & omnibus ſimpliciter ſermo ille utilis.... Quæ verò eſt libera, ſiquidem voluerit ſecundo nubere, non ſimpliciter neque temerè hoc facit, ſed eum legibus quæ ſunt à Paulo poſitæ.* Et paulò poſt: *Etenim quod de nuptiis & virginitate fecit, hoc & de prioribus & ſecundis nuptiis: quemadmodum enim illic non excluſit nuptias.... ita & hic quoque alios gradus ponit nobis, majorem ſcilicet & ſublimiorem altero alterum, nempe viduitatem; alterum verò inferiorem, nempè ſecundas nuptias.* Et poſteà: *Propter hoc enim dixit: Libera eſt cui vult nubere; & ſubdidit, tantùm in Domino: ſimul & licentiam dans, & licentiam confirmans, & poteſtatem concedens &c.*

Ex his omnibus facilè intelligitur, Eccleſiæ votum ac deſiderium fuiſſe ut Fideles à ſecundis & ulterioribus nuptiis abſtinerent, non quidem ut illicitis ac per ſe malis, ſed ut minùs perfectis. Patebit adhuc magis hæc Eccleſiæ mens ex ſevera ipſius diſciplina circa eos qui ſępius nubebant.

SECUNDA CONCLUSIO.

Severior fuit prioribus ſæculis Eccleſiæ, præſertim Græcæ, diſciplinæ ratio erga eos qui ad ſecundas & ulteriores tranſibant nuptias.

Patet hujus ſeveræ diſciplinæ ratio.

I. ex pœnitentia quæ ſolebat imponi iterum nubentibus.

Ita præcipiunt Canones.

Tom. 1. Conc. p. 1487. A. Ibid. C. Neocæſarienſis tertius. *De his*, inquit, *qui ſæpius nubunt, tempus quidem pœnitentiæ, quod his conſtitutum eſt, obſervabunt: ſed converſatio & fides eorum tempus abbreviabit.* Et Canon ſeptimus: *Presbyterum*, inquit, *convivio ſecundarum nuptiarum intereſſe non debere; maximè cùm præcipiatur, ſecundis nuptiis pœnitentiam tribuere. Quis ergo erit Presbyter, qui propter convivium illis conſentiat nuptiis?*

Ibid. p. 1463. A. B. Ancyranus decimus nonus. *Quicumque*, inquit, *virginitatem profitentes, profeſſionem ſuam irritam reddunt, ii bigamorum definitionem impleant*; hoc eſt, iiſdem ſubjaceant pœnis, quibus bigami.

Ibid. p. 1509. D. Laodicenus primus. *De his*, inquit, *qui ſecundùm Eccleſiaſticam regulam liberè, ac legitimè ſecundis nuptiis juncti ſunt, nec occultè nuptiarum copulam fecerunt, oportet, ut parvo tempore tranſacto, vacent orationibus & jejuniis; quibus etiam, juxta indulgentiam, communionem reddi decrevimus.*

Quod pœnitentiæ tempus præfixum ac determinatum non fuit his Canonibus, poſtea determinavit S. Baſilius, aut potius Eccleſia Græca, cujus Edit. vet. T. 2. p. 760. D. diſciplinam expreſſit. Sanctus ille Doctor in ſua canonica ad Amphilochium Epiſtola Can. 4. ſic loquitur: *Trigamorum & polygamorum eundem Canonem*

nonem definimus, quem in digamis pro proportione. Annum enim in digamis, alii verò duos annos. Trigamos autem ſæpe tribus & quatuor annis ſegregant .... Conſuetudine autem accepimus in trigamis quinquennii ſegregationem, non à Canone, ſed ab eorum qui præoccuparunt conſequentia. Oportet autem non eos omnino arcere ab Eccleſia, ſed dignari auditione duobus vel tribus annis; & poſtea permittit quidem conſiſtere, ſeu in fidelium eſſe congregatione, à boni tamen communione abſtinere; & ſic poſtquam pœnitentiæ fructum ullum oſtenderint, communionis loco reſtituere. En ſevera diſciplina qua bigamos & trigamos caſtigandos eſſe volebat S.Baſilius. Ejuſdem pœnitentiæ bigamis impoſitæ mentionem faciunt Theodorus Cantuarienſis Archiepiſcopus in Capitulari n.4. Spicilegii Tomo 9. Egbertus Eboracenſis Archiepiſcopus in Excerptis ſuis Can. 89. & alii.

II. Bigami irregulares habebantur ad ſacros Ordines. Ita S.Paulus 1. ad Timoth. 3. v. 2. *Oportet*, ait, *Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, unius uxoris virum*. Idem repetit ad Titum ſcribens cap. 1. v. 6. Per virum autem unius uxoris, non tantùm intelligit Apoſtolus eum qui plures ſimul non habet uxores, quod certè in Lege Chriſti nuſquam licet, ſed eum qui ſemel dumtaxat fuerit Matrimonio junctus. Idem quoque requirit in viduis: ut nempe aſſumi poſſint in miniſterium quod olim Fidelibus impendere ſolebant. 1. ad Timoth. 5. v. 9.

Diſciplinam hanc ſemper in Eccleſia obſervatam fuiſſe teſtantur Veteres.

Tertullianus L. 1. ad uxorem cap. 7. *Quantùm*, inquit, *fidei detrahant, quantùm obſtrepant ſanctitati nuptiæ ſecundæ, diſciplina Eccleſiæ & præſcriptio Apoſtoli declarat, cùm digamos non ſinit præſidere, cùm viduam allegi in ordinem, niſi univiram, non concedit.* P. 165. C.

Origenes Hom. 17. in Lucam. *Nec Epiſcopus*, inquit, *nec Presbyter, nec Diaconus, nec vidua poſſunt eſſe digami.* Edit. Gen. T. 2. p. 145 D.

S. Hieronymus Epiſtola ad Ageruchiam 91. aliàs 11. *Non ſolùm enim*, inquit, *ab officio Sacerdotii digamus excluditur, ſed & ab eleemoſyna Eccleſiæ; dum indigna putatur ſtipe, quæ ad ſecunda conjugia devoluta eſt*. Ibid. oſtendit ſanctus Doctor etiam apud Gentiles non alios in miniſterium falſis diis exhibendum aſſumptos, quàm qui ſervarent continentiam. *Hierophanta*, inquit, *apud Athenas eviratur, & æterna debilitate fit caſtus. Flamen unius uxoris ad ſacerdotium admittitur: Flaminea quoque unius mariti eligitur uxor.* To. 4. p. 2. ſ. 743. Ibid.

Irregularitas illa orta ex bigamia, dicitur in Jure canonico *ex defectu Sacramenti*: non hoc quidem ſenſu, quaſi ſecundæ nuptiæ non ſint verum Sacramentum; ſed quòd ſignificatio Sacramenti non ſit tam perfecta & completa in ſecundis, quàm in primis nuptiis. Matrimonium enim ſignificat conjunctionem Chriſti cum Eccleſia, quæ conjunctio eſt unius cum una: ſed bigamia hanc unam conjunctionem non ita perfectè exprimit. Rationem hanc affert Celeſtinus III. S.P. Cap. *Debitum*. *De bigamis*. Alia quoque hujus irregularitatis cauſa & ratio petitur ex incontinentia quæ præſumitur eſſe in iis qui ſæpius nubunt, quæ certè miniſtros Eccleſiæ maximè dedecet.

III. Qui ſecundò nubebant benedictione Sacerdotis, & corona, imò & eleemoſynis Eccleſiæ privabantur: atque hac veteri diſciplina motus illuſtriſſimus Petrus de Marca, exiſtimavit ſecundas nuptias ratas quidem & legiti-

gitimas fuiſſe in ratione contractus apud veterem Eccleſiam; ſed veri Sacramenti rationem non induiſſe, cùm privarentur & præſentia Sacerdotis, & benedictione Eccleſiæ.

Benedictione Sacerdotis privatos fuiſſe, teſtis eſt S. Cæſarius Arelatenſis, Sermone 289. in Appendice novæ editionis Operum S. Auguſtini. *Qui uxorem accipere optat*, inquit, *ſicut illam virginem invenire deſiderat, ita ipſe uſque ad nuptias virgo ſit: quia ſi non fuerit, benedictionem accipere cum ſponſa non merebitur*. Teſtis & Ambroſiaſter ad caput 7. prioris ad Corinth. *Primæ nuptiæ*, inquit, *ſub benedictione Dei celebrantur ſolemniter, ſecundæ autem & in pietate carent gloria, id eſt benedictione*. Idem quoque teſtatur Synodus Lateranenſis ſub Alexandro III. titulo *De ſecundis nuptiis*, c. 1. verba ſuperiùs relata ſunt.

Tom. 5. App. p. 482. F.

Apud Græcos corona non fuiſſe donatos bigamos conſtat ex Epiſtola Theodori Studitæ ad Naucratium, apud Allatium L. 3. de perpetua conſenſione Eccleſiæ Occidentalis & Orientalis cap. 13. Ibi oſtendit coronam conjugibus imponi in ſignum victoriæ quam ex voluptate & intemperantia reportarunt: *At ſecundæ nuptiæ*, inquit, *tametſi permittuntur, pœna caſtigantur: quomodo enim coronatione dignæ ſunt, quæ non vincunt, ſed vincuntur?* Addit ibid. non priùs ad ſecundum Matrimonium admitti Fideles, quàm injunctam à Sacerdote pœnitentiam impleverint. Vide officium coronationis apud Græcos in Euchologio pag. 386. & notas Goarii ibid. pag. 397. & officium in bigamos ibid. pag. 403. Contrariam nihilominus praxim aliquando obtinuiſſe teſtatur Nicetas Metropolita Heracleenſis in reſponſis ad interrogata Conſtantini Epiſcopi, apud Goarium pag. 401. adverſùs quam corruptelam & abuſum ſummo zelo inſurrexit mox citatus Theodorus Studita. Denique bigamos etiam eleemoſynis Eccleſiæ privatos fuiſſe, teſtatur paulò antè citatus S. Hieronymus Epiſtola ad Ageruchiam.

P. 1134.

Obiit an. 826.

IV. Tertias imò & quartas nuptias nulla Lex imperialis prohibuerat apud Græcos ante Baſilium Macedonem nono ſæculo: ipſe quippe omnium primus tertias illicitas fecit, & quartas planè nullas & irritas ſua Novella quæ extat Lib. 2. Juris Orientalis, cujus hic eſt titulus, *Non licere ad quartas nuptias tranſire*. In ea refert Baſilius Imperator, *priſcis ſcriptam legem fuiſſe, imò à Juſtiniano confirmatam, per quam uſque ad quartas nuptias iis qui volunt, matrimonia protenduntur; ſe verò*, (ait) *ne priſcis legibus acquieſcat, lege divina impediri: quapropter matrimonium quartum ita vetare, ut etiam tertium ad Eccleſiaſticos Canones ableget*. Tandem Conſtitutionem ſeu Novellam ita concludit: *Manifeſtum omnibus eſto, quòd ſi quis auſus fuerit ad quartas nuptias non nuptias accedere, non ſolùm pro nullis habebuntur hæ nuptiæ, nec liberi ex iis procreati pro legitimis agnoſcentur, verùm etiam ipſe pœnis pollutorum ſcortationis ſordibus ſubjicietur, ejuſmodi videlicet perſonis à ſe invicem ſeparatis*. Fallitur haud dubiè ea in Conſtitutione Imperator, dum innuit lege divina tertias, & quartas nuptias prohibitas eſſe.

Leo Imperator, cognomento Sapiens, Baſilii filius, Conſtitutionem edidit in Jure Orientali 90. qua etiam ſtatuit, ut qui *tertias nuptias contrahunt, pœnis eccleſiaſticis ſubjiciantur*. Verùm qui hæc ſanxit Imperator Leo, ait Baronius ad ann. Chriſti 901. *tertia defuncta adhuc quartam uxorem accepit*: cujus rei cauſa à Nicolao Patriarcha ejectus fuit ab Eccleſia, & ipſe viciſ-

T. 10. p. 633. E.

viciſſim Imperator Nicolaum à Sede ſua pulſum in exilium amandavit, ſubrogato in ejus locum Euthymio; atque hinc turbæ illæ tùm in Imperio, tùm in Eccleſia Conſtantinopolitana excitatæ, aliis Nicolao, aliis Euthymio adhærentibus. Hæc fusè narrat Arcudius, de Matrimonio Lib. 7. cap. 29. Diſſidium tandem indulta Imperatori diſpenſatione compoſuit Joannes X. S. P. compoſuere & Orientales Epiſcopi, ad Concilium juſſu Conſtantini Leonis filii, convocati, in quo nihil quidem de quarto Leonis Matrimonio edixere, ſed pro futuro regulam & legem tulerunt ſub hoc titulo, *Tomus unionis. Sententia, judicioque communi decernimus*, inquiunt, *ne ab hoc anno præſenti* (qui eſt annus mundi reparati 925.) *quartas nuptias ullus contrahat, ſed ut prorſus e rejiciantur. Quòd ſi quis ad ejuſmodi conjugium progredi decreverit, ab omni cœtu eccleſiaſtico excludatur.*

V. Apud Hiſpanos ex Decreto Concilii Toletani XIII. an. 683. ſecundæ nuptiæ non permittebantur Reginis Hiſpaniarum. *Nulli*, inquit Canon. 5. *licebit ſuperſtitem Reginam ſibi in conjugio ducere, non ſordidis contactibus maculare. Non hoc ſecuturis Regibus licitum, non cuiquam hominum licebit eſſe permiſſum.* Tom. 6. Conc. p. 1261. A. Deinde qui ſecus fecerit, ab omni Chriſtianorum communione excluditur eodem Canone. Idem Decretum confirmavit an. 691. Concilium Cæſarauguſtanum III. Can. 5. atque ut faciliori negotio ad praxim reduceretur, ſtatuit ut deinceps *relicta Principis ſuperiorem ſententiam illibato animo pudicè ſervans, ſtatim accerſito ab hoc ſæculo Principe, veſtem ſæcularem deponat, & alacri curioſitate Religionis habitum aſſumat. Confeſtim*, inquiunt Patres, *in cœnobio virginum mancipandam eſſe cenſemus.* Ibid. p. 1315. C. D.

Dura profectò diſciplina, quę temporũ lapſu non ita religiosè fuit obſervata.

VI. denique, Jure ipſo civili puniuntur viduæ quæ ante elapſum integrum ab obitu mariti annum ad alias convolant nuptias. Codice Theodoſiano L. 5. titulo 9. *De ſecundis nuptiis*, ita ſtatuitur. *Si qua ex feminis perdito marito intra anni ſpatium alteri feſtinaverit nubere (parum enim temporis poſt decem menſes ſervandum adjicimus, tametſi exiguum putemus) probroſis inuſta notis, honeſtioris nobiliſque perſonæ & decore & jure privetur, atque omnia quæ de prioris mariti bonis, vel jure ſponſaliorum, vel judicio defuncti conjugis conſecuta fuerat, amittat; & ſciat nec de noſtro beneficio, vel adnotatione ſibi eſſe ſubſidium.* Quæ lex Eucherio & Syagrio Conſulibus, hoc eſt, anno 381. lata eſt. Huic legi quoad feminas ſubſcribit Theodorus Cantuarienſis Archiepiſcopus in Capitulis ſelectis Tomo 9. Spicilegii num. 72. ſubſcribit & Egbertus Eboracenſis in ſuis Excerptis cap. 116. Martene de ritibus p. 598. Nihilominus Innocentius III. L. 4. Decretalium, titulo, *De ſecundis nuptiis*, cap. ultimo, declaravit *viduam non debere legalis infamiæ ſuſtinere jacturam, quæ licèt poſt viri obitum intra tempus luctus, ſcilicet unius anni ſpatium, nubat.* Decret. p. 1572. n. 30. Jam anno 1179. in Conc. III. Lateranenſi idem ſtatuerat Alexander III. *Per ſententiam*, inquit, *& auctoritatem Apoſtoli infamia aboletur*, ab ea nimirum muliere quæ, defuncto marito, intra tempus luctus, alteri nubit. T. 10. Conc. p. 1597. D.

Atque hæc exponenda breviter habebamus circa diſciplinam Eccleſiæ ſpectantem ſecundas & ulteriores nuptias: quæ verò fuerit ejuſdem Eccleſiæ mens atque ſententia circa bonitatem & honeſtatem earumdem nuptiarum, tertia aperiet Concluſio.

TER-

Digitized by Google

TERTIA CONCLUSIO.

Eccleſia, quamquam ſecundas nuptias ut minùs perfectas non ſuaſerit, nec omnino probaverit, nuſquam tamen eas pro noxiis ac per ſe illicitis habuit, multò minùs pro nullis & irritis.

Prima Concluſionis noſtræ pars ex dictis Concluſione prima & ſecunda videtur manifeſta.

Secunda verò pars

Probatur 1. ex Apoſtolo Rom.7.v.2.& 3. *Quæ ſub viro eſt mulier*, inquit, *vivente viro alligata eſt legi: ſi autem mortuus fuerit vir ejus, ſoluta eſt à lege viri. Igitur vivente viro vocabitur adultera, ſi fuerit cum altero viro; ſi autem mortuus fuerit vir ejus, liberata eſt à lege viri, ut non ſit adultera ſi fuerit cum alio viro*. Et 1. Corinth. 7. v. 39. *Mulier alligata eſt legi quanto tempore vir ejus vivit; quòd ſi dormierit vir ejus, liberata eſt, cui vult nubat, tantùm in Domino*. Permittit igitur viduis S.Paulus ut cui voluerint, nubant: at id procul dubio non permiſiſſet, ſi eſſet ex ſe malum & illicitum. Et rurſus v.8.& 9. ejuſdem capitis, *Dico autem*, inquit, *non nuptis & viduis: bonum eſt illis ſi ſic permaneant, ſicut & ego. Quòd ſi non ſe continent, nubant. Melius eſt enim nubere, quàm uri*. Continentiam, tanquam perfectiorem, ſuadet & conſulit ibi Apoſtolus, ſæpius tamen repetitum Matrimonium non damnat, ſed permittit & indulget. Eodem pertinet quod Chriſtus Matth.22.v.23.& ſequentibus interrogatus à Saducæis de muliere quæ ſucceſſivè ſeptem viris nupſerat, cujuſnam uxor futura eſſet poſt reſurrectionem, non negat aut licitum aut validum fuiſſe ſepties repetitum conjugium, ſed hoc unum reſpondit v.29. *Erratis neſcientes Scripturas, neque virtutem Dei. In reſurrectione enim neque nubent, neque nubentur: ſed erunt ſicut Angeli in Cœlo*, quibus verbis ſignificat Chriſtus, nuptias toties
Tom.6. p. 377. repetitas non obſtituras quo minus ejuſmodi multinubæ Cœlorum regno potiantur, forentque ſimiles Angelis. Ita locum hunc interpretatur S.Auguſtinus Lib. de bono viduitatis cap. 12.

Probatur 2. ex SS.Patribus tùm Græcis tùm Latinis.

Ex Græcis.

p. 312. C. S. Clemens Alexandrinus L. 3. Stromatum, *Monogamiam*, inquit, *& quæ conſiſtit in uno ſolùm Matrimonio, honeſtatem admiramur, dicentes tamen oportere aliorum miſereri, & alterum alterius onera portare .... De ſecundis autem nuptiis, Si uraris, inquit Apoſtolus, jungere Matrimonio*. Et
p. 336. B. poſtea: *Si cui Apoſtolus propter intemperantiam & uſtionem ex venia ſecundum concedit matrimonium, hic quoque non peccat quidem ex teſtamento, non eſt enim lege prohibitus: non implet autem ſummam illam perfectionem quæ agitur ex Evangelio*. Igitur, teſte S. Clemente, ſecundæ nuptiæ per ſe illicitæ non ſunt ac prohibitæ.

Antiquus Liber Paſtoris, cujus auctor dicitur Hermas Lib. 2. manda-
Edit.Cotell. p. 46 n. 4. to quarto ſecundas nuptias non rejicit ut malas & noxias, quamquam exoptaret ab illis abſtinere Chriſtianos. *Si vir*, inquit, *vel mulier deceſſerit, & nupſerit aliquis illorum, numquid peccat? Qui nubit non peccat*, inquit, *ſed*

ſi per

Digitized by Google

ſi per ſe manſerit, magnum ſibi conquirit honorem apud Dominum. Serva ergo caſtitatem & pudicitiam, & vives Deo. Hanc auctoritatem ſibi proponit Tertullianus L. de pudicitia cap. 10. neque alia via illam elevat, quàm quòd Liber ille Paſtoris inter apocryphos, non verò agiographos recenſeatur ab ipſiſmet Orthodoxis. At ſaltem inde vetus pro re catholica, quam hic propugnamus, teſtimonium eruitur.

Patres Concilii generalis primi Nicæni numero 318. Can. 8. inter conditiones quas jubent à Novatianis redeuntibus ad unitatem Eccleſiæ obſervari, hæc una eſt, *ut ſcripto profiteantur quod Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ dogmata ſuſcipiant & ſequantur; id eſt, & bigamis ſe communicare, & his qui in perſecutione prolapſi ſunt.* *Tom. 2. Conc. p. 41. C.*

Concilium quoque Laodicenum Can. 1. citato Concluſione ſecunda, ulteriores nuptias *legitimas* appellat. *Tom. 1. Conc. p. 1569. D.*

S. Baſilius Can. 41. Epiſtolæ ad Amphilochium: *Quæ*, inquit, *in viduitate poteſtatem ſui habet & viro cohabitat, ab omni accuſatione libera eſt, ſi nemo eſt qui conjugium divellat, cùm Apoſtolus dicat, Si mortuus ſit maritus, libera eſt, ut nubat cui velit, tantùm in Domino.* *Edit. vet. T. 2. p. 771. A.* Indefinitè hic loquitur S. Doctor de vidua quæ mortuo ſuo priori marito alteri nubit, ſive ſemel, ſive ſæpius repetitis nuptiis; nec, eo judice, peccat ejuſmodi vidua cùm nubit: quanquam diſſimulandum non ſit, tertias magis quàm ſecundas nuptias S. Baſilio diſplicere, ob quas graviorem imponit pœnitentiam, non quidem propter ipſas præcisè nuptias, ſed propter majorem intemperantiam & affectum ad libidinem, quem illæ præ ſe ferre videntur.

S. Gregorius Nazianzenus Oratione 39. quæ eſt in ſancta Lumina, Novatianum perſtringens ſic loquitur: *An ne juvenibus quidem viduis, propter ætatis lubricum, ineundi matrimonii poteſtatem facis? At Paulus hoc facere minimè dubitavit, cujus te ſcilicet magiſtrum profiteris, perinde atque ad quartum Cœlum aliumque paradiſum perveneris . . . . At hæc minimè poſt Baptiſmum, inquis. Quo argumento id confirmas? Aut rem ita ſe habere proba; aut ſi id nequis, ne condemnes. Quòd ſi res dubia eſt, vincat humanitas & facilitas.* *To. 1. p. 636. A.*

S. Chryſoſtomus Hom. 19. in Epiſtolam ad Corinth. *Secundum*, inquit, *concedit Apoſtolus Matrimonium, tantùm, dicens, in Domino. Quid eſt autem, in Domino? cum temperantia, cum honeſtate.* Aliud ex eodem S. Doctore teſtimonium laudavimus hic Concluſione prima. *Ed. Commel. p. 490.*

S. Epiphanius hæreſi 59. quæ eſt Catharorum, *Cui*, inquit, *mortua una non ſufficit . . . is ſi alteram uxorem duxerit . . . . ſacrarum Litterarum auctoritas ab omni culpa illos abſolvit.* Et in Expoſitione fidei circa finem, ritus Eccleſiæ Catholicæ referens, ſic loquitur: *Poſt gradus illos & ordines, ſuum quoque locum obtinent honeſtæ nuptiæ, quæ magno in honore ſunt; præſertim ſingulares ac minimè repetitæ, quæ præceptorum obſervationi ſtudent. Quòd ſi quis mortua uxore, vel mulier mortuo viro id voluerit, alterum virum, uxorem-ve, duntaxat poſt alterutrius obitum, ſibi adſciſcere licet.* *T. 5. p. 497. A.* *Ibid. p. 1103. D.*

Denique Theodoretus, ut multos alios ſileam, L. 5. hæretic. fabul. cap. 26. expendens verba Apoſtoli 1. Cor. 7. *Notandum eſt*, inquit, *quòd non beatam, ſed beatiorem eam dicat, quæ ſe continet: ita docens, quòd non omnino beatitudine ſit deſtituta, quæ ſecundum etiam Matrimonium amplectitur, ſi juxta poſitam hic legem jugum ſubeat.* *T. 4. p. 310. C.*

Ex

Ex Latinis verò SS. Patribus catholicum noſtrum dogma confirmarunt S. Ambroſius Lib. de Viduis cap. 11.

T. 1. p. 203. S. Hieronymus jam laudata Epiſtola ad Ageruchiam; & Epiſtola 30. aliàs 50. quæ Apologia eſt ad Pammachium pro ſuis adversùs Jovinianum Libris ſic loquitur: *Aperiant, quæſo, aures obtrectatores mei, & videant me ſecundas & tertias nuptias conceſſiſſe in Domino.* Ibid. *Omnia licent*, inquit T. 4. p. 2. p. 232. poſt Apoſtolum, *ſed non omnia expediunt. Non damno digamos, imo nec trigamos; & ſi dici poteſt, octogamos &c.* Idem probat hiſtoria quam refert illius mulieris quæ Romæ vigeſimum ſecundum duxiſſet maritum, de qua hìc Concluſione prima.

S. Auguſtinus Lib. de bono viduitatis cap. 11. & 12. *Ne arbitreris*, inquit, T. 6. p. 376. E. *vel ſecundas nuptias crimen eſſe, vel quaſcunque nuptias, cùm ſint nuptiæ, malum eſſe. Non itaque illas à te damnatas velis eſſe, ſed ſpretas. Bonum ergo continentiæ vidualis luculentiùs decet, cùm pro illo vovendo, & profitendo poſſunt contemnere feminæ quod & libet & licet.... De tertiis & quartis & de ultra pluribus nuptiis ſolent homines movere quæſtionem. Unde ut breviter reſpondeam, nec ullas nuptias audeo damnare, nec eis verecundiam numeroſitatis auferre.* Ita ſanctus Doctor primam & tertiam noſtram confirmat Concluſionem.

Denique Eugenius IV. S. P. in Decreto pro inſtructione Armenorum, T. 13. Conc. p. 1211. D. ſuo & totius Concilii nomine ſic loquitur: *Quoniam nonnullos aſſeritur quartas nuptias tanquam condemnatas reſpuere, ne peccatum, ubi non eſt, eſſe putetur, cùm, ſecundùm Apoſtolum, mortuo viro mulier ſit ab ejus lege ſoluta, & nubendi cui vult in Domino habeat facultatem; nec diſtinguat, mortuo primo, vel ſecundo, vel tertio: declaramus non ſolùm ſecundas, ſed etiam tertias & quartas, atque ulteriores, ſi aliquod canonicum impedimentum non obſtat, licitè contrahi poſſe. Commendatiores tamen dicimus, ſi ulteriùs à conjugiis abſtinentes in caſtitate permanſerint: quia ſicut viduitati virginitatem, ita nuptiis caſtam viduitatem laude ac merito præferendam eſſe cenſemus.*

Probatur denique evidenti ratione: Quia nullum proferri poteſt momentum, ſive ex jure naturali, ſive ex divino, quo pateat ſecundas & ulteriores nuptias potius quàm primas, malas eſſe ac noxias. Ratio quippe à priori cur licitum ſit Matrimonium, iſta eſt, quòd nempe ſit unio ſoluti cum ſoluta, atque ad hanc unionem inclinet natura, ipſo permittente jure divino: at vidua poſt mortem ſui mariti libera eſt ac ſoluta, ſive primus ille ſit, ſive ſecundus, ſive tertius; ergo tam licitè nubere poteſt ſecundo, tertio, & ulteriùs, quàm primo: Ita ferè ratiocinatur S. Auguſtinus L. de bono viduitatis c. 12.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. Ex dictis hìc Concluſione ſecunda, Eccleſia ſecundò nubentibus pœnitentiam impoſuit, benedictionem, & eleemoſynam denegavit, irregulares etiam illos habuit ad ſacros Ordines: at hæc ſeveritas haud dubiè demonſtrat turpes, inhoneſtas ac malas Eccleſiæ viſas fuiſſe ſecundas nuptias, non enim imponitur pœnitentia, niſi propter culpam & peccatum.

Reſp. nego min. Non enim, ut diximus ſæpius, hac ſua ſeveritate perſtrinxit ac notavit Eccleſia ſecundas nuptias, tanquam in ſe malas & noxias, ſed

ſed unam dumtaxat ſæpius nubentium incontinentiam & impotentem libi-
dinem. Cauſam hanc & rationem deſignavit S. Hieronymus Epiſtola ad
Ageruchiam hic Concluſione prima citata. Eandem adducit Baronius
ad an. Chriſti 314. nu. 91. & Illuſtriſſimus Guetius Origenianorum Lib. 2.
Malim fateri, inquit, *talem fuiſſe ea ætate Eccleſiæ ſeveritatem & rigorem,* T. 1. p.
ut licitas licet, aliquam tamen incontinentiæ ſpeciem præſeferentes nuptias ſe- 183. F.
cundas, non celebritate ſolùm carere, eique Presbyterum omnino non intereſſe,
ſed pœnitentiæ etiam impoſitione quodammodo notatam eſſe vellet. Et certè
Canon Laodicenus Concluſione ſecunda laudatus aliam interpretationem pa-
ti non poteſt. Duo enim ſimul ingerit, & ſecundas nuptias eſſe legitimas,
& ipſos nubentes pœnitentiæ ſubjiciendos eſſe: at pœnitentia illa non impo-
nitur præcisè propter ipſaſmet ſecundas nuptias; quas idem Canon *legiti-
mas* appellat; ſequitur ergo ut imponatur propter incontinentem animum
nubentium. Hunc verò rigorem jamdiu relaxavit Eccleſia, ſuorum infir-
mitati conſulens. Denegatæ verò benedictionis ſecundò nubentibus, pecu-
liaris cauſa eſt, quam ex Alexandro IV. S. P. nos ſuprà, ubi de miniſtro
Matrimonii, adduximus.

Ad confirmationem verò objectionis, diſtinguo: Pœnitentia non imponi-
tur niſi propter culpam, ortam ex intemperantia & incontinentia pluries
nubentium, concedo: ortam ex ipſa præcisè nuptiarum iterata celebra-
tione, nego.

Objicies 2. plurima Veterum teſtimonia, quibus ſecundas & ulterio-
res nuptias veluti totidem fornicationes & adulteria perſtringunt ac dam-
nant. Ita

Athenagoras Legatione pro Chriſtianis ante finem. *Vel ut natus eſt u-* P. 37. B.
nuſquiſque noſtrum, inquit, *manet, vel unicis copulatus nuptiis; ſecundæ quip-
pe decorum quoddam ſunt adulterium....* Et paulò poſt: *Qui ſeipſum priori uxo-
re privat, licèt mortua, adulter eſt quamquam diſſimulanter, tranſgrediens qui-
dem manum ac opus Dei, quoniam à principio Deus virum unum & mulierem
unam formavit.*

S. Irenæus Lib. 3. adversùs hæreſes cap. 17. aliàs 19. *Samaritanæ illi*, in- P. 208.
quit, *prævaricatrici, quæ in uno viro non manſit, ſed fornicata eſt in multis* n. 2.
nuptiis.

S. Clemens Alexandrinus L. 3. Stromatum. *Si quis*, ait, *matrimonium audet
dicere fornicationem, rurſus legem & Dominum inſectans, maledictis impetit.* P. 338.
Quemadmodum enim avaritia & plura habendi cupiditas dicitur fornicatio, ut D.
*quæ adverſatur ſufficientiæ; & ut idololatria eſt ex uno in multos Dei attributio,
ita fornicatio eſt ab uno matrimonio ad plura prolapſio.*

Origenes Hom. 17. in Lucam, poſtquam viduas adhortatus eſt ut in T. 2. p.
viduitate permaneant, ſic pergit: *Nunc verò ſecundæ, & tertiæ, & quartæ* 145. D.
*nuptiæ, ut de pluribus taceam, reperiuntur; & non ignoramus quòd tale conju-
gium ejicit nos de regno Dei. Sicut enim ab eccleſiaſticis dignitatibus non ſo-
lùm fornicatio, ſed & nuptiæ repellunt, neque enim Epiſcopus, nec Presbyter,
nec Diaconus, nec vidua poſſunt eſſe digami; ſic forſitan & de cœtu primitivo-
rum immaculatorumque Eccleſiæ, quæ non habet maculam neque rugam, ejicietur
digamus: non quo in æternum mittatur incendium, ſed quo partem non habeat in
regno Dei.*

S. Gre-

Digitized by Google

S.Gregorius Nazianzenus Oratione 31. in illud Evangelii, *Cùm conſummaſſet Jeſus hos ſermones*; expendens iſta verba Apoſtoli ad Epheſios 5. *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia*, ſic loquitur: *Hac oratione ſecundas nuptias mihi deprecari videtur. Si enim duo Chriſti ſunt, duo quoque viri ſunt, & duæ uxores: ſi autem unus Chriſtus, unum Eccleſiæ caput, una etiam caro ſit, ſecunda autem reſpuatur. Quòd ſi ſecundam prohibeat, de tertiis quid dicendum eſt? Primum lex eſt, ſecundum venia & indulgentia, tertium iniquitas. Qui autem hunc numerum excedit, porcinus planè eſt, ut pote ne multa quidem vitii exempla habens.* Igitur, judice S.Gregorio Nazianzeno, tertiæ nuptiæ apertam continent iniquitatem, quartæ verò & ulteriores planè belluinæ ſunt ac porcinæ.

T. 1. p. 501. A.

S.Baſilius Epiſtola canonica ad Amphilochium Can. 4. *Trigamorum*, inquit, *& polygamorum eundem Canonem definierunt* (nempe Majores noſtri) *quem in digamis pro proportione. Annum enim in digamis, alii verò duos annos* (pœnitentiæ) *trigamos autem ſæpe tribus & quatuor annis ſegregant. Id autem non amplius conjugium, ſed polygamiam appellant, vel potius caſtigatam fornicationem. Et ideo Dominus Samaritanæ, quæ quinque maritos jam habuerat, Quem nunc, inquit, habes, non eſt maritus: nempe quòd digni non ſint, qui à digamiæ menſura exciderunt, ut vel mariti, vel uxoris nomine appellentur.* Deinde qualis ſit imponenda trigamis pœnitentia, & qua ratione debeant ad communionem recipi, exponit verbis ſuperiùs à nobis relatis Concluſione ſecunda.

Edit. vet. T. 2. p. 760. D.

In hoc porro S. Doctoris teſtimonio obſerva. 1. ſanctum Doctorem non tam ſuo, quàm Eccleſiæ Græcæ, cujus doctrinam refert, loqui nomine. *Definierunt*, inquit plurali numero, Canones ſcilicet à Majoribus ſanciti. 2. ait trigamiam non eſſe conjugium, ſed polygamiam, aut potius caſtigatam fornicationem; atque tertium maritum ſimilem eſſe ſexto quem habebat Samaritana: ille autem verus non erat maritus, ſed adulter. 3. de quartis nuptiis omnino ſilet S. Baſilius, non alia profectò de cauſa quàm quòd inuſitatæ planè forent in Eccleſia Orientali, quas etiam civilis Lex Imperatorum prohibuerat.

Rurſus ejuſdem Epiſtolæ Can. 50. *Trigamiæ*, inquit, *lex non eſt. Quare Lege tertium matrimonium non approbatur. Veruntamen ea ut Eccleſiæ inquinamenta videmus; ſed publicis condemnationibus non ſubjicimus, ut quæ ſoluta ac profuſa fornicatione ſunt magis expetenda.* Audis tertias nuptias in mente S. Baſilii ſordes eſſe ſeu inquinamenta, &, ut dixerat Can. 4. *caſtigatam fornicationem*. Admonet hìc Zonaras, Baſilium, cùm ait nullam eſſe legem trigamiæ, intelligi debere de lege eccleſiaſtica & ſpirituali; per Novellam enim Porphyrogenetæ & Imperatoris Conſtantini, tertiæ nuptiæ permiſſæ erant, quamquam non ſine aliqua nota & mulcta, ut obſervat idem Zonaras.

Ibid. p. 773. C.

S.Chryſoſtomus Hom. 32. Operis imperfecti in Matth. *Apoſtoli*, inquit, *præceperunt quidem ſecundas adire nuptias, propter incontinentiam hominum: nam ſecundam quidem accipere, ſecundum præceptum Apoſtoli eſt. Secundùm veritatis autem rationem, verè fornicatio eſt: ſed dum permittente Deo publicè & licenter committitur, fit honeſta fornicatio.*

Edit. recent. T. 6. p. 134. E.

Denique inter Latinos omnium inſtar erit S.Hieronymus. Lib. enim 1. con-

contra Jovinianum ſic loquitur: *Quomodo virginibus ob fornicationis periculum concedit nuptias* (Apoſtolus) *& excuſabile facit, quod per ſe non appetitur; ita ob eandem fornicationem vitandam, concedit viduis ſecunda matrimonia. Melius enim eſt, licet alterum & tertium, unum virum noſſe, quàm plurimos; id eſt tolerabilius eſt uni homini proſtitutam eſſe, quàm multis: ſiquidem & illa in Evangelio Samaritana ſextum ſe maritum habere dicens, arguitur à Domino, quòd non ſit vir ejus: ubi enim numerus maritorum eſt, ibi vir, qui propriè unus eſt, eſſe deſiit.* Secundum igitur maritum comparat ſanctus Doctor, illi ſexto quem habebat Samaritana: at iſte verus ac legitimus non erat. Eandem comparationem adducit in Epiſtola ad Ageruchiam, ubi narrata hiſtoria hujus mulieris quæ vigeſimum ſecundum duxerat maritum, ei adaptat quod Chriſtus Samaritanæ dixit, *Iſte non eſt tuus.* Inde eſt quòd in Epiſtola ad Salvinam, ſecundas & ulteriores nuptias appellat *digamiæ præcepta non bona, & juſtificationes peſſimas.* Et in Epiſtola jam citata ad Ageruchiam, *Digamia*, inquit, *in quo erit numero? imò extra numerum. Certè in bona terra non oritur, ſed in vepribus . . . ut in eo ſe putet eſſe laudabilem, ſi ſcortis melior ſit; ſi publicarum libidinum victimas ſuperet, ſi uni ſit proſtituta, non pluribus.*

T.4.p.2. p. 159. — *Ibid. p. 745.* — *Ibid. p. 669.* — *Ibid. p. 744.*

Eadem fuit nono Eccleſiæ ſæculo doctrina Herardi Archiepiſcopi Turonenſis, qui anno 858. inter capitula ex antiquis Canonibus collecta, iſtud inſeruit numero centeſimo undecimo, *Nullus Laicorum pluſquam duas uxores habeat: quod verò extra eſt, ad adulterium pertinet.*

Tom. 3. Conc. Galliæ. Tom. 8. Conc. p. 635. C.

Reſp. duriora quidem hæc Veterum dicta, ſed emollienda & benignè exponenda. 1. ex aliis eorumdem Scriptorum verbis relatis, quibus apertè favent dogmati catholico; niſi velis eos ſibi manifeſtè contrarios fuiſſe, quod de tantis viris ſuſpicari nefas, 2. ex publica & ab omnibus Orthodoxis recepta profeſſione Eccleſiæ quæ ad ſecundas & ulteriores nuptias ſuos admittebat, quos certè non admiſiſſet, ſi illas velut noxias & per ſe malas habuiſſet: at veriſimile non videtur, tot eximios Doctores in rebus Religionis tam verſatos, aut ignoraſſe, aut impugnare voluiſſe publicam Eccleſiæ circa ſecundas nuptias fidem ac doctrinam. 3. ex conſilio ſeu ſcopo illorum: toti ſcilicet in eo ſunt, ut damnent incontinentiam & intemperantiam ex qua ducuntur multi ut ad ſecundas & ulteriores nuptias convolent, in qua redarguenda tanto ardoris impetu abrepti ſunt aliquando, ut ipſaſmet in ſe ipſis nuptias culpaſſe viſi fuerint. *Vehemens quippe cum adverſariis contentio*, ait Theodoretus Dial. 3. qui inſcribitur, *Impatibilis, facit ut modum excedant*, quod familiari comparatione ibidem illuſtrat: *Hoc*, inquit, *& evenire ſolet iis qui arbores colunt. Cùm enim incurvam plantam viderint, non ſolùm ad rectam normam erigunt, ſed in alteram quoque partem ultra directum inflectunt, ſed ut per nimiam in contrarium inclinationem ad rectum ſtatum perducatur.* Ita evenit aliquando, ut dum eccleſiaſtici Scriptores toti occupantur in aliquo errore refellendo, æſtu diſputationis longiùs abrepti nonnihil proferant, quod in errorem oppoſitum ducere videatur. Sic dum S. Auguſtinus liberum arbitrium defendit contra Manichæos, viſus eſt aliquando vim & efficaciam gratiæ elevaſſe cum Pelagianis: quamquam certiſſimum ſit eum ab utroque extremo & vitioſo errore fuiſſe alienum. Sicut igitur æquitas poſtulat ut ea, ſi quæ ipſi exciderint paulò duriora verba, benigniùs interpre-

T. 4. p. 170. A.

temur; ita in præſenti argumento pariter agendum, atque ad unam pluries nubentium incontinentiam & intemperantiam referendum, quidquid Veteres de ipſis nuptiis pluries repetitis dixiſſe viſi ſunt, quas & adulteria, & fornicationes, & ſordes appellant, non quidem propter ſe ipſas nudè ac ſimpliciter ſpectatas, ſed propter effuſam nubentium incontinentiam, quæ in nuptiis toties repetitis ſeipſam prodit & manifeſtat. Patebit id maximè, ſingula, quæ hìc opponuntur, Veterum teſtimonia propiùs inſpicienti.

Athenagoras apologiam pro Chriſtianis apud Imperatores dicens, ut dilueret falſam hanc Gentilium accuſationem, Chriſtianos ſcilicet in ſuis ſynaxibus nefandis voluptatibus operam dare, oſtendit chriſtianam inſtitutionem tam alienam eſſe ab omni turpitudine ac immunditia, tamque temperantiæ & continentiæ amantem, ut etiam ſecundas nuptias diſſuadeat velut minùs perfectas, & aliquam incontinentiæ ſpeciem redolentes: unde & eas *ſpecioſum adulterium appellat*, dura profectò & maximè impropria loquendi ratione, at ſuo accommodata conſilio, quæ proinde ad apicem litteræ urgeri hic non debet.

Reſponderi præterea poſſet, loqui Athenagoram de iis ſecundis nuptiis quæ contrahebantur poſt repudiatam (ut moris erat apud Judæos) uxorem, quæ profectò nuptiæ verum ipſi videntur adulterium. Cùm verò addit, eum qui ſe privat priori uxore, quamvis mortua, eſſe adulterum; ſenſus eſt, non diſſolvi crimen per mortem repudiatæ, ſed eum qui uxorem ſuam dimiſerit, aliamque duxerit, etiam ſi dimiſſa poſt repudium è vivis excedat, nihilominus adulterum eſſe, niſi ſecundum illud conjugium renovetur & confirmetur poſt obitum prioris uxoris dimiſſæ.

S. Irenæi teſtimonium ex L. 3. c. 19. non eſt ad rem noſtram præſentem: mulier quippe illa Samaritana, juxta multorum interpretationem, veros ac legitimos non habuit maritos, ſed adulteros, aut concubinos; meritò igitur Chriſtus Joan. 4. v. 18. ipſi dicebat: *Quinque viros habuiſti, & nunc quem habes non eſt tuus vir*. At verus eſt maritus, ſive ſecundus ille ſit, ſive tertius &c. qui ſervatis Eccleſiæ legibus nubit cum vidua.

S. Clemens Alexandrinus eo ipſo ſenſu ſecundas & ulteriores nuptias fornicationem appellat, quo & ipſam avaritiam ac idololatriam: at avaritia & idololatria impropria ac per metaphoram dicitur fornicatio; pariter igitur, in mente S. hujus Doctoris, ſecundæ & ulteriores nuptiæ fornicationis nomine impropriè appellantur, ratione ſcilicet incontinentiæ adjunctæ.

Origenes Hom. 17. in Lucam per regnum Dei à quo bigamos excludit, non intelligit ſimpliciter vitam æternam quæ poſita eſt in viſione Dei clara & intuitiva, ſed ſublimiorem quemdam felicitatis gradum, quo privandos fo-
T. 1. p. 145. E. re bigamos exiſtimat, utpote qui minùs perfecti ſint. *Puto*, inquit eodem in loco, *digamum non eſſe de Eccleſia, & de eo numero qui non habet rugam aut maculam; ſed eſſe de ſecundo gradu, & de his qui invocant nomen*
Edit. Huet. T. 1. p. 188. D. *Domini, & qui ſalvantur quidem in nomine Jeſu Chriſti, nequaquam tamen coronantur ab eo*. Seipſum adhuc clariùs exponit Hom. 19. in Jeremiam. *Arbitror*, inquit, *omnem quicunque hujuſmodi ſequelam viderit, dicturum beatius quidem eſſe puritatem ſervare, & non ad ſecundas tranſire nuptias minimè deceptam, & videre illam quoque quæ bis nubit participem quidem eſſe ſalutis alicujus, non tamen tantæ beatitudinis, quantæ illa quæ colit puritatem.*

Adde

Adde quòd citata Hom. 17. in Lucam aſſerat Origenes bigamos non eſſe mittendos in æternum incendium: at ſi putaſſet ſecundas nuptias per ſe noxias eſſe, ac veri nominis fornicationem, haud dubiè æterno ſupplicio dignas illas eſſe pronuntiaſſet.

S. Gregorius Nazianzenus tertias, quartas & ulteriores nuptias acriùs reprehendit quàm ſecundas, non præcisè ratione ſui, (eadem enim eſt ratio illarum omnium, ſi ad intrinſecam & ſubſtantialem nuptiarum bonitatem & honeſtatem attendatur, ut patet ex ipſomet S. Gregorio Nazianzeno loco inter probationes noſtræ Concluſionis citato) ſed ratione incontinentiæ & intemperantiæ quæ longè major eſt, ac porcinam indolem referre melius videtur in tertiis, quartis & ulterioribus nuptiis, quàm in ſecundis: unde eas *iniquitatem* appellat, non quidem in ſe, ſed in cauſa ex qua profluunt.

Non alio ſenſu exponendus venit S. Baſilius, quamquam non deſint qui malint hunc ejus lapſum fateri potius, quàm diſtorta explicatione mollire. Arcudius de Matrimonio L. 7. c. 28. poſt relata S. Doctoris verba ex Canonibus 4. & 5. hæc in ejus gratiam ſcribit, *Cæterùm quomodo hæc ſibi invicem cohæreant, non adeo perſpicere valeo, ut trigamia ſit fornicatio, tantùm non relaxata & libera, ſed ad unius feminæ amplexus coarctata, & tamen non diſſolvatur; ſed peracta aliquot annorum pœnitentia, trigami admittantur ad participanda Eccleſiæ Sacramenta, cùm interim ſimul habitent & procreent liberos. Si enim trigamia eſt fornicatio, non poteſt Eccleſia Dei ordinatiſſima ſponſa Chriſti, quæ ſine ruga eſt, non habens maculam, ejuſmodi peccatum permittere. Quòd ſi permittit, igitur non eſt fornicatio: quippe fornicatio non eſt aliquid indifferens, ut poſſit ſubire rationem boni & mali; ſed ſi fornicatio eſt, ſemper mala eſt.* Sic probat Arcudius, in mente S. Baſilii ſecundas nuptias propriè non eſſe fornicationem; aliàs ſic conjunctos ſeparandos eſſe cenſuiſſet, quos tamen non ſeparat. Impropriè igitur eas nuptias *ſordes* appellat, & *inquinamenta*, nempe propter incontinentiam eorum qui pluries nuptias appetunt. *Baſilius*, pergit Arcudius, *non ad polygamiam reſpexit, quatenus eſt Matrimonium & Sacramentum; ſed ad affectum illius qui tale Matrimonium contrahit: quippe indicat ſe effuſum eſſe in venerem, & valde pronum ad luxuriam; ob id etiam diuturna pœnitentia mulctatur.*

P. 545. col. 1. C.

Ibid. D.

Quæ opponuntur ex Hom. 32. Operis imperfecti, non ſunt S. Chryſoſtomi, ſed alicujus hæretici hominis. Vel ipſe locus unde petitur Objectio ſufficeret explodendo huic Scriptori: contendit enim, ſecundum Matrimonium in rei veritate fornicationem eſſe; permittente tamen Domino, illud eſſe licitum: quaſi fornicatio, quæ per ſe ac intrinſecè mala eſt, poſſit unquam à Deo permitti & licita fieri. Apage ineptias illas.

Quo ſenſu exponi debeat S. Hieronymus, abundè patet ex adductis ipſius teſtimoniis hìc Concluſione prima & tertia.

Digitized by Google

De polygamia ſimultanea.

An & quo jure illicita ſit pluralitas uxorum ſimul.

Status quæſtionis, ac variæ ſententiæ exponuntur.

Diſtingui hìc debet jus naturale divinum, & jus divinum poſitivum. Jus naturale dicitur, quod eſt à natura, hoc eſt, Deo naturæ authore, nobis inſitum; unde naturale ſimul & divinum dicitur. Jus divinum poſitivum illud eſt, quod pendet à libera Dei voluntate aliquid prohibentis, vel permittentis, eſtque nobis per Scripturam vel Traditionem manifeſtatum.

Inter illa verò quæ jure naturali prohibentur, alia pertinent ad prima, univerſalia & notiſſima principia quæ à nemine ignorantur, aut ſaltem non ſine culpa ignorantur, cujuſmodi ſunt iſta, *Alteri ne feceris quod tibi fieri non vis. Non licet occidere innocentem. Non licet accedere ad uxorem proximi.* Res hujuſmodi intrinſecam & inſeparabilem continent malitiam, qua fit ut nullo unquam bono fine cohoneſtari, & licitè fieri poſſint. Alia verò pertinent ad remotiora quædam principia, quæ ex primis tanquam concluſiones derivantur, quæ idcirco dicuntur repugnare juri naturali, quòd naturæ propenſioni ac inclinationi minùs ſint conſentanea. Iſtorum malitia non ita evidens eſt, omnibuſque perſpecta, quin poſſit invincibiliter ignorari: inde fit ut res hujuſmodi, mutatis circumſtantiis rerum & perſonarum, diſpenſante Legiſlatore licitæ aliquando evadant.

Quæſtio igitur præſens eſt, an pluralitas uxorum ſimul eodem tempore, illicita ſit, & quo jure: an naturali divino primi vel ſecundi ordinis, ſenſu mox expoſito; an divino tantùm poſitivo veteri, aut novo. Præcipua verò difficultas naſcitur ex facto SS. Patriarcharum, aliorumque juſtorum veteris Teſtamenti, quos certum eſt pluribus ſimul uxoribus junctos fuiſſe, quique aut violati juri naturalis ac perpetui adulterii rei fuere, ſi uxorum pluralitas ſit per ſe jure naturali prohibita; aut ſi à tali facinore excuſandi ſunt, dicendum erit, vel jure naturali non eſſe prohibitam pluralitatem uxorum ſimul, & conſequenter non peccaſſe, nec peccare modò illos Infideles qui laborant ignorantia invincibili Legis evangelicæ, quique plures habuerunt vel habent uxores; vel ſaltem à Deo cum illis veteribus Patriarchis diſpenſatum eſſe. En præſentis argumenti anguſtiæ.

Duo verò hìc certa ſunt & explorata apud omnes Theologos.

Primum, nunquam licitum fuiſſe feminæ plures ſimul habere viros quia per ſe ac directè iſtud pugnat contra primum Matrimonii finem, nempe filiorum procreationem. Ita S. Auguſtinus L. de bono conjugali c. 17. & L. 3. de doctrina chriſtiana c. 12.

T. 6. p. 331. T. 3. p. 1. p. 51.

Alterum, pluralitatem uxorum non repugnare iſti primario conjugiorum fini; quia nempe unus & idem vir ſufficere poteſt pluribus filiis ſuſcipiendis, alendis & educandis: an verò pugnet contra alios ſecundarios minùs præcipuos fines Matrimonii, diſputant inter ſe Theologi.

Itaque circa propoſitam quæſtionem

I. Novatores inter ſe concordes non ſunt. Calvinus etenim tam ſtricto naturæ

turæ jure illicitam & prohibitam exiſtimat pluralitatem uxorum ſimul, ut veteres Patriarchas violati hac in parte juris naturalis ad adulterii reos traducere non vereatur. Lutherus econtra jure naturali licitam eſſe arbitratur, imò nec evangelica Lege ſic damnatam, quin urgente gravi neceſſitate, (quæ legem neſcit) permitti poſſit. Extat eam in rem famoſa conſultatio Lutheri, Melancthonis & aliorum nonnullorum data an. 1539. ad poſtulationem Philippi Landgravii Haſſiæ, quæ æternum erit prætenſæ Religionis reformatæ opprobrium: in ea quippe licentia fit huic Principi, alteram, priori adhuc vivente, ducere uxorem, quam de facto duxit. Lege quæ hac de re ſcripſit illuſtriſſimus Boſſuetius L.6. Hiſtoriæ variationum p. 288. & ſeq. Luthero hac in parte adhæſerunt poſtea Anabaptiſtæ.

II. Catholici non conſentiunt inter ſe. Sunt enim quibus placet pluralitatem uxorum ſimul Legi naturali & finibus Matrimonii nullatenus repugnare, adeoque, ſecluſa lege divina poſitiva, qua jam prohibetur, in ſe licitam eſſe; & conſequenter veteres Patriarchas, illæſo naturali jure, licitè & abſque ulla culpa, imò & ſine diſpenſatione, quæ neceſſaria non erat in Lege veteri, plures uxores duxiſſe. Ita Durandus in 4. diſt. 33. q. 1. Alphonſus Epiſcopus Abulenſis in c. 19. S. Matth. q. 30. ad quos accedit Maldonatus de Matrimonio pag. 435.

Alii econtra exiſtimant pluralitatem uxorum ſimul, contrariam eſſe, non quidem primario, ſed aliis ſecundariis minùſque præcipuis conjugii finibus, atque ea ratione jure naturali prohiberi, neque licitam eſſe poſſe ſine diſpenſatione Dei ſpeciali, quæ de facto veteribus Patriarchis conceſſa fuit: circa quam diſpenſationem adhuc varii varia ſentiunt. Nonnullis enim videtur, ſingulos Patriarchas & alios omnes, quotquot pluribus ſimul uxoribus juncti ſunt, ſpeciali revelatione indiguiſſe, qua intelligerent id ſibi per divinam diſpenſationem licere: alii verò putant ſatis fuiſſe, ſi primis Patriarchis divina inſpiratione innotuerit ea diſpenſatio. Rurſus aliqui diſpenſationem hanc tantùm cum populo Dei; alii verò cum omnibus gentibus factam eſſe volunt. Denique non deſunt quibus placet, veteres Patriarchas unicam dumtaxat habuiſſe uno & eodem tempore legitimam uxorem; cæteras verò uxores non fuiſſe, ſed tantùm concubinas. His præmiſſis, quæ noſtra ſit & communior Theologorum ſententia, tribus ſequentibus Concluſionibus aperiemus.

PRIMA CONCLUSIO.

Pluralitas uxorum ſimul repugnat primævæ inſtitutioni Matrimonii, ejuſque finibus ſaltem ſecundariis, eſtque naturali & divina lege prohibita.

Prima pars Concluſionis manifeſta eſt ex prima inſtitutione ſeu origine Matrimonii, quæ refertur cap. 2. Gen. v. 22. 23. & 24. *Ædificavit Deus coſtam, quam tulerat de Adam, in mulierem, & adduxit eam ad Adam. Dixitque Adam: Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea: hæc vocabitur virago, quoniam de viro ſumpta eſt. Quamobrem relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una.* Duorum porro in una carne conjunctio polygamiam excludit. Talem fuiſſe primitivam Ma-

trimonii originem ipſe Chriſtus declarat cap. 19. S. Matth. iis ipſis relatis Geneſeos verbis ex quibus ita concludit v. 6. *Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro.* Et v. 8. *Moyſes*, inquit, *ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere uxores veſtras; ab initio autem non fuit ſic.* Hac ex Geneſi deprompta probatione utuntur inter Veteres imprimis SS. Hieronymus, Chryſoſtomus, Beda, Theophylactus, Anſelmus in ſuis ſuper caput 19. S. Matthæi Commentariis, & poſt eos Innocentius III. Extra. *De divortiis*, cap. *Gaudemus*, ubi data opera iſtud tractat argumentum.

Probatur 2. teſtimoniis Veterum, qui ea ipſa de cauſa Lamechum tanquam adulterum, ac violatæ Matrimonii inſtitutionis reum accuſant, quòd omnium primus duas accepiſſet uxores.

P. 521. P. Tertullianus L. de exhortatione caſtitatis c. 5. *Homo Dei Adam*, inquit, *& mulier Dei Eva unis inter ſe nuptiis functi, formam hominibus Dei, de originis auctoritate & prima Dei voluntate ſanxerunt. Erunt duo, inquit, in carne una; non tres, neque quatuor: alioquin jam non una caro, nec duo in carnem unam.... Numerus Matrimonii à maledicto viro capit.... Primus Lamech duabus maritatus, tres in unam carnem effecit.* Et L. de Monogamia c. 4. P. 527. B. *Semel tantùm*, inquit, *vim paſſa inſtitutio Dei per Lamech, conſtitit poſtea in finem uſque gentis illius.*

T. 4. p. 2. p. 659. S. Hieronymus Epiſtola 85. aliàs 9. ad Salvinam. *Etiam*, inquit, *de paradiſo expulſus Adam, unam habuit uxorem. Primus Lamech maledictus & ſanguinarius, & de Cain ſtirpe deſcendens, unam coſtam diviſit in duas; & plantarium digamiæ protinus diluvii pœna ſubvertit.* Et L. 1. contra Jovinianum. Ibid. p. 159. *Una coſta*, inquit, *à principio in unam uxorem verſa eſt: Et erunt duo in carne una, non tres, neque quatuor; alioquin jam non duo, ſed plures: Primus Lamech ſanguinarius & homicida, unam carnem in duas diviſit uxores: fratricidium & digamiam eadem cataclyſmi delevit pœna. De altero ſeptics; de altero ſeptuagies ſepties vindicatum eſt. Quantùm diſtant in numero, tantùm & in crimine.*

Tom. 8. Conc. p. 534. E. Nicolaus I. reſpondens ad conſulta Bulgarorum, n. 51. poſtquam Scripturæ teſtimoniis probavit uxorum pluralitatem nec ipſa origine humanæ conditionis admiſſam fuiſſe, nec ab ulla Chriſtianorum lege permiſſam, ſic proſequitur: *Hoc tam immane ſcelus eſt, ut homicidii quidem peccatum, quod Cain in Abel fratrem ſuum commiſit, ſeptima generatione cataclyſmo vindicatum fuerit; adulterii autem flagitium, quod Lamech omnium primus in duabus uxoribus perpetravit, nonniſi ſanguine Chriſti abolitum extiterit, qui ſeptima & ſeptuageſima generatione ſecundùm Evangelium luxerit in mundum.* Parum abeſt quin S. Ambroſius Abraham Patriarcham ejuſdem criminis accuſet, ob plures, quas duxerat uxores, Libro 1. de Abraham c. 4. ſed de illo Concluſione ſecunda.

Secunda pars Concluſionis, nempe pluralitatem uxorum repugnare ſecundariis ſaltem Matrimonii finibus, & ea de cauſa Lege naturali divina prohiberi, latè probatur contra Durandum à Bellarmino Lib. 1. de Matrimonio c. 10. Eſtio in 4. diſt. 33. paragr. 1.

I. quia conjuges pares ſunt in iis quæ ad conjugalem thorum pertinent, atqui mulieri non permittitur plures ſimul habere viros; ergo nec viro plures ſimul habere uxores: & quamvis par non ſit utriuſque ratio ex parte pro-

crea-

creationis prolis, cùm vir poſſit eodem tempore pluresuxores fœcundare, non verò mulier à pluribus fœcundari, ut ait S. Auguſtinus L. de bono conjugali cap. 17. ſubſiſtit tamen paritas ex parte juris matrimonialis: quia ſicut corpus uxoris eſt in poteſtate viri, ita pariter corpus viri eſt in poteſtate uxoris; & proinde tam uxori quàm viro fit injuria, cùm alterutrius corpus cuicunque alteri traditur.

II. inter fines Matrimonii computari haud dubiè debent, animorum intima conjunctio, individuæ vitæ ſocietas, pax & tranquillitas in re familiari, filiorum liberalis educatio: at quantùm ab his finibus avertat uxorum ſimul pluralitas, quis non intelligat? Difficile quippe eſt ut omnes ſuas uxores æquali amore vir diligat: ſi tamen non fecerit, quæ inde rixæ, quæ contentiones, quæ invidia & zelotypia inter ipſas ejuſdem viri uxores? Exemplo eſſe poſſunt Sara & Agar, Lia & Rachel, inter quas quæ diſcordiæ interceſſerint non diſſimulat Scriptura Gen. 16. & 30. Difficile pariter eſt ut in educandis filiis & alendis non aliqua ſit prædilectio & diſtinctio; unaquæque enim uxor ſuos proprios filios, magis quàm alterius, diliget, & curabit; atque inde odia domeſtica, & diſſidia inteſtina quæ pacem familiarum conturbant, ex quo neceſſe foret conjuges vitam amariſſimam trahere.

III. denique, pluralitas uxorum ſimul repugnat ſacramentali ſignificationi quæ Matrimonio ineſt; nempe ſignificat unionem Chriſti cum Eccleſia: at unus Chriſtus unam ſponſam duxit Eccleſiam.

Dices: Teſtantur inter Veteres SS. Hieronymus, Auguſtinus, Theodoretus, pluralitatem uxorum ſimul nulla prorſus lege prohibitam fuiſſe Judæis.

S. Hieronymus Epiſtola 82. aliàs 83. ad Oceanum, *Sciebat* (Apoſtolus) inquit, *lege conceſſum, & exemplo Patriarcharum ac Moyſi familiare populo noverat, in multis uxoribus liberos ſpargere.* *T. 4. p. 2. p. 649.*

S. Auguſtinus L. 22. contra Fauſtum cap. 47. *Peccata alia ſunt contra naturam*, inquit, *alia contra mores, alia contra præcepta. Quæ cùm ita ſint, quid tandem criminis eſt quod de pluribus uxoribus ſimul habitis objicitur ſancto viro Jacob? Si naturam conſulas, non laſciviendi, ſed gignendi cauſa illis mulieribus utebatur: ſi morem, illo tempore atque in illis terris hoc factitabatur: ſi preceptum, nulla lege prohibebatur.* *T. 8. p. 388. A.* Et L. de bono conjugali cap. 17. *Plures fœminas*, inquit, *uni viro legimus, cùm gentis illius* (judaicæ) *ſocietas finebat, & temporis ratio ſuadebat: neque enim contra naturam nuptiarum eſt.* *T. 6. p. 331. D.* Et L. 1. de nuptiis & concup. cap. 9. ait *magis pertinere ad bonum nuptiarum, ſi unus & una, quàm ſi unus & multa conjungantur.* Quibus verbis innuit S. Doctor, retineri adhuc nuptiarum bonum, tametſi minus, ſi unus pluribus uxoribus copuletur. *T. 10. p. 285. C.*

Theodoretus denique q. 67. in Gen. pluralitatem uxorum ab omni culpa excuſans in Abrahamo, docet *unumquodque opus judicari debere ex intentione facientis*; adeoque non peccaſſe Abrahamum, qui non libidinis, ſed prolis deſiderio, ipſa exhortante Sara, conjunctus eſt cum Agar: *Maximè*, ait Theodoretus, *cùm neque natura, neque lex ulla tùm ſcripta plures ducere uxores prohiberet.* *T. 1. p. 52.*

Reſpondet Eſtius in 4. diſt. 33. paragr. 6. ſanctum Auguſtinum aliquando de *T. 2. p. 408. col. 1. E.*

do de polygamia tanquam licita, velut de re perplexa obſcuriùs loquutum fuiſſe; quamquam eam nuſquam defenderit ut ſimpliciter licitam, imò improbaverit magis Lib. 1. de nuptiis & concup. cap. 9. & Lib. 1. de adulterinis conjugiis cap. 8. & 11. Cùm itaque loco in Objectione citato ait eam nulla lege prohibitam fuiſſe, legem intelligit poſitivam: re vera enim nulla extat; imò conſuetudo contraria invaluerat apud Judæos, ipſo diſpenſante Deo. Cùm verò addit polygamiam illam non eſſe *contra naturam nuptiarum*, intelligit primarium nuptiarum finem, ſcilicet prolis generationem, non verò alios ſaltem ſecundarios fines. Seipſum exponit citato cap. 17. Lib. de bono conjugali. *Plures enim feminæ*, inquit, *ab uno viro fœtari poſſunt, una verò à pluribus non poteſt.* Denique cùm ait, *malus eſſe bonum Matrimonii, ſi unus uni copuletur*; *impropria comparatio eſt*, inquit Eſtius, *qualis fieri ſolet inter bonum & malum: in qua tamen hoc ſpectaſſe videtur Auguſtinus, quòd unius cum pluribus conjunctio bonum aliquod adferat, quod in conjunctione unius cum una perinde non reperitur, videlicet numeroſior proles, quæ cauſa fuit diſpenſandi cum veteri populo. Nam ſi nullum ibi fuiſſet bonum peculiare, diſpenſatio præter legem communem locum non habuiſſet.* (Ib. col. 2. B.)

Eadem eſt ad S. Hieronymi & Theodoreti textum reſponſio.

SECUNDA CONCLUSIO.

Veteres Patriarchæ, & alii in Lege Moſaica, Deo diſpenſante, plures ſimul veras abſque ulla culpa duxerunt uxores.

Duo hìc tanquam certa & explorata apud omnes ſupponimus, magis quàm probamus: primum, veteres Patriarchas, Abrahamum, Jacobum, Davidem &c. plures ſimul habuiſſe uxores: alterum, eos hac in parte nihil peccaſſe, nec in reprehenſionem veniſſe.

Unde igitur, inquies, fieri potuit licitè & abſque culpa, quod modò dicebamus adverſari primævæ Matrimonii inſtitutioni, ac lege divina naturali prohiberi? Quomodo cohærent iſta ſecum invicem?

Reſpondeo, per divinam œconomiam ac diſpenſationem licitam fuiſſe hanc uxorum apud Veteres pluralitatem: cùm enim non ſit intrinſecè ac per ſe oppoſita primario fini conjugii, nempe ſuſceptioni prolis, ſed tantùm aliis remotioribus & ſecundariis ejuſdem finibus, expedit aliquando iſtos prætermitti, ut alter certiùs & uberiùs obtineatur; atque per divinam diſpenſationem licitum eſſe poteſt, quod ea ſublata foret illicitum.

Diſpenſationem hanc Dei agnoſcunt Veteres.

S. Auguſtinus iis omnibus locis quibus affirmat non peccaſſe Veteres, quando plures ſibi copularunt uxores. Ita Lib. 22. contra Fauſtum cap. 47. & L. de bono conjugali c. 17. & L. 3. de doctrina chriſtiana c. 12. ubi conſuetudinem Veterum plures ducendi uxores, *inculpabilem* appellat; & quidem conditioni illorum temporum congruentem, ait c. 17. Libri de bono conjugali: quia nempe pluralitatem hanc exigebat tunc temporis humani generis propagatio. (T. 6. p. 331. n. 20.)

(T. 1. p. 293. A.) S. Ambroſius L. 1. de Abraham c. 4. ait conjugium Abrahæ cum Agar, non fuiſſe *peccatum*, ſed *myſterium*, eo quòd Deus id fieri voluerit ad futurum aliquid ſignificandum.

S. Chry-

S. Chryſoſtomus Hom. 56. in Gen. loquens de facto Jacob, qui duas ſibi aſſumpſit uxores, *Audiens*, inquit, *eum accepiſſe majorem natu & poſtea minorem, ne turberis; neque ſecundùm ſtatum qui nunc eſt, opera quæ tunc facta ſunt, judices. Tunc enim quia principia erant, permiſſum fuit cum duabus vel tribus vel pluribus miſceri, ut humanum genus propagaretur. Nunc verò quia per Dei gratiam humanum genus valde multiplicatum eſt, virtus quoque incrementum accepit; adveniens enim Chriſtus, & virtutem in hominibus plantans, Angeloſque, ut ita dicam, ex hominibus faciens, omnem illam veterem conſuetudinem delevit.* *Edit. recent. To. 3. p. 542. C.*

Innocentius III. cap. *Gaudemus- De divortiis.* omnium diſertiſſimè Concluſionem noſtram confirmat his verbis: *Nulli unquam licuit ſimul plures uxores habere, niſi cui fuit divina revelatione conceſſum ...... Sicut Jacob à mendacio, Iſraelitæ à furto, Samſon ab homicidio, ſic & Patriarchæ & alii viri juſti, qui plures leguntur ſimul habuiße uxores, ab adulterio excuſantur.* *Decret. p. 1560. n. 10.*

Quæres 1. an & quo in loco Scripturæ legatur hæc Dei cum veteribus Patriarchis diſpenſatio.

Reſp. 1. neceſſe non eſſe ut conceptis terminis expreſſa illa ſit in Scripturis: ex facto enim ipſo Patriarcharum, jus, ut ita dicam, hìc naſcitur; ac licitè factum ex divina diſpenſatione credimus, quia legimus factum, nec reprehenſum.

Reſp. 2. hujus diſpenſationis veſtigium colligi poſſe ex cap. 21. Gen. v. 12. ubi Dominus ad Abraham ait: *Omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem ejus.* Cùm ergo Sara cap. 16. Gen. v. 2. dixerit Abrahamo marito ſuo: *Ingredere ad ancillam meam Agar, ſi fortè ſaltem ex illa ſuſcipiam filios*, hinc ſic arguimus: Quemadmodum peculiari revelatione admonitus fuit Abraham, ut ad petitionem & inſtantiam Saræ ancillam Agar cum filio ſuo Iſmael dimitteret, quamvis iſtud durum ipſi videretur ac naturæ repugnans, dicente Scriptura Gen. 21. v. 11. *Durè accepit hoc Abraham pro filio ſuo*; ita eum jam antea admonitum fuiſſe oportet, ut in Agar ſibi Matrimonio copulanda ejuſdem Saræ petitioni obſequeretur, quamvis non ignoraret iſtud quodammodo naturæ Legi adverſari.

Quæres 2. an neceſſe fuerit ſingulis Patriarchis cæteriſque Veteribus ſingularem fieri revelationem.

Reſp. negativè; ſufficiens quippe fuit ſemel Abrahamo facta revelatio, cujus ſubinde exemplo cæteri idem ſibi licitum eſſe intellexerunt.

Quæres 3. an hæc diſpenſatio non tantùm Patriarchas, ſed etiam Judæos omnes ſpectaret.

Reſp. affirmativè. Tùm quia Deuter. 21. v. 15. Deus per Moyſen ait: *Si habuerit homo uxores duas, unam dilectam, & aliam odioſam, genuerintque ex eo liberos, & fuerit filius odioſæ primogenitus, volueritque ſubſtantiam inter filios dividere: non poterit filium dilectæ facere primogenitum, & præferre filio odioſæ:* Videtur ea lege ſupponere Moyſes, communem ac pervulgatam fuiſſe apud Judæos conſuetudinem plures ſimul ducendi uxores. Tùm quia Prophetarum nullus polygamiam hanc tanquam facinus redarguit, & objecit Genti judaicæ.

Quæres 4. an ad ipſos quoque Gentiles pertineret hæc diſpenſatio.

Negat Eſtius in 4. diſt. 33. paragr. 6. Affirmat econtra Bellarminus L. 1. de Matri-

Eſtius Matrimonio cap. 11. propoſitione 5. his momentis nixus 1. quia Scriptura
T. 2. p. narrat non ſolùm Abraham & Jacob eorumque poſteros, ſed etiam Eſau,
407. Bellar. qui ad populum Dei non pertinebat, multas duxiſſe uxores, nec tamen
To. 3. p. eam ob cauſam in reprehenſionem veniſſe. 2. quia nuſquam Eſther pia
516. virgo paſſa fuiſſet ſe Aſſuero Regi infideli jam habenti uxorem, in Matrimoninm conjungi: neque talis conjugii contrahendi Mardochæus vir Deum timens ei auctor fuiſſet, neque eo in facto tota Judæorum natio exultaſſet, niſi certum fuiſſet ac pervulgatum, etiam apud Infideles licitam tunc temporis fuiſſe uxorum pluralitatem. 3. quia S. Auguſtinus L. 16. de civitate Dei c. 38. & L. 22. contra Fauſtum c. 47. loquens de Jacob qui in Meſopotamia, terra Gentilium, ex Laban idololatra duas filias ſibi in uxores aſſumpſit, ait id licitè ab eo factum, propter eum qui tunc vigebat morem inculpabilem: *Quando mos erat*, inquit, *peccatum non erat: &*
To. 8. p. 388. A. *nunc propterea crimen eſt, quia mos non eſt.*

Quæres 5. quæ fuerit cauſa diſpenſandi cum Abrahamo, cæteriſque qui poſt diluvium vixere.

To. 7. p. Reſp. duplicem fuiſſe. 1. ad multiplicationem generis humani. *Eo tempo-*
450. C. *re*, ait S. Auguſtinus L. 16. de civitate Dei c. 38. *multiplicandæ poſteritatis cauſa multas uxores habere lex nulla prohibebat*. 2. ad ſignificationem aliquorum myſteriorum. Ita S. Paulus Galat. 4. per duas Abrahæ uxores
To. 8. p. myſterium aliquod ſignificatum fuiſſe affirmat. S. Auguſtinus diſputans
391. c. contra Fauſtum, & Tractatu 11. in Joan. exponit quid ſignificatum fuerit
52. per quatuor uxores Jacob.

Tom. 1. part. 2. Quæres 6. an diſpenſatū pariter fuerit cum patribus qui ante diluviū vixere.
p. 360. Reſp. negativè: quia nullus Juſtorum ante diluvium legitur plures acce-
n. 11. piſſe uxores: omnium primus Lamech id attentavit, non ſine gravi culpa & reprehenſione. Neque ratio ex multiplicatione generis humani ducta hìc urget, eo quòd longæva hominum vita ſufficiebat multiplici proli ſuſcipiendæ. Ita ferè S. Chryſoſtomus Hom. 55. in Geneſim.

Dices 1. Communis eſt Theologorum ſententia, Deum non poſſe diſpenſare in Lege naturali: atqui ex dictis Concluſione prima, pluralitas uxorum repugnat Legi naturali; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. Deus diſpenſare non poteſt in Lege naturali, quoad prima & univerſalia ejus principia, & res illas quæ intrinſecam habent ac inſeparabilem malitiam, concedo: quoad alia remotiora, quæ in ſe intrinſecè mala non ſunt, nec directè pugnant cum primario naturæ fine, ſed quæ ſolummodo minùs conſentanea ſunt inclinationi naturæ, nego. Sunt itaque nonnulla ita per ſe injuſta & mala, ut legitimam diſpenſationem admittere nuſquam valeant: talis eſt v. g. idololatria, adulterium &c. Ratio à priori eſt, quòd turpitudo & malitia rerum hujuſcemodi non ſubeſt Dei Dominio; etenim ſepoſita etiam ac præciſa divina prohibitione, malæ ſunt in ſe ac prohibitæ. Alia verò ſunt quæ natura prohibet quidem, ſed quæ cùm intrinſecam & inſeparabilem non contineant malitiam, mutatis circumſtantiis perſonarum & temporum, accedente divina diſpenſatione, licitè fieri poſſunt. Ex earum rerum numero eſt uxorum pluralitas, *quæ*,
T. 10. p. ait S. Thomas in 4. diſt. 33. q. 1. *non pertinet ad primaria, ſed ad ſecunda-*
517. *ria dumtaxat naturæ præcepta*. Talis quoque eſt maritalis conjunctio inter

fra-

fratres & ſorores, quam prohibet quidem natura, ſed quam neceſſitas & conditio primæ creationis hominum licitam reddit; multiplicari enim aliter non potuit genus humanum, quàm ſi primis illis initiis ſorores cum fratribus Matrimonio jungerentur. Materia hujuſmodi præceptorum naturæ talis eſt, ut turpitudo ejus & honeſtas pendeat ex dominio Dei, unde diſpenſationem poteſt admittere. Ratio eſt juxta Suarem L. 2. de Legibus cap. 15. n. 28. quia omnia præcepta quæ fundant obligationem ſuam in humano conſenſu & contractu, pendent etiam à dominio divino; ex quo fit, ut mutabilitatem pati poſſint ex parte materiæ, & diſpenſationem ex parte Dei qui ſupremus eſt dominus: at Matrimonium pendet ex humano contractu; ergo divino ſubjacet dominio; ergo poteſt Deus abſolutè, ait idem Suares eodem Libro cap. 14. num. 20. ſolvere vinculum Matrimonii, quia in ejus ſolutione non occurrit intrinſeca & inſeparabilis malitia, niſi cùm fit privata auctoritate, ſine legitima diſpenſatione. Pariter uxorum ſimul pluralitas non eſt intrinſecè ac per ſe mala, quia, ut dictum eſt non ſemel, non adverſatur primario bono ſeu fini nuptiarum; eſt tamen aliquo ſenſu contraria naturæ Legi & inclinationi, unde fit ut ſola Dei auctoritate, non privata uniuſcujuſque, licita evadere poſſit.

Dices 2. Nonnulli ex Veteribus improbant pluralitatem uxorum in Abrahamo & aliis, & adulterium fuiſſe, licèt excuſatione & venia dignum, affirmant. Ita

S. Ambroſius L. 1. de Abraham c. 4. pro defenſione Abrahæ qui, vivente Sara uxore, filium ex ancilla quæſivit, hæc adducit. 1. *adulterium tunc temporis nondum Lege prohibitum fuiße.* 2. *quod amore poſteritatis, non amore libidinis id fecerit, & de conſenſu uxoris, ac tandem rei hujus pœnitentiam egerit.* 3. *quod id fecerit in ſignificationem & figuram rei futuræ, juxta Apoſtolum Galat.* 4. *T. 1. p. 290. & ſeq.*

S. Auguſtinus L. 2. contra adverſarium Legis & Prophetarum c. 9. & L. 22. contra Fauſtum c. 30. & L. 16. de civitate Dei cap. 25. idem crimen quod Abrahæ Manichæi objiciebant, excuſat hac dumtaxat ratione, *quòd non libidine, ſed prolis gratia, idque uxore cogente fecerit.* Potuiſſet autem uno verbo crimen diluere, ſi perſuaſum habuiſſet S. Doctor Agar veram fuiſſe Abrahami uxorem. *T. 8. p. 548. & 380. T. 4. p. 438.*

Euthymius quoque Commentario in illud Joan. 8. *Nos*, ajunt Judæi, *ex fornicatione non ſumus nati*, dicit Judæos his verbis ſignificare voluiſſe, ſe non deſcendere ex Agar concubina Abrahæ, cui nimirum per fornicationem junctus ille fuerat atque Iſmaelem ſuſceperat, ſed ex legitima ejus uxore, nempè Sara. *Biblio. PP. To. 19. pag. 693. E. F.*

Reſp. S. Ambroſium in defendenda S. Patriarchæ polygamia incertum ac dubium fuiſſe aliquando; atque inter rationes varias quas in ipſius gratiam excogitavit, ea certè rejici debet, qua videtur innuere tunc temporis adulterium Lege prohibitum non fuiſſe: niſi fortè velis illum loqui non de adulterio ipſo, ſed de pœna per Legem adulteris impoſita, quæ per Moyſen determinata primò fuit; adulterium quippe Lege naturali omnino prohibitum, eamque Legem à nemine invincibiliter poſſe ignorari, agnoſcit ipſe S. Ambroſius eodem L. c. 17. In ultima igitur, quam adducit, ratione veram poſuit Abrahami defenſionem, ſcilicet ipſius cum Agar conjugium non fuiſſe peccatum, ſed myſterium.

S. Au-

S. Auguſtinus locis citatis non dicit Agar non fuiſſe uxorem, aut conjunctionem Abrahami cum ipſa fuiſſe adulterium, ſed tantùm ait, eum non peccaſſe per libidinem, quia ob amorem dumtaxat prolis, & ex conſenſu Saræ aliam mulierem cognovit. Hac una reſponſione contentus tunc fuit S. Doctor, quia accommoda erat & ſufficiebat refellendis Manichæis. Objiciebant ſcilicet iſti Patriarcharum libidinem ac petulantiam in pluribus ducendis uxoribus, quibus reponit ſanctus Doctor ſanctos illos viros *non lubrico carnis, ſed amore poſteritatis ad multas acceſſiſſe uxores*. Lib. verò 16.
To. 7. p. 450. C. de civitate Dei cap. 38. apertè ſcripſit *Jacob Patriarcham quatuor habuiſſe*
To. 8. p. 988. *uxores, quia eo tempore nulla lex id prohibebat*. Et Lib. 22. contra Fauſtum cap. 47. dicit, *eo tempore id non fuiſſe contra leges, neque contra conſuetudinem; & ideo licitum*.

Euthymius Judæorum aliquorum interpretationem adducit, de qua multùm ſolliciti non ſumus: quo verò ſenſu debeant intelligi citata S. Joannis verba, mox patebit.

Dices 3. Neceſſe non videtur recurrere ad divinam diſpenſationem, ut excuſetur veterum Patriarcharum polygamia: dici quippe non immeritò poteſt, inter multas illas mulieres quas in conſortium thori Veteres illi admittebant, unicam dumtaxat fuiſſe legitimam uxorem, cæteras verò concubinas: ſic enim eas paſſim nuncupat Scriptura Gen. 25. v. 6. *Dedit Abraham cuncta quæ poſſidebat, Iſaac: filiis autem concubinarum largitus eſt munera*. Ita Salomoni plurimas fuiſſe concubinas legimus. Senſum hunc indicare videntur Judæi apud S. Joan. cap. 8. n. 41. cùm ajunt: *Nos ex fornicatione non ſumus nati*: hoc eſt, non deſcendimus ex Agar Abrahæ concubina, ſed ex Sara legitima illius uxore. Idem ſentire videtur S. Leo Epiſtola 2. aliàs 92. ad Ruſticum Narbonenſem c. 4. ubi diſtinguit inter uxorem & concubinam; ac docet, concubinam non eſſe veram uxorem, itaut ſiquis habens concubinam ducat aliam in uxorem, non cenſeatur ille duplicare conjugium: quod ut probet, adducit exemplum Saræ & Agar.

Reſp. hac ratione, ſi concubinæ nomen juxta vulgarem ſenſum uſurpetur, magis gravari Patriarcharum culpam, quàm excuſari; ſiquidem rei traducuntur fornicationis, imò & adulterii, utpote qui ad alienas acceſſerint mulieres, contra legem Matrimonii quo alligati erant cum legitima uxore.

Quæ fuerint veterũ concubinæ. Dico igitur 1. concubinæ nomen aliquando, ac ferè ſemper apud nos, aliquid turpe & inhoneſtum ſignificare, vagum ſcilicet & omni lege ſolutum cum muliere concubitum, qui Romanis aliquando legibus permiſſus fuit, ſed apud Chriſtianos ſemper prohibitus. De diſcrimine concubinæ & legitimæ uxoris in ipſo Jure civili, conſule Pontium Lib. 7. de Matr. cap. 54. num. 2.

Dico 2. concubinæ nomen pro legitima uxore uſurpari aliquando, quamquam inferiori & minori cum ſolemnitate ducta: atque hoc ſenſu exponi
Tom. 2. Conc. p. 1216. B. debet Canon 17. Concilii primi Toletani in quo ſtatuitur, *ut qui uxorem non habet, ſed pro uxore concubinam, à communione non repellatur*. Si enim per concubinam Synodus intelligeret meretricem, haud dubiè repelleret à
Ibid. p. 1239. B. communione. *Per concubinam*, ait in hunc Canonem Binius, *intellige uxorem ſine dote & externa ſolemnitate, interventu conſenſus mutui perpetuò convivendi ductam*. *Ad quod genus uxorum ſeu concubinarum referendum eſt*

quod

quod ſcribit B. Auguſtinus L. de bono conjugali, & refertur Can. Solet, *cauſa 32. q. 2. in quibus hæc tria erant neceſſaria. Primum, ut uterque eſſet ſolutus*, (loquitur ſanctus Doctor de tempore Legis evangelicæ) *Secundum, ut daretur mutua fides, quòd alteri non conjungerentur, neque à procreatione prolis abborrerent. Tertium, ut uſque ad mortem in ea vitæ conjunctione manere proponerent. Hunc contractum nuptias & connubium dici poſſe concedit S. Auguſtinus: hoc connubio alicui junctam, uxorem appallare non audet, quia non intervenerunt dotalia inſtrumenta Jure civili & canonico requiſita ad hoc ut ſit legitima uxor*. His concinit Gratianus ad finem Canonis, *Omnibus*, diſt. 34. ubi ſic loquitur. *Concubina hic ea intelligitur, quæ ceſſantibus legalibus inſtrumentis unita eſt, & conjugali affectu aſciſcitur: hanc conjugem facit affectus; concubinam verò lex nominat.* Grat. p. 17v. n. 80.

Quamquam igitur in Scripturis nonnullæ mulieres appellentur concubinæ, veras tamen fuiſſe uxores certum eſſe debet. Sic Agar, Cethura, Bala, & Zelpha modò uxores dicuntur, modò concubinæ Gen. 16. 25. 30. 35. & L. 1. Paralip. cap. 1. idemque de concubinis Davidis & Salomonis ſentiendum eſt. Et Judicum 19. conjux Levitæ unica, nunc uxor, nunc concubina vocatur. Non minùs certum, Saram, Rebeccam, Liam, Rachelem, uxores tantùm & non concubinas appellari. Erat igitur iſtud diſcrimen inter eas mulieres quæ uxores, & quæ concubinæ vocantur, quòd etſi concubinæ veræ forent uxores, minori tamen cum ſolemnitate ducerentur, nec in omnibus, ſive bonis, ſive honoribus, per tabulas matrimoniales æquales fierent uxori præcipuæ, nec earum filii ad hæreditatem vocarentur paternam, ſed nonnulla dumtaxat legata ab iis acciperent, ut patet ex cap. 25. Gen. quòd denique velut ancillæ haberentur, ad ſuſcipiendam dumtaxat prolem in thorum conjugalem admiſſæ. Sic Gen. 21. v. 10. de Agar dicitur: *Ejice ancillam & filium ejus, non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ.*

Laudatus igitur textus S. Joannis intelligi debet de fornicatione ſpirituali, quæ eſt idololatria; hæc quippe in Scripturis frequenter appellatur fornicatio: quem ſenſum poſtulat loci circumſtantia; præcedit enim iſtud, *Pater noſter Abraham eſt*: ſequitur verò proximè, *unum patrem habemus Deum*: quaſi dicerent Judæi, *Nos non deſcendimus ex Gentibus idololatris quæ cum multis diis fornicantur; ſed ex Patriarchis unius Dei cultoribus.*

Ad S. Leonem multi reſpondent eum hìc deſerendum, cùm exiſtimat Agar non fuiſſe uxorem Abrahæ. Bellarminus de Matrimonio cap. 11. ſic reſpondet: *Quoad S. Leonem*, inquit, *pertinet, diſtinguit ille uxorem à concubina, & liberam ab ancilla; & concubinam ita accipit, ut ea non vera uxor intelligatur: ſed cùm exemplum adfert Saræ & Agar, de libera & ancilla loquitur. Neque neceſſariò ſequitur, ut velit eſſe omnino eandem, ancillam & concubinam, liberam & uxorem: nam & multæ ſunt concubinæ, quæ tamen ſunt liberæ; & multæ ſunt ancillæ, & tamen uxores. Quare ad exempli à S. Leone allati veritatem, ſatis eſt, ſi Agar ancilla fuerit Abrahæ, quod eſt veriſſimum: non autem neceſſe eſt, ut eadem uxor non fuerit. Fateor tamen*, pergit Bellarminus, *Leonem obſcuriùs & duriuſculè loqui.* Unde L. 2. de Conciliis c. 8. *Cùm explicarem*, inquit, *Canonem* 17. *Concilii Toletani I. dixi, Agar ex ſententia S. Leonis non fuiſſe veram Abrahæ uxorem, ſed concubinam tantùm; ſequutus nimirum Gloſſam in Canonem*, Non omnis. T. 4. p. 517. E.

cau-

cauſa 32. *q.* 2. *ſed in re dubia pium exiſtimo Leonem exponere ut jam feci*. Ita Bellarminus.

Dices 4. Si licitum fuit Veteribus plures habere uxores, quare eam ipſam ob cauſam reprehenditur Salomon 3. Regum cap. 11.

Reſp. non in eo præcisè peccaſſe Salomonem, quòd plures habuerit uxores; ſed quòd contra Legem Dei junctus fuerit cum Gentilibus & alienæ Religionis uxoribus, quarum impotente amore ita obcæcatus fuit, ut falſis diis etiam thus adoleverit.

TERTIA CONCLUSIO.

Chriſtus in Lege nova Matrimonium ad primævam ſuam revocans originem, diſpenſationem Veteribus datam planè revocavit, atque conjunctionem cum pluribus ſimul uxoribus illicitam fecit & irritam.

Probatur ex Scriptura Matth. 19.v. 3. & ſeq. Chriſtus à Phariſæis interrogatus an liceret homini dimittere uxorem ſuam, ſic reſpondet: *Non legiſtis, quia qui fecit hominem ab initio, maſculum & fœminam fecit eos? Et dixit: Propter hoc dimittet homo patrem & matrem & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una. Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro. Quod ergo Deus conjuxit, homo non ſeparet. Dicunt illi: Quid ergo Moyſes mandavit dare libellum repudii & dimittere? Ait illis: Quoniam Moyſes ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere uxores veſtras; ab initio autem non fuit ſic. Dico autem vobis, quia quicunque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mæchatur.* Ex quibus Chriſti verbis iſta certa & explorata haberi debent 1. Matrimonium in ſuâ prima inſtitutione eſſe unius cum una. 2. Moyſen ad duritiem cordis permiſiſſe libellum repudii. 3. non licere dimittere uxorem, niſi propter fornicationem; quæ dimiſſio quoad thorum debet intelligi, non quoad vinculum, ſicut patebit ex dicendis inferiùs. 4. denique, eum qui dimiſſa uxore alteram ducit, mæchari. Porro ſi adulter eſt qui dimiſſa uxore cum altera copulatur, quantò magis qui ſua retenta priori uxore ad alteram accedit? Idem reperitur Marci 10. v. 11. & 12. cum hoc ſolùm diſcrimine, quòd nulla exceptio fornicationis adjiciatur; ſimpliciter enim dicitur: *Quicumque dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium committit ſuper eam. Et ſi uxor dimiſerit virum ſuum, & alii nupſerit, mæchatur.*

Hanc Chriſti doctrinam apertiſſimè declaravit Apoſtolus 1. Cor. 7. v. 10. *Iis autem*, inquit, *qui Matrimonio juncti ſunt præcipio, non ego, ſed Dominus, uxorem à viro non diſcedere: quòd ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari.* Et Rom. 7. v. 2. & 3. generatim ſic pronuntiat: *Quæ ſub viro eſt mulier, vivente viro alligata eſt legi &c. Igitur vivente viro vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro: ſi autem mortuus fuerit vir ejus, liberata eſt à lege viri, ut non ſit adultera, ſi fuerit cum alio viro*, quibus certè teſtimoniis compertum eſt, non tantùm illicitam, ſed etiam omnino irritam eſſe conjunctionem viri cum ſecunda uxore, priori adhuc vivente. Ad confirmandam eandem fidem faciunt teſtimonia Veterum quæ Concluſione prima laudavimus, quibus accedunt

Canon 17. Concilii Milevitani II. quo dicitur: *Placuit, ut ſecundùm evangelicam*

licam & apoſtolicam diſciplinam, neque dimiſſus ab uxore, neque dimiſſa à marito alteri conjungantur; ſed ita maneant, aut ſibimet reconcilientur. Quòd ſi contempſerint, ad pœnitentiam redigantur. Tom.1. p.Conc. 1541.E.

S.Ambroſius L.1. de Abraham cap. 7. *Non licet tibi*, inquit, *uxore vivente, ducere aliam: nam & aliam quærere, cùm habeas tuam, crimen eſt adulterii.* T.1. p. 301.A.

S.Auguſtinus L.2. de adulterinis conjugiis c. 4. poſt relata hæc verba Apoſtoli Rom. 7. *Quæ ſub viro eſt mulier &c.* ſic pergit: *Hæc verba Apoſtoli toties repetita, toties inculcata, vera ſunt, viva ſunt, plana ſunt. Nullius viri poſterioris mulier uxor eſſe incipit, niſi prioris eſſe deſierit. Eſſe autem deſinet uxor prioris, ſi moriatur vir ejus; non, ſi fornicetur.* T. 6. p. 406.C. D.

Innocentius I. Epiſtola 3. ad Exuperium c.6. ex his Chriſti verbis Matth. 19. *Qui dimiſerit uxorem ſuam & aliam duxerit, mœchatur &c.* colligit *manifeſtum eſſe eos, qui interveniente repudio, vel uxore vivente, quamvis diſſociatum videatur eſſe conjugium, alii ſe matrimonio copularunt, adulteros eſſe.* Eandem ob cauſam ibidem S.Pontifex Epiſtola 9. reſpondet invalidum eſſe Matrimonium ejus, qui falsò putans uxorem eſſe mortuam, cum alia contraxerat, *Quia*, inquit, *fide catholica ſuffragante, illud eſt conjugium, quod primitus erat gratia divina fundatum; conventumque ſecundæ mulieris, priori ſuperſtite, nullo modo poteſt eſſe legitimum.* Tom.1. Conc. p. 1256.C. Ibid. p. 1263.D.

Nicolaus I. in Reſponſis ad conſulta Bulgarorum c. 51. *Duas*, inquit, *tempore uno habere uxores, nec ipſa origo humanæ conditionis admittit, nec lex Chriſtianorum ulla permittit.* Tom.8. Conc p. 534.E.

Innocentius III. cap. *Gaudemus. De divortiis*, ait *hoc abſonum videri & inimicum fidei chriſtianæ*, (nempe unum virum pluribus ſimul uxoribus conjungi) *cùm ab initio una coſta in unam feminam ſit converſa; & Scriptura divina teſtetur, quòd propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una.* Ponderat ibi S. Pontifex non dixiſſe Scripturam, *tres, vel plures, ſed duos:* neque pariter dixiſſe, *adhærebit uxoribus, ſed uxori.* Decr. p. 1559. n.50.

Alexander III. Cap. *Licet. De ſponſa duorum*, reſpondet eum qui per verba de præſenti contraxit cum una, poſteaque alteri nupſit; *etiamſi copulam cum iſta habuerit, debere tamen ab illa ſeparari*, ac compelli ut ad priorem redeat, veluti ſolam legitimam uxorem. Decr. p. 1463. n. 50.

Inde meritò Conc.Trid. Seſſ.24. Can.2. ſic ſtatuit: *Si quis dixerit licere Chriſtianis plures ſimul habere uxores, & hoc nulla lege divina eſſe prohibitum; anathema ſit.* Ferit ille Canon Lutherum, qui Commentario in caput 16. Geneſeos ſcripſerat, non eſſe prohibitum plures ſimul habere uxores, exemplo Abrahæ: quia *patrum exempla*, inquiebat, *ſunt adhuc libera; ſeque illam conſuetudinem neque introducere velle, neque improbare poſſe* aſſeverabat. T. 14. Conc. p. 874.D.

An lege Chriſti qua prohibetur polygamia teneantur Infideles.

Quæres, an iſta Chriſti lege teneantur non tantùm Chriſtiani, ſed quicunque homines, etiam Infideles; adeoque illicitum & nullum ſit quod apud ipſos contrahitur ſecundum Matrimonium priori uxore vivente.

Reſp. affirmativè: eſt quippe lex Chriſti univerſalis & indefinita, *Quicunque dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit, mœchatur.* De Infidelibus ipſis id ſpecialiter affirmat jam citato cap. *Gaudemus.* Innocentius III. Propoſita enim quæſtione iſta, *utrum Pagani poſt converſionem ad fidem poſſint*

Decret. p.1559. n. 50. *retinere omnes uxores quas duxerant in infidelitate*, reſpondet, *abſonum & inimicum eſſe fidei chriſtianæ, quòd poſſint plures illas uxores retinere*. Paulo poſt addit, *nulli nunquam licuiſſe plures ſimul habere uxores, niſi quibus fuerit divina revelatione conceſſum*; ut antiquis Patriarchis & aliis viris juſtis qui idcirco ab adulterii labe excuſantur. Porro ſi ratum & validum fuiſſet conjugium cum pluribus ſimul uxoribus apud Infideles, tale remaneret etiam poſt eorum converſionem & Baptiſmum, in iis qui pacificè cohabitare ſecum invicem conſentirent; *per Baptiſmum enim*, ait ibidem S. Pontifex, *non ſolvuntur conjugia, ſed crimina dimittuntur*. Unde rata habentur ea Infidelium conjugia, quæ vel in gradibus prohibitis, vel cum alio quovis impedimento ex jure dumtaxat eccleſiaſtico irritante, contracta ſunt: quia nempè hiſce Eccleſiæ legibus obſtricti non tenebantur Infideles ante ſuam converſionem. Non ita porro eſt de pluralitate uxorum: non enim alia conditione ad Baptiſmum admittuntur, quàm ut eam unicam retineant uxorem, cum qua primum conjuncti ſunt, cæteris aliis quæ ſubinde admiſſæ ſunt in conſortium thori, dimiſſis; ergo vi Legis evangelicæ irritum & nullum eſt à quocunque contractum cum pluribus ſimul uxoribus Matrimonium.

Ibid. p. 1520. n. 10.

Ibid. p. 1559. n. 40.

An verò rei ſint adulterii Infideles illi qui pluribus ſimul uxoribus conjunguntur, ſi laborent invincibili ignorantia Legis evangelicæ, altera quæſtio eſt, quæ non eſt præſentis noſtri inſtituti. Eos excuſare videtur, tùm recepta apud eo conſuetudo, tùm ipſa invincibilis ignorantia legis Chriſti, qui conſuetudinem illam olim receptam omnino abrogavit in nova Lege.

Dices 1. Valentinianus Imperator Chriſtianus non tantùm duas ſimul habuit uxores, Severam nempè & Juſtinam, ſed etiam, referente Socrate L. 4. Hiſt. cap. 31. publico Edicto permiſit unicuique, plures, ſi vellet, ſibi conjungere uxores, neque tamen Hiſtoria proditum legimus inſurrexiſſe ac reclamaſſe Epiſcopos adversùs legem hanc. P. 250.

Reſp. 1. quod malè geſtum eſt ac contra legem Chriſti, in jus & exemplum trahi nuſquam debere; ſi ergo verum eſt quod de illo Imperatore narrat Socrates, damnari debet & ex memoria hominum prorſus deleri. P. 50.

Reſp. 2. cum doctiſſimo Valeſio in notis ad citatum Socratis locum, totam hanc Hiſtorici narationem de conjugio Valentiniani cum Juſtina, & lege ab ipſo lata, dubiæ omnino eſſe fidei: hujus quippe legis nuſquam alibi fit mentio, & ipſum ſilentium Epiſcoporum, Damaſi præſertim S. Pontificis, rem illam totam commentitiam eſſe invictè demonſtrat. Adde, nec Paganos Hiſtoricos, inter quos Ammianus Marcellinus res Valentiniani accuratè commemoravit, nec Sozomenum, Theodoretum, alioſque Græcos, nec ullum, præter Socratem, Scriptorem hujuſce legis meminiſſe. Præterea verò quis in animum ſuum facilè induxerit, voluiſſe Chriſtianum Imperatorem eam permittere uxorum pluralitatem, quam ipſis Romanorum Imperatorum, & quidem Infidelium, legibus vetitam fuiſſe non ignorabat? *Neminem*, inquit lex lata à Diocletiano & Maximiano Auguſtis, L. 1. codicis ad legem Juliam *De adulteriis, qui ſub ditione ſit Romani nominis, binas uxores habere poſſe vulgò patet, cùm etiam in Edicto Prætoris hujuſmodi viri infamia notati ſint: quam rem competens judex inultam eſſe non patiatur*. Denique, Imperatoris exemplo ac legis licentia multi haud dubiè incitati, pro innata hominis ad malum propenſione, plures tunc temporis duxiſſent ſimul uxores

uxores: atqui tamen iſtud minimè factitatum oſtendit ſilentium ſanctiſſimorum Epiſcoporum, qui pro ſuo in rem chriſtianam ſtudio tantam corruptelam patienti animo muti non toleraſſent.

Dices 2. Gregorius II. S. Pontifex ſcribens ad Bonifacium, ſecundam uxorem permittit cuidam, propter ægritudinem prioris quam antea duxerat. *Tom. 6. Conc. p. 1448. E.*

Reſpondent nonnulli cum Gloſſa ſuper Reſcripto Gregorii apud Gratianum cauſa 32. q. 7. cap. *Quod propoſuiſti*. Pontificem non concedere aliud conjugium; tanquam juſtum & legitimum, ſed tanquam minus malum, reſpectu ſcilicet fornicationis cum pluribus, quæ viro illi, habita ratione ipſius intemperantiæ, metuenda erat.

Reſpondent alii, ſuppoſititium videri hocce S. Pontificis reſponſum, quia Epiſtola unde deſumitur, dubiæ omnino & incertæ fidei eſt: ſiquidem cùm Zacharias Gregorii ſucceſſor ageret in Romano Concilio de Matrimonio inter conſanguineos, ac intelligeret ex quadam conceſſione, ut dicebatur, prædeceſſoris ſui Gregorii, conceſſum fuiſſe Germanis, ut infra quartum gradum nuptias celebrarent, juſſit Epiſtolam illam Gregorii diligenter in Tabulis Romanæ Curiæ inquiri, quæ tamen inventa non fuit.

Reſpondent denique alii, in caſu de quo agebatur, nullum fuiſſe prius Matrimonium, nimirum ob perpetuam impotentiam qua laborabat illa mulier, & qua conjugio inepta prorſus reddebatur: unde permittit S. Pontifex viro illi alteram ducere uxorem, quamquam optaret ut tanquam frater cùm priori illa remaneret; *ſed quia hoc magnorum eſt*, inquit, concedit ipſi ut cum altera contrahat, modò non deneget priori *ſubſidium ſuſtentationis*: hoc eſt, ipſi provideat de neceſſariis ad vitæ ſuſtentationem. Plura alia hic ſibi objicit Pontius L. 7. cap. 52. ſed quæ propiùs ſpectant indiſſolubilitatem vinculi conjugalis, & commodiùs referentur ac ſolventur Articulo ſequenti.

ARTICULUS II.

De firmitate ſeu indiſſolubilitate vinculi conjugalis.

TAm implicata, gravis ac lubrica eſt præſens controverſia, ut in ea ſolvenda imparem ſe aliquando, ac quemlibet *venialiter falli poſſe*, dixerit S. Auguſtinus L. 1. de adulterinis conjugiis cap. 25. & L. de fide & operibus cap. 19. nondum ſcilicet tunc temporis re penitus eliquata & ſolemni Eccleſiæ Judicio definita, quo jam nobis facem præferente, ac diſcuſſis tenebris, firmiori ac ſecuriori veſtigio incedemus. *Tom. 6 p. 403. & 185.*

Cùm verò Matrimonii nexus conſiderari poſſit in triplici hominum genere, Paganis nempè, Judæis, & Chriſtianis, de illius firmitate ac indiſſolubilitate apud eos omnes diſceptandum nobis eſt. Quod momentum ut accuratè ac plenè, quantùm rei gravitas poſtulat, exequamur, hæc diſcutienda nobis ac ſolvenda proponimus capita.

Primum, unde repetenda ſit firmitas & indiſſolubilitas vinculi conjugalis; an ex jure naturali tantùm; an ex divino poſitivo; an ex ratione Sacramenti.

Secundum, de firmitate vinculi conjugalis apud Infideles: an ſolvatur per converſionem alterius conjugis ad fidem chriſtianam, & fiat poteſtas convolandi ad alias nuptias.

Tertium, de firmitate vinculi conjugalis apud Judæos: an dirimeretur per libellum repudii.

Quartum, de firmitate vinculi conjugalis apud Chriſtianos: an ſolvi poſſit per adulterium.

Quintum, an Matrimonium Chriſtianorum ratum & non conſummatum ſolvatur quoad vinculum per ſolemnem Religionis profeſſionem, & quo jure; quidve ſit obſervandum, cùm ante conſummationem alter conjux tranſit ad Religionem.

Sextum, an S. Pontifex diſpenſare poſſit à vinculo Matrimonii rati, ſed non conſummati.

Septimum, an Matrimonium Chriſtianorum ratum & conſummatum ſolvi poſſit per ingreſſum in Religionem; quidve ſit obſervandum cùm alter vel ambo conjuges aut Religionem ingredi, aut vir ſacros Ordines ſuſcipere deſiderat.

Octavum denique, de divortio ſeu ſeparatione conjugum, tùm quoad thorum, tum quoad cohabitationem: an liceat, & quibus de cauſis.

Unde repetenda ſit firmitas & indiſſolubilitas vinculi conjugalis: an ex jure tantùm naturali; an ex præcepto Dei poſitivo; an ex ratione Sacramenti.

Quid ſit diſcriminis inter Matrimonii legitimum, ratum, & conſummatum.

Prius quam rem ipſam propiùs aggrediamur, duo ſunt obſevanda. Primum, apud omnes Theologos nonnihil diſcriminis ſtatui inter Matrimonium legitimum, ratum, & conſummatum. Legitimum ſeu verum vocant, quod contrahitur juxta leges præſcriptas à perſonis nullo impedimento ligatis: hoc modo legitimum & verum eſt inter Infideles Matrimonium. Ratum dicitur, quod initur à Chriſtianis, quodque ex Baptiſmo majorem, quàm antea, firmitatem aſſequitur: ceſſante ſcilicet cauſa & ratione propter quam in infidelitate contractum diſſolvi poterat, nempe cauſa fidei, in cujus gratiam conceſſit Deus, ut ſi ex duobus conjugibus Infidelibus unus ad fidem convertatur, alter verò converti nolit nec cohabitare pacificè, ſoluto priori vinculo, fiat libera facultas ad alia vota convolandi. Hoc ſenſu Innocentius III. Cap. *Quinto. De Divortiis*, dixit: *Etſi Matrimonium verum inter Infideles exiſtat, non tamen eſt ratum: inter Fideles autem verum & ratum exiſtit, quia Sacramentum fidei quod ſemel eſt admiſſum, nunquam amittitur; ſed ratum efficit conjugii Sacramentum, ut ipſum in conjugibus illo durante perduret.* Conſummatum verò dicitur, quod uſu ipſo ſeu carnali conjunctione perfectum eſt. Diſtant inter ſe hujuſmodi conjugia, firmitatis ac perfectionis gradu: quod enim inter Chriſtianos ratum eſt per Baptiſmum, perfectione ſuperat illud quod inter Infideles legitimum quidem ac verum eſt, ſed non tantum, unde fit ut diſſolvi poſſit per converſionem unius conjugis ad fidem chriſtianam. Pariter quod ratum eſt ac conſummatum inter Chriſtianos, perfectius eſt rato tantùm & non conſummato; quia ratum non conſummatum ſolvi poteſt per ſolemnem Religionis profeſſionem, ratum verò & conſummatum ſola morte diſſolvitur. Rationem veluti à priori adducit S. P. Innocentius III. Cap. *Debitum: De bigamis*, quia ſcilicet Matrimonium ratum ſignificat dumtaxat unionem Chriſti cum Fidelibus per charitatem, quę diſſolvitur per lethale peccatum; Matrimo-

Decret. p. 557. n. 10.

Ibid. p. 306.

monium verò conſummatum ſignificat unionem Chriſti cum humanitate per Incarnationem, quæ diſſolvi non poteſt: *Quod enim Chriſtus ſemel aſſumpſit*, ait axioma theologicum, *nuſquam dimiſit*.

Alterum hic obſervandum, ſeu potius ex jam dictis ſuperiùs revocandum, iſtud eſt, inter res ſcilicet jure naturali prohibitas, alias pertinere ad primaria & univerſalia naturę principia, quæ intrinſecam & inſeparabilem continent malitiam, neque unquam licitæ fieri poſſunt; alias verò non pertinere, & hoc tantùm ſenſu dici & eſſe juri naturali contrarias, quòd ſint minùs conformes & conſentaneæ naturæ inclinationi ac propenſioni, à quibus conſequenter nullus poteſt ſua privata auctoritate diſpenſare.

His prænotatis: quamquam omnes Orthodoxi Theologi, (paucis admodum exceptis) communi ſuffragio doceant, vinculum Matrimonii ſolvi non poſſe, niſi duobus in caſibus infrà deſignandis, diſcordes tamen ſunt in aſſignando jure ex quo ſit repetenda firmitas illa & indiſſolubilitas nexus conjugalis. Sunt qui exiſtimant cum Michaele de Medina L. 5. de cœlibatu cap. 72. 88. & 89. poſt Chriſtum Matrimonium nondum conſummatum ſolo jure eccleſiaſtico eſſe inſolubile. Ad hanc opinionem impulſi videntur hi Theologi ex alia, qua exiſtimant Matrimonium ratum & non conſummatum diſſolvi poſſe auctoritate S. Pontificis. Alii cum Richardo diſt. 27. art. 2. q. 1. Almaino in 4. diſt. 26. q. 1. cæteriſque quos appellat Pontius L. 1. de Matr. cap. 12. n. 4. ad unam dumtaxat Dei voluntatem & inſtitutionem referunt inſolubilitatem vinculi conjugalis. Alii è contra ad ſolum jus naturale. Alii denique cum Eſtio in 4. diſt. 33. paragr. 7. & 8. ſimul ad jus naturale & divinum, ac ipſam Sacramenti rationem: circa quod poſtremum caput adhuc diſſident Scholæ Doctores. Multis etenim placet ex ipſa conditione Sacramenti, ſeu myſtica ſignificatione Matrimonii, intrinſecam ipſi accedere firmitatem; aliis verò extrinſecam dumtaxat, ſenſu quem mox exponemus. Non hìc commemoro ſententiam quam explicat ac tuetur Thomas Sanches L. 2. de Matrimonio diſput. 13. n. 7. & ſeq. facile enim eſt eam ad aliqua ex mox dictis opinionibus revocare. Sit itaque

CONCLUSIO.

Vinculum Matrimonii firmum eſt, perpetuum ac indiſſolubile, tùm jure naturali ac primæva ſua inſtitutione, tùm jure divino poſitivo, tùm ipſa Sacramenti ratione.

Prima pars, quæ eſt de jure naturali,

Probatur I. Quia verum eſt, legitimum ac inſolubile apud Infideles Matrimonium: atqui non aliunde quàm ex ipſo jure naturæ ac primæva ſua inſtitutione oriri poteſt hæc firmitas & inſolubilitas.

II. Quia in ſtatu innocentiæ indiſſolubilitatem hanc, ipſa ſuggerente natura, congnovit Adamus, antequam Deus ullum de illa poſitivum dediſſet mandatum, & Matrimonium ad dignitatem Sacramenti evexiſſet.

III. Ipſa Lege naturæ eſſentiale ac certum intercedit diſcrimen inter fornicationem ſeu liberum concubitum, etiam ſuſcipiendæ prolis cauſa, & legitimum conjugium; ſiquidem Scriptura paſſim nuptias commendat & prædicat, alium verò quemlibet concubitum damnat ac prohibet ſub pœna

excluſionis à Regno cœlorum, Rom. 1. Epheſ. 5. 1. Corinth. 6. Galat. 5. Atqui diſcrimen illud aliunde melius repeti non poteſt, quàm tùm ex periculo prolis, cujus educationi non ſatis conſuleretur in concubinatu libero; tùm ex firmitate ac perpetuitate, quæ annexa eſt vinculo conjugali, & qua caret concubinatus qui liber eſt & omni lege ſolutus.

IV. Firmitatem hanc & inſolubilitatem poſtulat natura & finis contractus conjugalis. Natura quidem; Matrimonium quippe eſt animorum corporumque conjunctio ad individuam vitæ ſocietatem: at perit illa ſocietas individua, ſi natura ſua, & libero conjugum conſenſu dirimi poteſt; frigeſcit non minùs ac penè extinguitur amor ſeu animorum conjunctio, cùm uni liberum eſt ab altero diſcedere: è contra neceſſitas unionis perpetuæ arctiùs animos devincit & ligat. Finis verò Matrimonii duplex eſt potiſſimùm, nempè generatio prolis, & liberalis ejuſdem educatio: at uterque poſtulat firmum ac perpetuum conjugum nexum. Quomodo enim certus erit prolis pater, ſi mulier ſæpius ad libitum repudiata pluribus conjungatur? Quis prolem nutriet & educabit? Quis porro futurus eſſet diſcordiarum ac diſſenſionum finis, non tantùm in familiis, ſed in Republica univerſa, ſi diſrupto conjugii fœdere, & mulier ſine viro, & proles ſine certo patre ac debita educatione deſtituta relinqueretur? quibus certè graviſſimis incommodis occurrit ſapientiſſimus naturæ architectus, ipſa naturæ lege ita firmans ac ſtringens conjugii nexum, ut nulla privata poſſit auctoritate diſrumpi.

Hæc & alia incommoda ex repudio ac ſolubilitate Matrimonii poſtquam
T. 1. p. expoluit graviori ſermone S. Ambroſius L. 8. in Lucam, ſic pergit: *Audi le-*
1471. D. *gem Domini, cui obſequuntur etiam qui leges ferunt: Quæ Deus conjunxit, homo non ſeparet. Sed non ſolùm hic cœleſte præceptum, ſed quoddam etiam opus Dei ſolvitur*; quibus certè verbis apertè innuit, inſolubile eſſe Matrimonium, non tantùm ex præcepto Dei poſitivo, ſed etiam ex propria ſua ac nativa conditione: unde concludit ſanctus Doctor, *Si nubat*, (nempè uxor repudiata) *neceſſitas illius tuum crimen eſt; & conjugium, quod putas, adulterium eſt.*

Eadem eſt S. Chryſoſtomi doctrina Hom. 63. in Matth. *Nunc*, inquit,
Edit. Comm. *& creationis, & ſanctionis modo, unam uni perpetuò conjungi, & nunquam*
p. 551. *reſcindi oportere docuit. Audi autem quomodo loquatur: Erunt duo in carne*
A. B. *una &c. nec ad mulierem accedere virum ſimpliciter voluit, verùm etiam adhærere ſeu agglutinari; poteſtate dictionis oſtendens minimè illos eſſe ſeparandos.* Et paulò poſt: *Quemadmodum igitur ſcelus eſt in duo dividere carnem unam, ſic & mulierem à viro ſuo diripere iniquiſſimum eſt. Neque in hoc ſtetit: ſed Deum quoque attulit, dicens: Quod igitur Deus conjunxit, homo non ſeparet. Ita oſtendit, & præter naturam & contra legem eſſe repudium: præter naturam quidem, quia una caro inciditur; contra legem autem, quia Deus conjunxit ac juſſit non ſeparari.* Hæc S. Chryſoſtomus ad rem noſtram maximè accommodata.

V. denique, vel ipſis Romanis tam benè conſentire viſa eſt cum natura & dignitate Matrimonii ejus firmitas & indiſſolubilitas, ut narrante Tertulliano c. 6. Apologetici, per ſexcentos annos nullum apud ipſos exti-
Pag. 7. terit ſoluti Matrimonii ac repudiatæ uxoris exemplum. *Ubi eſt*, inquit, *feli-*
B. *citas illa Matrimoniorum de moribus utique proſperata, quæ per annos fermè*

ſexcen-

Digitized by Google

ſexcentos ab Urbe condita, nulla repudium domus ſcripſit? Primus omnium uxorem repudiavit Spurius Carvilius *ſterilitatis cauſa*, inquit Valerius Maximus L. 2. c. 1. *qui* (pergit Hiſtoricus) *quamquam tolerabili cauſa motus videbatur, reprehenſione tamen non caruit, quia nec cupiditatem quidem liberorum conjugali fidei præponi debuiſſe arbitrabatur*. Sed eò corruptionis poſtea devenerunt Romani, ut leviſſimis ex cauſis conjugia ſolverent, ſuis repudiatis uxoribus. *Nunc verò*, pergit loco citato Tertullianus, *repudium & votum eſt, & quaſi Matrimonii fructus*. Narrat jam laudatus Valerius Maximus L. 6. cap. 2. *Sulpitium Gallum uxori nuntium miſiſſe, quòd eam capite aperto foris verſatam agnoviſſet: idem fecit Publicus Sempronius, quòd uxor ludos funebres ſpectaſſet*. Idem & multi alii leviſſimis de cauſis, imò & nulla de cauſa, ſed ex mutuo conjugum conſenſu, quod dicebatur *ex bona gratia*, diſrupto nexu conjugali dabatur licentia ad alias nuptias, permittentibus etiam aliquando Chriſtianis Imperatoribus, *quorum lex*, ait S. Ambroſius in caput 13. S. Lucæ, *juſta non eſt. Hoc licet*, inquiebat S. Auguſtinus Hom. 392. aliàs 49. inter 50. *non jure poli, ſed jure fori*. T. 1. p. 1471.

Secunda pars Concluſionis, nempè Matrimonium habere ex primæva T. 5. p. ſua inſtitutione, ut perpetuum ſit nec dirimi valeat, 1504. B.

Probatur ex cap. 2. Gen. ubi Adam expergefactus à ſopore illo gravi in quo Deus extractam è latere ipſius coſtam ædificavit in mulierem, exclamavit v. 23. *Hoc nunc os ex oſſibus meis & caro de carne mea.... Qamobrem relinquet homo patrem ſuum & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una*, ſeu, ut obſervat S. Chryſoſtomus Hom. 63. in Matth. juxta vim verbi græci, *adglutinabitur* uxori ſuæ; quod certe verbum aptè exprimit unionem indiſſolubilem: quæ enim glutino adhærent invicem, ea potius frangas quàm ſolvas. Hanc eſſe primævam conjugalis fœderis firmitatem ac perpetuitatem ſignificat Chriſtus apud S. Matth. cap. 19. ubi poſt recitata hæc Geneſeos verba ita concludit v. 6. *Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro*. Et v. 8. *Moyſes ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere uxores veſtras, ab initio autem non fuit ſic*. Ita docet Conc. Trid. Seſſ. 14. cap. T. 14. unico de Matrimonio: *Matrimonii*, inquit, *perpetuum indiſſolubilemque ne-* Conc. p. *xum primus humani generis parens divini Spiritus inſtinctu pronuntiavit,* 873. E. *cùm dixit, Hoc nunc os &c.* Quæ verba Scripturæ non tantùm de Matrimonio conſummato, vel de Matrimonio Fidelium, ſed de quocùnque legitimè contracto, ſive apud Infideles, ſive apud Chriſtianos, ſive conſummato, ſive non, intelligenda eſſe ſolidè demonſtrat contra Thomam Sanches Baſilius Pontius Lib. 1. de Matr. cap. 13. n. 5. & ſeq. Neque dicas citata verba ad conſummatum Matrimonium referri à nonnullis SS. Pontifificibus. Rectè quidem, quia major eſt apud Chriſtianos conſummati Matrimonii firmitas, quàm non conſummati: iſtud ſiquidem per ſolemnem Religionis profeſſionem ſolvi poteſt, illud verò ſola morte. At dum majorem illam conſummati conjugii firmitatem agnoſcunt SS. illi Pontifices, & Scripturæ verba ad hanc referunt, non idcirco aſſeruiſſe cenſendi ſunt Matrimonium ante conſummationem ſolvi poſſe privata auctoritate; imò illud ex ſeſe firmum eſſe & indiſſolubile agnoſcunt, quamquàm inferiori quodam gradu, ut jam diximus, reſpectu Matrimonii conſummati.

Tertia pars Concluſionis, Jure ac præcepto divino poſitivo dirimi non

poſſe vinculum conjugale, manifeſta eſt ex citatis modò Chriſti verbis Matth. 19. v. 16. *Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro*, unde concludit: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet*. Ad hanc divinam legem reſpexit Apoſtolus 1. Cor. 7. v. 10. *Iis*, inquit, *qui Matrimonio junčti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus, uxorem à viro non diſcedere: quòd ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari*. Et v. 39. *Mulier alligata eſt legi quanto tempore vir ejus vivit; quòd ſi dormierit vir ejus, liberata eſt*. Idem rurſus repetit Rom. 7. v. 2. & 3. Igitur, interprete Apoſtolo, ſola morte diſſolvitur Matrimonium, ita ordinante ac jubente Chriſto.

Ibid. Poſitivam hanc Dei legem agnoſcit loco antea citato Synodus Trid. *Ejuſdem nexus firmitatem*, inquit, *ab Adamo tantò antè pronuntiatam*, (Chriſtus) *his verbis confirmavit, Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet*. Et Can.

Ibid. p. 875. A. 7. ejuſdem Seſſionis 24. anathema dicit iis *qui aſſerunt errare Eccleſiam cùm docuit & docet, juxta evangelicam & apoſtolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum Matrimonii vinculum non poſſe diſſolvi*.

Denique eandem Matrimonio indiſſolubilitatem jure divino annexam eſſe declaravit ſacra Facultas Pariſienſis in ſua celebri adversùs Eraſmum Cenſura an. 1526. *Eſt enim*, inquit, *vinculum Matrimonii jure divino indiſſolubile, ut ad Corinthios ſcribens Apoſtolus demonſtrat &c.*

Quarta denique pars Concluſionis, nempe ex ratione Sacramenti quamdam Matrimonio accedere firmitatem,

Probatur I. Si Sacramentum latiori ſenſu uſurpetur, pro ſigno rei ſacræ, Matrimonium apud Infideles hoc modo dici poteſt Sacramentum, quia eſt ſignum unionis Chriſti cum Eccleſia, quemadmodum ſuperiùs oſtendimus ex Innocentio III. Cap. *Gaudemus. De divortiis*, ubi affirmat *apud Infideles exiſtere Sacramentum conjugii*, atque ex illa myſtica ſignificatione quamdam trahit indiſſolubilitatem, licèt non tantam, quanta competit Matrimonio Chriſtianorum.

II. Si Sacramentum ſtrictè & propriè ſumatur, quale ſolùm apud Chriſtianos reperitur, quamdam etiam firmitatem communicat Matrimonio Fidelium, quia perfectiùs & in Baptiſmo & in Matrimonio exprimitur unio perpetua & indiſſolubilis Chriſti cum Eccleſia, ſive per Incarnationem, ſive per influxum gratiæ: ad quam Sacramenti rationem recurrit ſæpius S. Auguſtinus, ut ſuam vinculo conjugali firmitatem & perpetuitatem afferat. L. de bono conjugali cap. 7. *Uſque adeo*, inquit, *fœdus illud initum*

T. 2. p. 323. F. *nuptiale cujuſdam Sacramenti res eſt, ut nec ipſa ſeparatione irritum fiat: quandoquidem vivente viro, & à quo relicta eſt, mœchatur, ſi alteri nupſerit*. Et cap. 24. *Bonum nuptiarum*, inquit, *per omnes gentes atque omnes*

Ibid. p. 337. E. *homines in cauſa generandi eſt, & in fide caſtitatis: Quòd autem ad populum Dei pertinet, etiam in ſanctitate Sacramenti, per quam nefas eſt etiam repudio diſcedentem alteri nubere*. Idem argumentum verſat L. 1. de nuptiis &

T. 10. p. 275. n. 11. conc. cap. 10. ubi ait rem Sacramento ſignificatam eſſe perpetuam unionem Chriſti cum Eccleſia: *Non tantùm*, inquit, *fœcunditas, cujus fructus in prole eſt, nec tantùm pudicitia, cujus vinculum eſt fides; verùm etiam quoddam Sacramentum nuptiarum commendatur fidelibus conjugatis, unde dicit Apoſtulus, Viri diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam. Hujus procul dubio Sacramenti res eſt, ut mas & fœmina connubio copulati, quamdiu vivunt inſeparabi-*

parabiliter perſeverent . . . Hoc enim cuſtoditur in Chriſto & Eccleſia, ut vivens cum vivente in æternum nullo divortio ſeparetur.

Eadem eſt Eugenii IV. ſententia in Decreto, ſeu inſtructione Armenis data. *Tertium*, inquit, *Matrimonii bonum eſt indiviſibilitas, propter hoc quod ſignificat indiviſibilem conjunctionem Chriſti & Eccleſiæ.* T. 13. Conc. 539. B.

Si verò quæſieris an firmitas illa & indiſſolubilitas quæ accedit Matrimonio ex ratione Sacramenti, ſit intrinſeca, vel extrinſeca, reſpondebo cum Baſilio Pontio L. 1. de Matr. cap. 14. num. 1. extrinſecam dumtaxat eſſe, *quia extrinſecam tollit ſolubilitatem: hoc ſenſu*, ait citatus auctor, *quòd ex caſibus in quibus ſupremus omnium dominus diſpoſuit Matrimonium diſſolvi, ceſſat jam in baptiſatis caſus ille in quo diſſolvitur Matrimonium in favorem baptiſati. Unde ea ſignificatio conjunctionis Chriſti cum Eccleſia, non eſt ejus inſolubilitatis cauſa, ſed ſignum à poſteriori, quo intelligimus jam ceſſaſſe illam divinam diſpoſitionem qua diſpoſuit ut Matrimonium Infidelium, altero converſo ad fidem, altero verò nolente cohabitare, diſſolveretur.* Ita Pontius.

Dices: Quod jure naturali & intrinſecè inſolubile eſt, nuſquam dirimi ac diſſolvi poteſt; jus quippe naturale immutabile eſt, nec in eo diſpenſatio locum habet: atqui tamen diſſolvi poteſt vinculum Matrimonii, Deo ita diſpenſante, non tantùm in Lege veteri, cùm permiſit libellum repudii, ſed etiam in Lege evangelica, duplici in caſu, nempe cùm Infidelis non vult cohabitare cum altero conjuge ad fidem converſo, & cùm ante conſummationem alter conjugum Religionem ſolemniter profitetur.

Reſp. diſt. maj. Quod jure naturali & intrinſecè inſolubile eſt, nuſquam poteſt dirimi ac diſſolvi privata auctoritate, & ex cauſa aliqua Matrimonio intrinſeca, concedo: auctoritate Dei ſupremi rerum omnium domini, & propter aliquas cauſas Matrimonii eſſentiæ accidentales & extrinſecas, nego. Habet itaque Matrimonium ex natura ſua & intrinſeca conditione, ut à nullo mortalium quacunque de cauſa poſſit privata auctoritate diſſolvi, quia nullus in ea quæ juris ſunt naturalis auctoritatem ſuam poteſt exercere, ſed ſolus Deus naturæ auctor pro ſuo ſupremo in res omnes dominio. Hinc etſi Angelus & anima rationalis ſint ex propria ſua & interna conſtitutione immortales, nec ulla naturali cauſa poſſint corrumpi, poſſunt tamen à Deo abſolutè deſtrui. Pariter, licèt votum ex ſe perpetuum ſit, & ſtatus Religionis inſolubilis, poteſt tamen ex legitima auctoritate diſpenſatio in iis concedi; ſimiliter igitur poteſt Deus diſpenſare à vinculo conjugali, quia ſupremus eſt corporum noſtrorum dominus, quorum uſum poteſt ad tempus ſub certis conditionibus permittere. Cauſæ verò propter quas movetur Deus ut diſſolvi aliquando velit nexum Matrimonii, non ſunt intrinſecæ Matrimonio, quaſi ſolvi exigeret ipſius eſſentia & natura; ſed ſunt omnino extrinſecæ: talis fuit in veteri Lege, duritia Judæorum; in nova verò, fidei & Profeſſionis religioſæ privilegium.

Ad probationem ſubjunctam, nempe jus naturale eſſe immutabile, nec Deum ab illo poſſe diſpenſare, diſtinguo: Jus naturale, quantùm ad prima & univerſalia principia, & in iis quæ intrinſecam habent & inſeparabilem malitiam, eſt immutabile, nec in eo poteſt Deus diſpenſare, non quidem defectu poteſtatis, ſed quia ſemetipſum negare non poteſt, concedo: quantùm ad remotiora principia, & in iis quæ non ſunt intrinſecè & per ſe mala;

qualis eſt pluralitas uxorum ſimul, & ſolubilitas vinculi conjugalis, nego.

Inſtabis 1. Si ſola hic audiatur vox naturæ, tantùm abeſt ut nullo caſu diſſolvi poſſe vinculum conjugale ſuggerat, quin potius multi in caſibus diſſolvi illud debere, vel ipſa Matrimonii natura & finis attendenti demonſtrabit. Eſt quippe Matrimonium inſtitutum à natura ad unionem animorum, prolis generationem, & ſubſidium humanæ fragilitatis: cùm itaque contingit, (quod ſæpe fit) vel conjugum animos ita diſcordes eſſe ac indole diſpares, ut pacificè conciliari nuſquam valeant; vel alterum conjugum perpetua laborare impotentia, nec ullam eſſe ſpem ſuſcipiendæ prolis; vel conjuges nullam ſibi invicem opem, nullum ſubſidium ferre poſſe, ſive ob diuturnam ægritudinem, ſive ob longinquam peregrinationem, ſive etiam ob captivitatem vel ſervitutem, nonne his in occaſionibus exigere videtur lex naturæ, imò & ipſa Matrimonii eſſentia, ut ſolvatur ejus vinculum, & fiat poteſtas convolandi ad alia vota?

Reſp. nego ant. ad cujus probationem, dico incommoda mox numerata per accidens Matrimonio advenire: in legibus autem tùm divinis tùm humanis ſpectari potiſſimùm debet quod in bonum publicum communiùs vergit, non verò quod per accidens & aliquibus in caſibus fini earumdem legum poteſt adverſari. *In legibus Matrimonii*, ait S. Thomas in 4. diſt. 33. q. 2. art. 1. *magis attenditur quid omnibus expediat, quàm quid uni competere poſſit*, id eſt, non ceſſat lex generalis ob aliquem caſum particularem, in quo deficit ratio quam generaliter ſpectat. Adde quòd ceſſante aliqua ratione in Matrimonio, aliæ ſupereſſe poſſunt, ex quibus ejus indiſſolubilitas etiam rectè probatur. V. g. in Matrimonio ſterilum, in quo non eſt naturæ officium, eſt ſaltem remedium infirmitatis; & ſi aliquando utrumque defuerit, ut cùm intervenit ægritudo vel impotentia perpetua, remanet individua vitæ ſocietas quæ eſt Matrimonii finis præcipuus. Pariter ubi diſcordant animi conjugum, poteſt tamen proles ſuſcipi. Veriſſima igitur eſt hæc Apoſtoli ſententia 1. Corinth. 7. v. 10. *Præcipio non ego, ſed Dominus, uxorem à viro non diſcedere: quòd ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut virò ſuo reconciliari.*

Inſtabis 2. Certum eſt legem repudii non tantùm apud Paganos, ſed etiam apud Chriſtianos ex legibus chriſtianorum Imperatorum diu viguiſſe. Hanc permiſit Conſtantinus Magnus L. 3. Codicis Theodoſiani titulo 16. *De repudiis*. Hanc Juſtinianus Novella 117. ubi plures repudii cauſas, tùm ex parte viri, tùm ex parte mulieris, exponit. Eandem ſub Carolo Magno adhuc in uſu fuiſſe teſtatur Marculfus L. 2. Formularum c. 30. ubi deſcribit formulam qua ſcribi ſolebat ejuſmodi repudium. Ex bona etiam gratia ſeu ex mutuo conjugum conſenſu olim diſſolvebatur Matrimonium, aliiſque de cauſis in Jure civili expreſſis, ut latè probat Pontius L. 9. cap. 1. Atſi jure naturæ firmum ac perpetuum foret, ut dicimus, vinculum conjugale, procul dubio chriſtiani Principes repudium naturæ Legi tam contrarium non permiſiſſent.

Reſp. à facto ſeu exemplo ad jus ipſum trahi non debere hìc argumentum. Permiſere aliqui Principes chriſtiani repudium; ergo licitum eſt. Peſſima certè conſecutio: quaſi omnes & ſingulæ quotquot unquam extitere civiles leges à chriſtianis Principibus latæ juſtæ ſemper & æternæ legi con-

conformes fuerint: nonnullas illi aliquando ſanxerunt, improbitate, utita dicam, hominum ſuperati, ad majus præcavendum malum, quas aliàs non tuliſſent, ſed quæ excuſari à culpa non poſſunt, cùm adverſantur legi divinæ & naturali. Jam obſervat Origenes Commentario in Matth. *latas fuiſſe quaſdam leges, non quaſi præſtantia aliqua & excellentia præditas; ſed quaſi ad eorum qui legi ſubditi ſunt, infirmitatem accommodatas & compoſitas.* Atque de legibus hujuſmodi dici meritò poteſt, quod Tertullianus de antiquis legibus Romanorum Apologetici c. 5. *Quot adhuc*, inquiebat, *vobis repurgandæ leges latent? quæ, cùm iniquæ recognoſcantur, meritò damnantur.* Cùm itaque ſolutio vinculi conjugalis ac repudii lex repugnet naturæ, ac inſtitutioni primævæ nuptiarum, iniqua eſt.

Edit. Huet. T. 1. p. 563. C. — *P. 6. A.*

Ita cenſuere ſancti Eccleſiæ Doctores.

S. Hieronymus Epiſt. 84. aliàs 30. ad Oceanum: *Aliæ ſunt*, inquit, *leges Cæſarum, aliæ Chriſti. Aliud Papinianus, aliud Paulus noſter præcipit.* *T. 4. p. 2. p. 658.*

S. Ambroſius L. 8. in cap. 16. S. Lucæ n. 5. *Dimittis ergo*, inquit, *uxorem, quaſi jure, ſine crimine; & putas id tibi licere, quia lex humana non prohibet: ſed divina prohibet.* *T. 1. p. 1471. C.*

S. Auguſtinus Sermone 392. aliàs 49. inter 50. *Hoc non licet*, inquit, *jure poli, etſi liceat jure fori.* Et Libro 1. de nuptiis & concup. c. 10. *Sterilem conjugem*, ait, *relinquere, ut alia fæcunda ducatur, nefas eſt. Quod ſi quiſquam fecerit, non lege hujus ſæculi, ubi interveniente repudio ſine crimine conceditur . . . ſed lege Evangelii reus eſt adulterii.* *T. 5. p. 1504. B.* — *T. 10. p. 286. A.*

S. Chryſoſtomus Hom. in hæc Apoſtoli verba 1. Cor. 7. *Mulier alligata eſt legi, quanto tempore vixerit vir ejus. Ne mihi*, inquit, *leges ab exteris conditas legas, præcipientes dari libellum repudii, & divelli. Neque enim juxta illas judicaturus eſt te Deus in die illa, ſed ſecundùm eas quas ipſe ſtatuit.* *Edit. recent. To. 3. p. 204. D.*

S. Gregorius Nazianzenus Epiſtola 211. *Divortium*, inquit, *legibus noſtris omnino diſplicet, tametſi Romanæ aliter decernant.* *To. 1. p. 905. A.*

S. Gregorius Magnus de lege civili quæ Religionis cauſa permittebat ſolvi conjugia, ita ſcribit Lib. 11. Epiſt. 45. aliàs Lib. 9. Epiſt. 39. *Sciendum eſt*, inquit, *quia etſi hoc lex humana conceſſit, divina tamen prohibet.* *T. 2. p. 1130. D.*

Hocce Gregorii teſtimonium poſtquam retulit Nicolaus I. Epiſtola 32. ait, *civiles Imperatorum leges nullum poſſe præjudicium inferre evangelicis, apoſtolicis atque canonicis decretis.* *Tom. 8. Conc. p. 415. B.*

Et ante illos Innocentius I. in Epiſtola ad Exuperium cap. 6. ait *ex utraque parte adulteros eſſe qui interveniente repudio alii ſe Matrimonio copularunt.* *Tom. 2. Conc. p. 1256. C.*

Hæc Veterum teſtimonia non ſine conſilio hic exſcribenda duximus, ut intelligat unuſquiſque quàm leviter & inconſideratè paſſim in ſuo de regia in Matrimonium poteſtate Tractatu ſcripſerit Launojus, ſe legiſſe ſæpius permiſſum à chriſtianis Principibus repudium, nec ab Epiſcopis reprehenſam & improbatam eorum legem: hæc haud dubiè vel non legerat, vel diſſimulare ſaltem voluit Launojus teſtimonia Veterum.

Inſtabis denique: Si non licet uxorem dimittere & aliam ducere, magis expedit nunquam nubere.

Reſp.

Reſp. ita cenſuiſſe Judæos illos carnales quos increpat Chriſtus. Cùm enim illi ex licentia per Moyſen data poſſent uxore dimiſſa ducere aliam, durè admodum & aſperè audiebant Chriſtum revocantem talem licentiam, reſtituta primæva Matrimonii firmitate & indiſſolubilitate. *Ab initio non fuit ſic. Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet*, dicebat Chriſtus. Chriſtiani ergo, quibus jugum Chriſti ſuave eſſe debet, tantùm abeſt ut à nuptiis ea de cauſa revocari debeant, quòd perpetuum ſit vinculum conjugale, quin potius ea ipſa de cauſa incitari potius ac moveri ad illas debeant, ut nempe juxta monitum Apoſtoli *nubant in Domino*: hoc eſt, non carnali deſiderio, neque propter temporalia bona, ſed ut filios ſanctè & in timore Dei educent, ſuamque cum uxore operentur ſalutem per mutua pietatis ac religionis officia.

De firmitate vinculi conjugalis apud Infideles: an per converſionem alterius conjugum ad fidem chriſtianam ſolvatur, & fiat poteſtas convolandi ad alias nuptias.

Quæ pertinent ad conjugia Infidelium nonnullis hic quæſtionibus & reſponſis breviter exponemus.

Quæres 1. an verum & legitimum contrahatur inter Infideles Matrimonium.

Reſp. affirmativè. Probatur manifeſtè ex Apoſtolo 1. Cor. 7. v. 12. *Si quis frater*, inquit, *uxorem habet infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo, non dimittat illam.* Supponit igitur Apoſtolus uxorem hanc legitimè ductam fuiſſe in infidelitate; aliàs non permitteret eam retineri à viro converſo ad fidem. Et verò conjugalis contractus juris eſt naturalis, qui verè ac legitimè celebrari poteſt in quacunque Religione, ab illis qui nullo impedimento irritante ligati ſunt, ſive jure ipſo naturali, ſive civili Principum, quibus ſubditi ſunt, conſtitutione. Matrimonium verò illud apud Infideles, non eſt verum Sacramentum: unde Innocentius III. cap. *Gaudemus. De divortiis*, ait illud *ratum non eſſe*, defectu ſcilicet Baptiſmi ex quo habet Matrimonium ut ratum dicatur.

Quæres 2. an Matrimonium in infidelitate contractum diſſolvatur per converſionem utriuſque conjugis ad fidem chriſtianam.

Reſp. negativè. Patet ex mox citato Apoſtoli textu. Si enim vir converſus non debet diſcedere ab uxore infideli quæ conſentit pacificè habitare & ſine injuria Creatoris, quantò magis diſcedere non debet ab uxore quæ pariter convertitur ad fidem? *Per Baptiſmum enim*, ait Concilium Meldenſe, & poſt ipſum Innocentius III. cap. *Gaudemus, non ſolvuntur conjugia, ſed dimittuntur crimina.*

Decret. p. 1559. n. 40.

Atque ex his inferes 1. eum infidelem qui ſua uxore repudiata alteram duxerat, ſi ad fidem chriſtianam convertatur, ſeparandum eſſe à poſteriori illa uxore, & cogendum ut ad priorem redeat: quia nempe lex Chriſti repudium non admittit, & aliunde Lege ipſa naturali dirimi non poteſt vinculum conjugale; nullum igitur fuit ſecundum illud Matrimonium, quamdiu prius firmum ſtetit. Quòd ſi prior illa uxor nollet cum marito chriſtiano facto pacificè & ſine contumelia Creatoris cohabitare, poſſet ille de novo ſecundam illam, quam in infidelitate non legitimam habuerat, legitimè ducere, priori diſcedente. Ita ſtatuit Innocentius III. cap. *Gaudemus*, in fine. Et ita pariter intelligi debet caput *Si quis Gentilis*, cauſa 18. q. 1. quod

Sanchez disp. 73. l. 7. n. 3. 4. & 5.

dicitur

dicitur eſſe Eutychiani Pontificis, *Si quis Gentilis*, inquit, *uxorem dimiſerit ante Baptiſmum, poſt Baptiſmum in poteſtate eius erit habere, vel non habere*. Si nempe dimiſſa eſt per repudium & noſit ad fidem converti, poteſt vir converſus ad fidem eam, ſi velit, rejicere, vel cum ea cohabitare, ſi fieri illud poteſt abſque periculo ſubverſionis. *Grat. p. 1534. n. 50.*

Inferes 2. Infideles, qui ad fidem convertuntur, & in infidelitate plures duxerant uxores, ab illis ſeparandos eſſe, ſola ea relicta quæ primò ducta fuit. Ita eodem c. *Gaudemus*, ſtatuit S.P. & quidem appoſitè ad legem chriſtianam, quæ pluralitatem uxorum ſimul omnino prohibet ac rejicit.

Quæres 3. an cùm alter Infidelis convertitur, teneatur habitare cum Infideli, qui renuit quidem converti, ſed conſentit habitare pacificè & ſine contumelia Creatoris.

Reſp. 1. tempore Apoſtolorum, cùm ſpes erat futuræ converſionis infidelis conjugis, licitam fuiſſe cohabitationem Fidelis cum Infideli. Ita Apoſtolus 1. Cor. 7. v. 12. *Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo, non dimittat illam . . . . ſanctificatus enim eſt vir infidelis per mulierem fidelem, & ſanctificata eſt mulier infidelis per virum fidelem*. Pontius Lib. 7. c. 48. num. 6. putat cohabitationem hanc tunc temporis neceſſariam fuiſſe ex præcepto; econtra Sanchez L. 7. diſp. 73. n. 7. licitam dumtaxat ex conſilio exiſtimat, quia expreſsè Apoſtolus ait, *Ego dico, non Dominus*: ex quo concludit citatus auctor, liberum planè fuiſſe viro fideli recedere ab uxore infideli, vel non recedere. Arcudius de Matrim. cap. 21. diſtinguit inter præceptum divinum, & humanum quod Apoſtoli ad tempus dederunt. Negat ille quidem, citatis Apoſtoli verbis contineri divinum, ſed agnoſcit apoſtolicum mandatum, quod primis illis temporibus congruum fuit, nempe ut non diſcederet pars fidelis ab infideli quæ conſentit habitare pacificè & ſine contumelia Creatoris, tùm ne fortè tali ſeparatione Pagani deterrerentur à fide chriſtiana; tùm ut ea cohabitatione poſſet faciliùs Infidelis imbui documentis chriſtianis, & ad Religionem veram adduci. Sive porro præceptum ſit, ſive conſilium, certum eſt, tempore S. Auguſtini licitum adhuc fuiſſe conjugi fideli habitare cum infideli, imò & tempore Innocentii III. ſicut colligitur ex cap. *Gaudemus. De divortiis*, ubi ſic loquitur: *In favorem chriſtianæ Religionis & fidei, à cujus perceptione per uxores ſe deſeri timentes viri, poſſunt facilè revocari: Fideles hujuſmodi licitè matrimonialiter copulati liberè poſſunt, & licitè remanere conjuncti, cùm per Sacramentum Baptiſmi non ſolvantur conjugia, ſed crimina dimittantur*. *P. 526.* *Decret p. 1559. n. 10.*

Reſp. 2. nonnullis in Regionibus, adulta jam Eccleſia, ſexto ſæculo Canonibus cautum eſſe ne ex Judæis converſi ad nos, remanerent cum infideli uxore, nempe ob probabile & quaſi certum ſubverſionis periculum. Ita ſanxerunt in Concilio Toletano IV. versùs annum 650. Can. 62. congregati ſimul Galli & Hiſpani. De Judæis autem potiſſimùm ſtatuit Canon, quòd magis ſint in errore pertinaces & ad ſubverſionem magis proclives. Atque hinc nata inter Theologos controverſia, an ſcilicet eccleſiaſtica lege jam teneatur Infidelis converſus recedere ab uxore in infidelitate permanente, licet conſentiat habitare pacificè & ſine Creatoris injuria. Fatentur ferè omnes, nullam extare ſcriptam legem quæ prohibeat hanc cohabitationem; uſu tamen & conſuetudine jam eſſe illicitam, niſi fortè iis

in ca-

Digitized by Google

in caſibus, in quibus ſpes affulgere poteſt futuræ converſionis, de quibus judicare prudentis eſt Epiſcopi vel Sacerdotis.

Quæres 4. ſi duorum conjugum unus convertitur ad fidem, alter nec convertitur, nec vult pacificè cohabitare, quem proles ſequi debeat, an fidelem, an infidelem parentem.

Sanchez ib. n. 16. Tom. 5. Conc. p. 1719. Reſp. cum diſtinctione. Si enim proles ſit doli capax, non eſt cogenda ad fidem, ſed ſuæ libertati relinquenda; nullus enim ſui compos ad fidem cogendus eſt. Ita ſtatuitur cap. 57. Concilii IV. Toletani: fides quippe ſuaderi poteſt, cogi non poteſt. Si verò proles non ſit doli capax, ejus debet ſequi conditionem qui ad fidem convertitur. Ita cap. ultimo *De converſione Infidelium*, & cap. 63. Conc. IV. Toletani quod refertur cap. *Judæi*, cauſa 28. q. 1. Ratio eſt, quia eo ipſo quòd alter conjux fidelis eſt, poteſt ab Eccleſia compelli ut prolem doli non capacem baptiſet. Ita ſtatuit jam citatum caput Conc. IV. Toletani. In dubio autem an proles gaudeat uſu rationis, in favorem fidei inclinandum eſt: quamobrem licet attento jure filius minor triennio apud metrem ſit educandus, major autem apud patrem; in gratiam tamen fidei, quando pater eſt fidelis, proles, etſi triennio minor, apud ipſum educanda eſt; ſicut pariter apud matrem fidelem, etſi ætate major.

Quæres 5. quibus in caſibus, & quo jure ſolvatur vinculum Matrimonii, cùm alter conjux ad fidem convertitur, altero in infidelitate contumaciter permanente.

Reſp. tres in Jure canonico aſſignari caſus. Primus, ſi Infidelis renuat converti, & diſcedere velit: Fidelis ſic derelictus poteſt ſoluto priori vinculo, ad alias nuptias convolare. Secundus, ſi Infidelis nolit cohabitare ſine contumelia Creatoris, vel non audit nomen ejus ſine deſpectu, ejus laudes prohibet, domeſticos ad defectionem hortatur. Tertius, ſi pertrahat ad peccatum mortale. Ita Innoc. III. cap. *Quantò. De divortiis. Si alter infidelium conjugum*, inquit, *ad fidem catholicam convertatur, altero vel nullo modo,* *Decr. p. 1557. n. 20.* *vel non ſine blaſphemia divini numinis, vel ut pertrahat ad peccatum mortale, ei cohabitare volente: qui relinquitur, ad ſecunda, ſi voluerit, vota tranſibit; & in hoc caſu intelligimus, quod ait Apoſtolus, Si Infidelis deſcedit, diſcedat: frater enim vel ſoror non eſt ſervituti ſubjectus in hujuſmodi*. Quæ verba deprompta ſunt ex cap. 7. v. 15. prioris ad Corinthios; ex quibus intelligimus, in priori caſu, permittente Deo, ſolvi nexum conjugalem, etiam poſt conſummationem, ac Fideli derelicto fieri poteſtatem ad alias nuptias celebrandas: *Non enim*, ait Apoſtolus, *ſervituti ſubjectus eſt frater aut ſoror in hujuſmodi*. Hoc eſt, non tenetur vitam ducere cælibem, ſi diſcedat alter conjux infidelis.

Quæ opponi hic poſſunt Scripturæ teſtimonia pro omnimoda inſolubilitate Matrimonii, probant dumtaxat vel Matrimonium Chriſtianorum conſummatum diſſolvi nullo caſu poſſe; vel quodcunque Matrimonium legitimum, etiam inter Infideles, in ſe quidem & intrinſeca natura non poſſe diſſolvi, ſed extrinſecè tantùm, divina ſcilicet voluntate, non humana & privata auctoritate: in eadem ſcilicet Scriptura & lex inſolubilitatis Matrimonii, & ipſius exceptio in caſu adducto continentur.

Quæres 6. an ſolvatur Matrimonium per hæreſim vel infidelitatem ad quam poſt Baptiſmum conjuges deficiunt.

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. negativè: nullo quippe jure, neque divino neque eccleſiaſtico, id licitum; imò potius vetitum eſt: per Baptiſmum enim ita ratum evadit inter Chriſtianos Matrimonium, ut ſi conſummatum fuerit, ſola morte poſſit diſſolvi. Rationem hanc adducit Innocentius III. cap. *Quanto*, jam citato. Et Conc. Trid. Seſſ. 24. Can. 5. ſic definit: *Si quis dixerit, propter hæreſim, aut moleſtam cohabitationem . . . . diſſolvi poſſe Matrimonii vinculum, anathema ſit.*

T. 14. Conc. p. 874. E.

Quæres 7. an ſi conjux infidelis conſentiat pacificè & ſine contumelia Creatoris cohabitare cum Fideli, liberum iſti ſit ſolvere Matrimonium, & aliud contrahere.

Reſp. rem hanc inter Theologos eſſe maximè controverſam. Sunt qui negant eo in caſu diſſolvi poſſe Matrimonium. Ita inter recentiores Eſtius in 4. diſt. 39. paragr. 6. & ſeq. & inter Veteres non pauci, quos appellat Thomas Sanchez L. 7. diſput. 74. num. 8. Sunt econtra qui cum Bellarmino Lib. 12. de Matrim. cap. 12. ad ſecundum in fine, ſimpliciter affirmant liberum eſſe conjugi fideli eo etiam in caſu ſolvere conjugium. Sunt denique qui cum Thoma Sanchez loco mox citato n. 9. cum diſtinctione quæſtionem ſic ſolvunt. Nempe, quibus temporibus licita fuit cohabitatio Fidelis cum Infideli, diſſolvi non potuit Matrimonium: ſubſequentibus verò temporibus, quibus hæc cohabitatio prohibita omnino fuit, diſſolvi potuit, ita Apoſtoli mentem atque ſententiam interpretante Eccleſia, quæ propriè non dirimit vinculum conjugii, ſed declarat tali in caſu divino jure diſſolvi poſſe; nimirum propter evidens fidei periculum quod ſemper huic cohabitationi, ſeu conſortio cum homine infideli annexum eſt: unde in Jure canonico pro eodem ferè habetur cohabitare cum Infideli, & contumeliam Creatori inferre. Defenſores primæ ſententiæ, iſtis Apoſtoli verbis 1. Cor. 7. v. 12. *Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo, non dimittat illam*, verum exprimi præceptum affirmant: auctores verò ſecundæ opinionis, nudum conſilium; juxta verò patronos tertiæ, partim præceptum eſſe, partim conſilium: præceptum pro primis Eccleſiæ temporibus, quibus non expediebat ut uxores infideles, quæ pacificè cohabitare volebant, dimitterentur, ne ſcilicet gravis & odioſa hinc fieret chriſtiana Religio: conſilium verò pro temporibus ſubſequentibus, quibus ad SS. Pontifices & Epiſcopos pertinet judicare, an expediat ut Fidelis diſcedat ab Infideli, quæ poſtrema opinio longè magis nobis arridet.

Quæres 8. quandonam cenſeatur diſſolutum vinculum Matrimonii inter conjuges, quorum unus convertitur ad fidem, alter verò nec convertitur, nec vult cohabitare cum Fideli: an ipſo jure ac ſtatim poſt Baptiſmum; an verò poſt contractas ſecundas nuptias: & an neceſſe ſit priùs moneri conjugem infidelem.

Sanch. 7. diſp. 75. Pontius L. 9. c. 4. n. 16. p. 668.

Reſp. ad primum: jure ipſo per Baptiſmum non diſſolvi tale Matrimonium, ſed per ſubſequentes nuptias. Ita colligitur ex cap. *Gaudemus*, ubi poſtquam S. Pontifex Innocentius III. expoſuit tres caſus in quibus diſſolvi poteſt Metrimonium inter Infideles, addit, *Quòd ſi converſum ad fidem, & illa converſa ſequatur, antequam propter cauſas prædictas legitimam ille ducat uxorem, eam recipere compelletur*. Ergo propter tres illas cauſas non erat diſſolutum vinculum Matrimonii ipſo jure: namque ſi ſolutum fuiſſet, non potuiſ-

Decret. p. 1560. n. 50.

Digitized by Google

potuiſſet compelli ille Fidelis ad recipiendam eam uxorem, quæ amplius uxor non fuiſſet. Neque obſtat quòd cap. *Si Infidelis*, cauſa 28. qu. 2. dicatur *contumeliam Creatoris ſolvere jus Matrimonii circa eum qui relinquitur*. *Grat. p. 3540. n. 60.* Senſus quippe eſt, contumeliam Creatoris juſtam præbere cauſam diſſolvendo conjugio; ſic tamen ut actu & reipſa non ſolvatur niſi per ſubſequentes nuptias.

Atque hinc inferes 1. quamvis Eccleſiæ ſententia præceſſerit declarans liberum eſſe Fideli tranſire ad alias nuptias, non dirimi per talem ſententiam prius conjugium, donec Fidelis ſecundo Matrimonio junctus fuerit: ſcilicet ea agendi ratione voluit Eccleſia tempus concedere Infideli ut converteretur ad fidem, & remaneret cum ſuo priori conjuge. 2. ſi ante Matrimonium à Fideli contractum tranſeat Infidelis ad alia vota, ea fore irrita; atque ſi poſtmodum ad fidem ille converteretur, ſeparandus eſſet à ſecunda illa uxore, quia privilegium diſſolvendi prius Matrimonium per ſubſequentes nuptias in caſu propoſito, non eſt à Chriſto indultum Infidelibus, ſed Fidelibus, in gratiam ſcilicet fidei, ſicut expreſsè habetur cap. *Quanto. De divortiis.* Inferes 3. non teneri Fidelem qui legitimè ad aliud Matrimonium tranſiit, eo quòd Infidelis monitus legitimam habitationem denegaverit, ſoluto per mortem iſto ſecundo Matrimonio, redire ad priorem conjugem infidelem, etiam ſi tunc ad fidem converteretur. Ratio eſt, quia prius illud Matrimonium legitimè diſſolutum fuit; ergo liber eſt ut redeat vel non redeat ad illam, interveniente ſecundæ uxoris morte.

Reſp. ad ſecundum, monendam eſſe uxorem infidelem, an velit legitimè cohabitare, priuſquam ſecundæ nuptiæ celebrentur: niſi fortè non poſſet moneri, ſive propter periculum evidens aut vitæ, aut ſubverſionis, ſive propter locorum diſtantiam &c. Ita Gregorius XIII. cujus Epiſtolam de-
Sanch. ſcribit Baſilius Pontius L. 7. c. 48. n. 23.

L. 7. d. Quæres 9. an ſolvatur Matrimonium contractum in infidelitate, quan-
76. n. 8. Eſtius in do alter conjux Religionem ſolemniter profitetur, aut ſacros Ordines ſuſci-
4. diſt. pit, vel obſtringit ſe voto caſtitatis.
37. p. 7. Reſp. 1. ſolvi tale Matrimonium per ſolemnem Religionis profeſſionem: quia eadem eſt ratio Matrimonii apud Infideles etiam conſummati, quæ ejuſdem non conſummati apud Chriſtianos: atqui ſolvi Matrimonii vinculum rati non conſummati inter Chriſtianos per ſolemnem Religionis profeſſionem, paulò poſt oſtendemus.

Reſp. 2. non ſolvi nec per Ordines ſacros, nec per ſimplex votum caſtitatis: quia nullo jure ſolvitur etiam inter Chriſtianos, ſive per ſacros Ordines, ſive per votum caſtitatis.

Quæres ultimò, an conjuge fideli ad alias nuptias tranſeunte, propter pervicaciam & in infidelitate obfirmatum alterius conjugis animum, liceat ipſi quoque Infideli aliud inire Matrimonium.

Reſp. affirmativè: quia vinculum conjugale æqualiter ex utraque parte aut ſtat, aut ſolvitur; ergo cùm in caſu propoſito diſſolutum ſit ex parte Fidelis, neceſſe eſt illud quoque diſſolvi ex parte Infidelis, qui nullo jure prohibetur ab aliis nuptiis celebrandis.

De ſir-

De firmitate vinculi conjugalis apud Judæos: an dirimeretur per libellum repudii.

Quamquam repudii & divortii nomen promiſcuè interdum uſurpetur, nonnihil tamen diſcriminis inter utrumque ſtatui debet: divortium quippe ſeparationem quoad thorum & cohabitationem, repudium verò quoad vinculum & fœdus eandem ſeparationem denotat.

Conceſſum fuiſſe Judæis uxores ſuas repudiare manifeſtum eſt ex cap. 24. Deuter. v. 1. ubi ſic ſtatuit Moyſes: *Si acceperit homo uxorem, & habuerit eam, & non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem, ſcribet libellum repudii, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo ſua.* Inde Phariſæi tentantes Chriſtum Matth. 19. v. 3. interrogant: *Si licet homini dimittere uxorem ſuam quacunque ex cauſa.*

Libelli hujus traditur hæc fuiſſe forma, *Ego dedi ei libellum repudii in manu, ſchedam abſciſſionis, & ſignaculum diviſionis, ut ſit à me abjecta, & abeat quocunque voluerit, ducique poſſit ab omni viro, nec eam quiſquam prohibere præſumat, juxta conſtitutiones Moyſi & Iſrael.* Apud Romanos hæc brevis erat ſcribendi repudii formula, *Res tuas tibi habeto*, vel, *Res tuas tibi agito.*

Ut autem legitimè daretur libellus ille repudii, ſervanda erant quæ præſcripſerat Moyſes. 1. quidem, ut nonniſi à marito daretur: ſolis quippe viris permittebatur uxores repudiare, non uxoribus viros. 2. cùm libellus hic repudii nonniſi ſubducta ratione & animo ſedatiore dari deberet, voluit Moyſes, ut ſcripto daretur, tùm ut, ait S. Auguſtinus L. 1. de ſermone Domini in monte c. 14. *iracundiam temerariam projicientis uxorem, libelli cogitatio temperaret.* Qua de cauſa docet idem S. Auguſtinus L. 19. contra Fauſtum c. 26. neceſſe T. 3. p. 2. fuiſſe ut libellus hic exararetur à Scribis publicis, quorum partes erant judica- p. 181. re an juſtæ forent vel injuſtæ repudii cauſæ; ita ut ſi juſtæ non forent, libellum D. T. 8. p. non ſcriberent, ſed conjuges ad pacem & concordiam potius revocarent: tùm 328. ut haberet uxor repudiata publicum inſtrumentum, quo conſtaret ſe à marito dimiſſam, ac liberam eſſe alteri nubere. 3. debet libellus repudii ſcriptus dari ipſimet repudiatæ, nempe ut ipſa omnibus notum faceret ſe liberam eſſe à priori vinculo, neve repudians id negare poſſet, & litibus & adulteriis via præcluderetur. 4. debebat dari ex gravi & juſta cauſa quæ generatim exprimitur in ſacro textu nomine *fœditatis*, quo non tantùm fornicatio vel adulterium, ſed quælibet alia notabilis turpitudo corporis vel animi denotatur. Neceſſe verò non erat cauſam hanc diſtinctè in libello exprimi, ne fortè noceret ſecundo illius mulieris Matrimonio. Ita cenſet S. Th. in 4. diſt. 33. q. 2. art. 3. quæſtiunc. 2. Plura de forma repudii apud Judæos videri poſſunt apud Abulenſem in caput 19. S. Matth. q. 52. & ſeq. ubi fusè illam exponit.

Quæ hactenus de libello repudii dicta ſunt, vix in controverſiam veniunt apud Theologos: ſola hic ventilanda quæſtio, quæ varias in partes noſtros Doctores diſtrahit: hæc eſt, utrum ſcilicet per libellum repudii ſolve- T. 10. p. retur vinculum conjugale, ac fieret poteſtas licitè convolandi ad alias nu- 527. ptias; an verò non ſolveretur, ſed permiſſus dumtaxat ille foret ad duritiam cordis, tanquam minus malum ad majus præcavendum, ita ut non excuſaret à culpa, ſed tantùm liberaret à pœna, ne videlicet illi qui rem permiſ-

ſam

ſam facerent temporali ſupplicio ſubjacerent, tanquam adulteri & conjugalis fœderis violatores. En quæſtionis præſentis ſtatus, circa quam variæ ſunt opiniones.

Prima, utramque partem affirmantem & negantem problematicè defen-
T.10.p. dit, utriuſque ſolvens argumenta, & neutram definiens. Ita S.Th. in 4. diſt.
525. 33.q. 2.art.2. quæſtiunc.2.

Secunda, docet repudium fuiſſe permiſſum, non tanquam rem licitam, quæ ſine culpa fieri poſſet, ſed tanquam minus malum ad fugienda majora; adeoque minimè diſſolutum fuiſſe apud Judæos per libellum repu-
T.4.p.1. dii, conjugale vinculum. Ita S.Hieronymus Lib.1. Commentarii in Matth.
p.18.& cap.5.& Lib.3.cap.19. Et Lib.1. adverſus Jovinianum, obſervat quaſdam
86. repudiatas altero nuptiarum die iterum nupſiſſe: *Uterque*, ait S.Doctor, *reprehendendus maritus; & cui tam citò diſplicuit, & cui tam citò placuit.* S.
T.4.p.2. Bonaventura, & alii benè multi quos appellat Sanchez Lib.10. diſp.1.n.5. in
p.191. eandem deſcendunt ſententiam, quibus accedunt inter recentiores Eſtius in 4. diſt.33.paragr.9. Sylvius in Supplementum S. Thomæ.

Tertia opinio exiſtimat nec omnino licitum fuiſſe, nec omnino prohibitum, ſed diſpenſatum eſſe à Deo, ne repudium illud culpam venialem excederet. Ita Cajetanus in caput 19. S. Matth.

Quarta denique putat repudium apud Judæos, Deo diſpenſante, propter duritiam cordis eorum, licitum fuiſſe; ac per illud ſoluto prioris Matrimonii nexu, factam eſſe liberam ad alia vota licentiam. Ita Bellarminus L. de Matrimonio c.17. in reſponſione ad decimam quartam objectionem; Sanchez loco mox citato, ubi plures ejuſdem ſententiæ laudat; Pontius Lib.7.c.50. & alii non pauci cum quibus ſit

CONCLUSIO.

Libellus repudii, diſſoluto vinculo conjugali, non tantùm Judæis permiſſus fuit, ſed etiam, Deo diſpenſante, licitus.

Probatur 1. ex mox citatis Scripturæ verbis Deut. 24. quæ proprio & nativo ſenſu non ſignificant tantùm permiſſionem minoris mali ad fugiendum majus, ſed licentiam ſeu facultatem juris. Debent autem intelligi ſenſu proprio & naturali, quantùm fieri poteſt, juxta regulam generalem de verbis Scripturæ interpretandi traditam à S.Auguſtino L.3. de doctrina chriſtiana c.10. præſertim verò in legibus quæ claræ eſſe debent: neque verò aliter loquitur Moyſes cùm res exponit, quas non modò permitti vel tolerari, ſed etiam licitas eſſe non negant adverſarii.

Confirmatur 1. ex eodem cap.24. Deut. ubi poſt verba citata, mulier dimiſſa dicitur alterum maritum ducere: *Cùmque egreſſa*, inquit Moyſes, *alterum maritum duxerit, & ille quoque oderit eam . . . . non poterit prior*
T.34.p.1. *maritus recipere eam in uxorem*. At niſi diſſolutum ſupponeret Scriptura prius
p.49. Matrimonium, quomodo eum, quem mulier repudiata ſecundò ducit, maritum appellaret, qui propriè maritus non fuiſſet in adverſa ſententia, ſed adulter? Quomodo prior maritus prohiberetur recipere redeuntem uxorem, ſi verè uxor etiam poſt repudium fuiſſet?

Confir-

Digitized by Google

Confirmatur 2. ex formula ipſa libelli: dicitur enim *ſcheda abſciſſionis, ſignaculum diviſionis*, qua vir dimiſſæ uxori faciebat poteſtatem ducendi alium virum; quæ certè forma clariſſimè indicat verè diſſolutum fuiſſe prius vinculum.

Probatur 2. rationibus quas hìc adducit Bellarminus.

Prima eſt, quia ſi vinculum per libellum repudii ſolutum non fuiſſet; & permiſſio valdè inæqualis, ne dicam iniqua, & conditio mulierum dura maximè fuiſſet: ſiquidem viris tunc temporis licebat plures ſimul habere uxores; una igitur à conſortio thori rejecta, potuiſſet vir alias advocare: at mulieri nuſquam licuit ſimul plures habere viros; quæ igitur repudiata fuiſſet, abſque ſpe alterius conjugii, vivente priori marito, remanſiſſet, & ita coacta fuiſſet perpetuò continere, ac cælibem vitam agere tunc temporis inuſitatam maximè ac infrequentem, quod certè durum maximè videtur.

Secunda, quia Lex vetus non damnabat nec puniebat nuptias repudiatarum cum aliis viris, ut patet ex citato c. 24. Deut. Legitimæ ergo illæ erant; aliàs publica & aperta adulteria Lex toleraſſet nec prohibuiſſet, quod certè nemo dixerit de illa Lege quæ jubebat mulierem adulteram lapidari.

Tertia, quia Lex prohibebat ne repudiata poſt mortem ſecundi mariti poſſet à priori recipi; & quidem ita prohibebat, ut ſimul indicaret grave peccatum eſſe ſi id fieret, ut conſtabit expendenti citatū caput 24. Deut. At ſi per repudium non ſolvebatur vinculum conjugii, non erat peccatum, nec prohibendum, imò potius optandum ut uxor rediret ad ſuum verum ac legitimum maritum.

Quarta, quia mirum eſſet neque Moyſen, neque Prophetas qui alia vitia populi tam liberè reprehendebant, nunquam palam reprehendiſſe iſta adulteria quæ tam frequentia erant cum repudiatis.

Quinta: juxta legem Levitici 21. latam, Sacerdos non poterat in uxorem ducere viduam, aut repudiatam, aut meretricem, ſed virginem dumtaxat: ex qua lege videtur omnino colligi licuiſſe aliis ducere repudiatam, quemadmodum licebat ducere viduam.

Sexta: Abraham, jubente Deo, repudiavit Agar quam duxerat in uxorem, neque probabile videtur coactam illam fuiſſe perpetuò continere. In idem ferè recidit ſeptima ratio. Exodi nempe 21. lex divina conſtituit, ut ſi Dominus ſervo dederit uxorem, & ea peperit filios, anno ſeptimo ſervus egrediatur liber, ſed uxor & filii ſint domini; atque ita privabatur vir ille uxore & filiis: quòd ſi vinculum non ſolvebatur, cogebatur mulier illa ſine ulla culpa cælibem ducere vitam, quod certè à moribus priſci populi alienum maximè fuit. Dicendum igitur Deum eo tempore facilè diſpenſaſſe circa vinculum, ſicut diſpenſaverat circa polygamiam.

Hanc porro repudii legem abrogavit Chriſtus in nova Lege Matth. 19. v. 8. *Moyſes*, inquit, *ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere uxores veſtras: ab initio autem non fuit ſic. Dico autem vobis, quia quicunque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur.* Poſt Chriſtum igitur non tantùm apud Chriſtianos, ſed etiam apud Gentiles illicita ſunt repudia, reſtituto nempe Matrimonio primævæ ſuæ firmitati quam trahit ex Lege ipſa naturali: unde teſtatur S. Auguſtinus Lib. de fide & operibus cap. 1. in Africa non admiſſos ad Baptiſmum Gentiles, qui

Digitized by Google

diſmiſſis primis uxoribus, cum ſecundis nuptias contraxiſſent, niſi iſtis rejectis ad primam eamque unicam rediiſſent. *Ad hanc*, inquit, *videntur diſputationem impulſi, quòd eos moverit, non admitti ad Baptiſmum, qui dimiſſis uxoribus alias duxerint; vel feminas quæ dimiſſis viris aliis nupſerint, quia hæc non conjugia, ſed adulteria eſſe Chriſtus Dominus ſine ulla dubitatione teſtatur.* T. 6. p. 165. D. Idem apertiſſimè docet Innocentius III. Cap. *Gaudemus. De divortiis*, cùm de repudiata ab Infideli ſermo eſſet: *Qui autem*, inquit, *ſecundùm ritum ſuum legitimam repudiavit uxorem, cùm tale repudium Veritas in Evangelio reprobaverit, nunquam ea vivente poteſt aliam, etiam ad Chriſti fidem converſus, habere.* Decret. p. 1560. n. 30.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. Cùm Judæi Matth. 19. v. 7. Chriſto objeciſſent Moyſen mandaſſe dare libellum repudii, Chriſtus 1. verbum *mandavit*, quo uſi erant Judæi, mutavit in verbum *permiſit*. 2. ait Moyſen iſtud permiſiſſe ad cordis duritiam. 3. ab initio non ita fuiſſe; quibus certè indicaſſe videtur Chriſtus, libellum repudii Judæis permiſſum non fuiſſe tanquam aliquid licitum ad excuſationem culpæ, ſed tanquam minus malum ad immunitatem pœnæ.

Reſp. nego conſeq. 1. quidem non ſine cauſa verbo *mandavit*, ſubſtituit Chriſtus verbum *permiſit*, ut nempe ſignificaret Moyſen non juſſiſſe ſeu mandaſſe, ſed tantùm permiſiſſe Judæis ut ſi vellent, legitima de cauſa uxores ſuas dimitterent. Hoc quippe verbo *permiſit* demonſtrare voluit Chriſtus, non quòd ſibi ipſi grata foret lex illa repudii, ſed quòd gens ea cervicoſa maliſque moribus innutrita meliorem accipere recuſaret: unde addit, ad duritiam cordis Judæorum datam hanc à Moyſe licentiam, nempe ad præcavenda majora mala, & pericula uxorum, quas præ iracundia interfeciſſent, ſi perpetuò eas ſibi exoſas retinere coacti fuiſſent, ait S. Chryſoſtomus L. de virginitate. Quæ durities tametſi mala foret, permiſſio tamen facta ipſius cauſa, excuſabat à peccato, ſicut docet S. Th. in 4. diſt. 33. qu. 2. art. 2. quæſtiuncula 2. ad 4. *Sicut*, inquit, *quædam permittuntur infirmis corporaliter, quæ non permittuntur ſanis; nec tamen infirmi peccant permiſſione ſibi facta utentes.* T. 10. p. 525. Denique meritò adjungit Chriſtus, *ab initio ſic non fuiſſe*: quia nempe hæc lex repudii adverſatur primævæ inſtitutioni Matrimonii, quæ ante Moyſen integra & illæſa permanſerat, in qua ut diſpenſaret, fecit dura & pervicax Judæorum indoles. In Evangelica verò Lege Chriſtus revocavit Matrimonium ad ſuam primævam inſtitutionem & perfectionem.

Objicies 2. Deuter. 24. v. 2. uxor repudiata quæ cum altero nupſit, dicitur *polluta & abominabilis coram Domino. Cùmque*, ait ſacer Contextus, *egreſſa alterum maritum duxerit, & ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudii, & dimiſerit de domo ſua, vel certè mortuus fuerit; non poterit prior maritus recipere eam in uxorem, quia polluta eſt, & abominabilis facta eſt coram Domino.* At non alia certè de cauſa polluta & abominabilis dicitur illa mulier, niſi quia ſecundæ illius nuptiæ, vivente adhuc priori marito, non erant legitimæ, ſed vera adulteria: unde mulier repudiata & cum altero nubens comparatur à Jeremia cum fornicariis cap. 3. v. 1. *Vulgò dicitur*, inquit, *ſi dimiſerit vir uxorem ſuam, & recedens ab eo duxerit alterum*, num-

Digitized by Google

numquid revertetur ad eam ultrà? Numquid non polluta & contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis: tamen revertere ad me, dicit Dominus, & ego ſuſcipiam te.

Reſp. 1. cum S. Thoma articulo mox citato quæſtiuncula 3. ad 5. repudiatam quæ alteri nupſit, dici pollutam & abominabilem coram Domino, legaliter; eo ferè modo quo immundus dicebatur in eadem Lege Moſaica, qui mortuum vel leproſum tetigiſſet, non quidem immunditia culpæ, ſed cujuſdam irregularitatis legalis.

Reſp. 2. cauſam cur mulier illa repudiata & cum altero viro conjuncta dicatur polluta & abominabilis coram Domino, non eſſe, quòd illegitimæ forent illius ſecundæ nuptiæ, ſed quòd Deus reditum illius mulieris ad priorem ſuum maritum ſeverè prohibuiſſet: unde juxta hebræum & græcum textum, legitur, *Quoniam hoc eſt abominatio coram Domino*, nempe redire ad priorem illum maritum. Ratio eſt, quia reditus ille, ſeu repudium cum tacita conditione reditus, ſapuiſſet non verum, ſed adumbratum repudium, quaſi non verè ac ſincerè repudiata fuiſſet uxor, ſed alteri tantùm ad tempus commodata. Erat & alia cauſa cur id prohiberetur à Deo, nimirum quia faciliorem aditum & latiorem viam aperuiſſet repudiis: faciliùs quippe dimiſiſſent uxores, ſi ſpes fuiſſet eas recuperandi poſt ſecundas nuptias.

Ad confirmationem ex Jeremia, Reſp. cum Bellarmino, Deum ita loqui quaſi arguendo à minori ad majus. Quaſi diceret: Mulier juxta Legem Moyſis repudiata, non poteſt à priori ſuo marito recipi, ego tamen recepturus ſum in gratiam populum Iſrael poſt ſuas fornicationes cum pluribus amatoribus, tametſi major ſit ratio qua moveri poſſem ut eum non admitterem: hoc eſt, pro ſingulari mea clementia & benignitate volo cum populo meo reconciliari, non obſtante multiplici idololatria in quam prolapſus fuerat. Finis igitur hujus comparationis non eſt ut aſſerat Propheta mulierem dimiſſam & cum altero conjunctam eo ipſo fornicari, ſed ut oſtendat majorem eſſe Dei, quàm Legis Moſaicæ, benignitatem, cùm Deus in gratiam ſuam populum tam contumacem ac rebellem adhuc recipiat, Lex verò prohibeat uxorem repudiatam à viro ſuo recipi.

Objicies 3. Non aliter permittit Deus Judæis dimittere uxores ſuas Deuter. 24. quàm uſuras accipere ab alienigenis Deuter. 23. v. 19. Atqui uſuras nunquam ſic permiſit Deus ut licitæ forent, ſed toleravit dumtaxat, tanquam minùs malas comparatè ad eas quas in fratres ſuos exercere parati erant, præ ſua duritia & avaritia.

Reſp. nego maj. Nam quælibet uſuræ abſolutè & abſque ulla diſcretione fratris vel extranei damnantur in Lege veteri, Pſal. 14. v. 5. & 54. v. 12. Ezechielis 18. v. 9. Non ergo ſine culpa exercebantur à Judæis, etiam in extraneos, licèt abſque ulla punitione. At non ita eſt de repudio, quod nullibi in Lege veteri damnatur tanquam malum & illicitum.

Objicies 4. Si diſpenſante Deo libellus repudii ſolviſſet apud Judæos vinculum conjugale, nullum tunc temporis fuiſſet diſcrimen inter Matrimonium & ſolutam fornicationem: in eo enim tantùm diſtat conjugalis unio à fornicaria, quòd iſta ſolvi poſſit & debeat, cùm nulla ſit lege adſtricta; illa verò ſolvi non poſſit. At non ſtat diſcrimen illud juxta ſententiam quam hìc propugnamus.

Reſp. nego maj. Tùm quia Matrimonium ex ſe propriaque conditione firmitatem perpetuam exigit, atque per accidens eſt quòd poſſit diſſolvi: non ita fornicatio, quæ omni lege ſoluta eſt. Tùm quia Matrimonium in ſe bonum eſt ac honeſtum: non ita fornicatio, quæ ex ſe mala eſt. Tùm quia mutua eſſe debet inter conjuges fides & obligatio: non ita inter fornicarios. Tùm denique quia filii ex Matrimonio ſuſcepti legitimi ſunt; ſpurii verò qui ex fornicatione.

De firmitate vinculi conjugalis apud Chriſtianos: an ſolvatur per adulterium.

Priuſquam ad rem catholicam accedamus propiùs, hiſtoricè referemus, quis ſit implicatæ hujuſce quæſtionis ſtatus, qui Novatorum error, quæ diverſæ Catholicorum ſententiæ.

Quæſtionis ſtatus. Error Novatorum, ac Catholicorum diverſæ referuntur ſententiæ.

Quæſtionis obſcuritas & difficultas. T. 6. p. 185. E. T. 1. p. 61.

Obſervatum à nobis non ſemel fuit, obſcuriſſimam & implicatiſſimam Auguſtino viſam fuiſſe præſentis quæſtionis ſolutionem. *Quiſquis*, inquit Lib. de fide & operibus cap. 19. *etiam uxorem in adulterio deprehenſam dimiſerit, & aliam duxerit, non videtur æquandus eis, qui excepta cauſa adulterii dimittunt & ducunt: & in ipſis divinis Scripturis ita obſcurum eſt, utrum & iſte, cui quidem ſine dubio adulteram licet dimittere, adulter tamen habeatur ſi alteram duxerit, ut quantùm exiſtimo, venialiter ibi quiſque fallatur.* Et L. 2. Retractationum cap. 57. *Scripſi*, inquit, *duos Libros de adulterinis conjugiis, quantùm potui ſecundùm Scripturas, cupiens diſſolvere difficillimam quæſtionem. Quod utrum enodatiſſimè fecerim, neſcio; imò verò me non perveniſſe ad hujus rei perfectionem ſentio, quamvis multos ſinus ejus aperuerim, quod judicare poterit quiſquis intelligenter legit.* Ita timidè ac modeſtè de ſe ipſo ſentiebat S. Auguſtinus in hac præſenti enodanda quæſtione, in qua venialiter quemque falli etiam ætate ſua profitetur, quòd nempe nondum planè eliquata fuiſſet ac ſolemni Eccleſiæ totius judicio definita.

Unde orta.

Dubiam verò & ancipitem fecit apud Veteres non paucos quæſtionis hujus ſolutionem, obſcura Chriſti apud S. Matth. cap. 19. ſententia. *Quicunque*, inquit, *dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur*, quæ exceptio, *niſi ob fornicationem*, videtur innuere propter fornicationem licitum eſſe uxorem dimittere, & aliam ducere. Nodus igitur difficultatis in eo verſatur potiſſimùm, quò nempe in adducta Chriſti ſententia, exceptio hæc, *niſi ob fornicationem*, referenda ſit; an tantùm ad verbum *dimiſerit*, ita ut ſenſus ſit, eum qui uxorem dimiſerit propter aliam quàm fornicationis cauſam, mœchari, etiamſi aliam non duxerit, quia uxorem ſic dimittendo ad mœchandum inducit: an & ad verbum *duxerit*, ita ut ſenſus ſit, eum non mœchari qui propter fornicationem uxorem ſuam dimittit, & aliam ducit.

Status quæſtionis & nodus.

Tom. 7. Conc. p. 1006. B.

Talem eſſe præſentis controverſiæ ſtatum dilucidè aperiunt Patres Concilii Forojulienſis ann. 791. capitulo 10. *Quoniam*, inquiunt, *ambiguus interponi-*

ponitur ſermo, id eſt, niſi ob fornicationem; *quæri poteſt utrum ad ſolam licentiam dimittendi uxorem, an etiam ad utrumque dictum refertur, hoc eſt, ad aliam vivente illa accipiendam, quaſi dixerit: Qui dimiſerit uxorem ſuam, & aliam, niſi ob fornicationem, duxerit, mœchatur*. Hunc verò nodum ſolvunt adducta S. Hieronymi auctoritate: *Unde patenter datur intelligi*, inquiunt, *quamdiu vivit adultera, non licere viro impunè ſecundas contrahere nuptias*. A. D.

Multi nihilominus obſcura Chriſti ſententia decepti, aut in alias abiere partes, aut ſic implicitè & ambiguè ſunt loquuti, ut vix certam aliquam & fixam ex eorum verbis ſententiam elicias: atque hinc tam varii ſunt ac diſcrepantes noſtri Theologi, in exponendis eorum Veterum ea de re teſtimoniis.

Ac primò quidem ex veteribus Hæreticis Ebionæi, teſte S. Epiphanio hæreſi 30. n. 18. *non unis dumtaxat nuptiis affinitates inter ſe conjungebant, ſed ſi cui divortium facere libuerit, ac novum inire Matrimonium, ad tertias & ſeptimas uſque nuptias permittebant*. T. 1. p. 142. B. Sententia veterũ & recentiorum hæreticorum.

Marcioni pariter objicere videtur Tertullianus L. 4. adversùs ipſum c. 34. quòd Matrimonia diſſolveret. *Si omnino negas*, inquit, *permitti divortium à Chriſto; quomodo tu nuptias dirimis?* P. 450. A.

Ex Novatoribus poſteriorum temporum, Lutherus, referente Bellarmino L. de Matr. cap. 15. ſcripſit anno 1523. Librum in caput 7. prioris Epiſtolæ S. Pauli ad Corinthios, in quo docet diſſolvi poſſe Matrimonium, & novum iniri his de cauſis. 1. *Cùm falſus Chriſtianus conjugem Chriſtianam deſerit*. 2. *ſi conjux conjugem ad furtum vel aliud peccatum inducit*. 3. *ſi ob frequentes rixas moleſta eſt ac gravis cohabitatio*. 4. *ſi unus conjux diu abſit*. In Libro verò de Captivitate Babylonica cap. de Matrimonio, ſcribit, *errare Papam cùm divortium concedit extra cauſam fornicationis, quam ſolam Dominus excipit*. Et in Libro quem de cauſis matrimonialibus edidit ann. 1530. docet *pauperem qui cum divite Matrimonium inivit & conſummavit, poſſe ad aliud ſe transferre, ſi non poteſt retinere conjugem divitem, eo quòd affines vel amici ipſius impediant*. Bellar. T. 3. p. 522.

Martinus Bucerus in caput 19. S. Matth. contendit poſſe diſſolvi Matrimonium, & aliud contrahi, *quoties uxor non ſe commodam viro, aut vir non ſe commodum uxori præbet*.

Philippus Melancthon in Locis theologicis, titulo de conjugio, in duobus dumtaxat caſibus permittit aliud iniri Matrimonium, etiam priori uxore adhuc vivente. Primus, *ſi alter conjugum fornicetur*. Secundus, *ſi alterum conjugem injuſtè deſerat*, idque permittit non tantùm parti innocenti, (in ſuis Annotationibus ad caput 5. S. Matth.) ſed etiam nocenti, *Quia*, inquit, *nulli eſt imponenda pœna, quam ferre non poſſit*, pœnam intelligit cœlibatus.

Joannes Calvinus L. 4. Inſtitutionis cap. 14. paragr. ultimo, inter longam, ut ipſe ait, *errorum, mendaciorum, fraudum, nequitiarum ſeriem*, quam Romana Eccleſia attexuit Matrimonio, iſtam recenſet legem, quam *tyrannicam* appellat, quòd nempe, *viro, qui adulteram repudiaverit, alteram inducere non liceat*. P. 548.

Calvino ſubſcribit Martinus Kemnitius in 2. parte examinis Conc. Trid.

& Marcus Antonius de dominis Spalatenſis Archiepiſcopus & apoſtata L. 5. de Republica Chriſtiana cap. 11. n. 7. & ſeq. Adversùs hunc Novatorum errorem duos Canones edidit Synodus Trid. Seſſ. 24. quintum ſcilicet & ſeptimum.

Eraſmus in ſuis ad 7. caput prioris ab Corinthios Annotationibus aliiſque in locis eidem errori faviſſe viſus eſt. Has autem Annotationes primùm edidit an. 1515. biennio ſcilicet antequam Lutheri factio erumperet, *ex quo intelligimus*, ait Bellarminus loco mox citato, *non Eraſmum à Luthero, ſed Lutherum potius ab Eraſmo errorem hunc hauſiſſe*. Hæ ſunt Eraſmi propoſitiones, quas ſacra Facultas cenſoria nota confixit ann. 1526.

Cap. 15. L. de Matr. p. 22. D.

Sententia Eraſmi.

Prima, *Quæ alteri viro ſui fecit copiam, jam uxor eſſe deſiit, & Matrimonii jus ademit ſibi diviſa carne, cùm Deus unam & indiviſam eſſe voluit.*

Secunda, *Inter Evangelicos una dumtaxat cauſa dirimit conjugium, hoc eſt violata conjugis fides.*

Tertia, *Uxor quæ ſui corporis copiam fecit alteri; jam etiamſi non repudietur, deſiit eſſe uxor; & maritus qui ſui corporis copiam fecit alienæ, jam ante divortium maritus eſſe deſiit.*

Quarta, *Quemadmodum ignis niſi caleat, ita conjugium non eſt conjugium, niſi ex duobus fiat unus: ex tribus aut quatuor una caro fieri non poteſt.*

Cenſura ſacræ Facultatis.

Hæ propoſitiones, ait Cenſura ſacræ Facultatis, *quatenus per eas prætendi videtur Matrimonium per adulterium diſſolvi quantùm ad vinculum, hæreticæ ſunt: eſt enim vinculum Matrimonii jure divino indiſſolubile, ut ad Corinthios ſcribens Apoſtolus demonſtrat, cùm inquit: His qui Matrimonio juncti ſunt præcipio, non ego, ſed Dominus, uxorem à viro non diſcedere: quòd ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari. Et rurſum: Mulier alligata eſt legi quanto tempore vir ejus vivit. Et eadem omnino eſt ratio de viro, ſicut de muliere, quia ejuſdem B. Pauli ſententia, Sicut mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir; ita vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier. Tanta præterea eſt indiſſolubilitas Matrimonii, ut nec per hæreſim (quæ fornicatio eſt ſpiritualis) diſſolvatur.* Hactenus Cenſura Pariſienſis.

Reſpóſio ſeu Apologia Eraſmi.

Adversùs Cenſuram hanc purgare ſe tentavit Eraſmus edita Apologia, in qua non audet quidem impugnare doctrinam ſacræ Facultatis, quæ tota eſt Apoſtoli, ſed contendit immeritò contrariam inferri ex propoſitionibus adductis, ſibique falsò imputari, cùm dictæ propoſitiones intelligi poſſint & debeant de ſeparatione non quoad vinculum, ut placet Cenſoribus Pariſienſibus, ſed quoad thorum & cohabitationem. Audiatur Eraſmus in citata Apologia. *Rectè additum eſt*, inquit, *in Cenſura, prætendi videtur. Nam revera nihil minùs cogitabam illa ſcribens, quàm quod interpretantur. Sentio eam deſiiſſe uxorem, quæ ſe præſtitit indignam uxoris nomine & conjugii commodis; ſicut filius abdicatus negatur eſſe filius, quòd amiſerit jus filii; & hominem exuiſſe dicimus eum, qui vehementer eſt inhumanus: id autem me ſentire declarant verba quæ ſubjicio, Et Matrimonii jus ademit ſibi. Jus autem conjugii eſt individuæ vitæ ſocietas, tectum, menſa, & lectus communis, rei familiaris in partem adminiſtratio, fortunarum omnium conſortium &c. Hæc quæ perdidit ſua culpa, quæſo, quid habet uxoris? Quòd ſi verba tantùm offendunt, non abhorruerunt à talibus ſacri Doctores, quorum Chryſoſtomus in prioris ad Corinthios Epiſtolæ caput 7. ita loquitur. Rurſus illic quidem poſt fornicationem*

Tom. 6. Oper Eraſmi p. 679.

vir

vir non eſt vir: hic verò, etiamſi cultrix idolorum fuerit mulier, tamen non perdit jus viri &c. Ecce virum vocat & non virum qui excidit à fructu conjugii. Quamquàm autem non poſſum explicare nodum, quomodo Chriſtus loquens Judæis ſentiat de divortio, quod manente conjugii vinculo, tantùm ſeparat ab uſu Matrimonii, cùm illi non aliud noſſent repudium, quàm unde ſit jus cum alia contrahendi; tamen ita tempero ſermonem, ut quod dico dirimi Matrimonium ac fieri divortium, de ſeparatione thori poſſit intelligi, nec ullum admiſceo verbum, quo jus faciam iterandi conjugii. Sic Eraſmus ſeipſum ab errore purgare, & Cenſuræ Pariſienſis notam à doctrina ſua amoliri conatur, bonum in ſenſum inflexis propoſitionibus quibus non immeritò offenſi fuerant Theologi Pariſienſes. Sed quidquid ſit de mente ipſius, eo magis obſervatione hìc digna videtur ejus expoſitio, quo accommodari facilè poterit multis non abſimilibus Veterum teſtimoniis pariter explicandis.

Quæ verò fuerit plurimorum ex Veteribus, tùm Græcis, tùm Latinis, mens atque ſententia circa ſolubilitatem vinculi conjugalis ex cauſa adulterii, non facile eſt definire, adeo res hæc apud illos implicata, & dubia & anceps multis videtur.

Launojus in Tractatu quem ſcripſit de Regia in Matrimonium poteſtate, à pagina 452. uſque ad pag. 523. longum & tædioſum texit catalogum à Chriſto ad Concilium uſque Tridentinum, Scriptorum tùm Græcæ tùm Latinæ Eccleſiæ, qui perpetua & non interrupta Traditione docuerunt, ut ipſi videtur, virtute verborum Chriſti apud S. Matth. cap. 19. propter adulterium alterius conjugum diſſolvi poſſe vinculum conjugale, & fieri poteſtatem ad alias nuptias. Quòd ſi Traditionem hanc concitato paſſu percurrenti Launojo quiſquam occurrat Scriptor qui aliud ſentire audeat, eum, tanquam peregrinum in doctrina Chriſti ac veræ Traditionis ignarum, urbanè & comiter, ut aſſolet, excipit. Ita p. 464. Innocentium I. p. 483. Eugenium IV. & p. 508. Cenſuram ſacræ Facultatis adversùs Eraſmum exagitat, *quæ*, inquit, *modum excedit, ac propter tenuitatem ſuam, notæ cenſoriæ, & cenſorum nomini nec reſpondet, nec reſpondere poteſt*. Quid ad hæc officioſa & urbana verba reſponderit ſacra Facultas, nos latet. *Launoji judiciũ de ſententia Veterũ.*

Nobis animus non eſt ſingula, quæ à Launojo referuntur, expendere hìc ac vindicare Veterum teſtimonia, quorum quæ clara ſunt aut decretoria pro veritate catholica, aut ſupprimit, aut turpiter adulterat, ut patet imprimis ex pag. 488. ubi fide certè obliqua refert teſtimonium Joannis VIII. S. Pontificis ex Epiſtola ipſius 65. alia verò in ſenſum planè alienum detorquet, contra manifeſtam Auctorum mentem, ita certè ut ſi propiùs inſpiciatur hæc Launojana Traditio, tota in fumos evaneſcat: quæ verò difficultatis aliquid habent, in reſponſione ad objectiones inferiùs à nobis exponentur.

Verùm unum hìc prætermittere non poſſumus, quod Orthodoxos omnes Theologos afficere maximè debet, & adversùs liberam ac intemperantem Launoji ſcribendi rationem commovere. Scilicet fingit ille, tùm Chriſti verbis, tùm conſtanti ac perpetua Eccleſiæ Traditione à Chriſto ad Concilium uſque Tridentinum, licitum eſſe adulterii cauſa uxorem dimittere & aliam ducere: attamen Concilium Tridentinum aliter ſtatuiſſe non diſſimulat Launojus. Unum ergo ex duobus ſequitur in mente Launoji, aut Con-

Digitized by Google

cilium Tridentinum ignoraſſe veram interpretationem verborum Chriſti ac veram Eccleſiæ Traditionem; aut ab ea receſſiſſe novumque confinxiſſe dogma, quod certè quàm injurioſum ſit & contrarium infallibili auctoritati quam omnes Orthodoxi agnoſcunt in Conciliis Oecumenicis Eccleſiam univerſam repræſentantibus, nemo non intelligit; aut ſaltem Concilium Tridentinum verè œcumenicum & infallibile non fuiſſe, quod alterum temerarium & à communi omnium Catholicorum ſenſu non minùs eſt alienum.

At paratum habet Launojus effugium: quaſi enim præſenſiſſet concitandos in ſe Orthodoxorum omnium animos, quòd Synodum Tridentinam in dogmate definiendo pugnantem ac contrariam cum Traditione induceret, dixit & quæſtionem de ſolubilitate vinculi conjugalis adulterii cauſa, & Canonem ea de re Tridentinum, non dogma ſeu doctrinam, ſed meram ſpectare diſciplinam, quam potuit Synodus pro jure ſuo immutare, abſque præjudicio contrariæ ad hoc uſque tempus & Traditionis & praxis. *An autem*, inquit p. 520. *Canonis iſtius argumentum diſciplinæ ſit vel doctrinæ, haud difficilè conſtabit ei, qui derivatæ ab initio Eccleſiæ circa Matrimonii diſſolutionem Traditionis monumenta primùm revolvet, deinde revoluta monumenta illis aptabit regulis, quas Tridentinum Concilium ad ſanciendum dogma vel diſciplinam Seſſ. 4. 5. 7. 14. cap. 1. & 5. Seſſ. 21. cap. 4. Seſſ. 23. cap. 1. Seſſ. 24. in doctrina de ſacramento Matrimonii præſcripſit.*

Launoji effugium.

Verùm ſi vel minimùm ad verba Canonis ſeptimi attendiſſet Launojus, tale non excogitaſſet figmentum. *Si quis dixerit*, ait Canon, *Eccleſiam errare cùm docuit & docet, juxta evangelicam & apoſtolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum Matrimonii vinculum non poſſe diſſolvi; anathema ſit*. Hæcne, quæſo, verba diſciplinam exprimunt, an dogma? Quod Eccleſia docet *juxta evangelicam & apoſtolicam doctrinam*, nonne dogma, ſeu doctrinam ſpectat? Sed de hoc Launojano figmento plura inferiùs, cùm dogma catholicum demonſtrabimus: unum obiter obſerva, Launojum non ſatis ſe reverentem erga Patres Tridentinos demonſtrare, cùm eos nobis veluti dubios & incertos repræſentat, tùm circa doctrinam, tùm circa praxim indiſſolubilitatis Matrimonii ex cauſa adulterii. Poſtquam enim narravit ex Palavicino, qua ratione ad poſtulationem Oratorum Reipublicæ Venetæ temperatus & immutatus ſit Canon, ſic pergit pag. 517. *Venetorum Oratores magna quidem ſuis ad Tridentinos Patres admonitionibus conſecuti ſunt; majora conſecuturi ſine dubio, ſi Orientalis Eccleſiæ opportunitatibus Romanæ & Occidentalis Eccleſiæ opportunitates admiſcuiſſent.* Et quid tandem, Launoje, conſequi potuiſſent? Ut permitterent diſſolvi apud nos Matrimonia propter adulterium? At erras haud dubiè, & abjectè omnino ac temerariè de Patribus Tridentinis auguraris: nuſquam illi certè permiſiſſent, quod declarant adverſari *evangelicæ & apoſtolicæ doctrinæ*. Sed de Launojo ſatis. Quale verò ferendum ſit judicium de ſententia Veterum, tùm Græcorum, tùm Latinorum, circa præſentem noſtram controverſiam, jam exponendum.

T. 14. Conc. p. 875.

Sententia & praxis Eccleſiæ Græcæ.

Græcos in ea jam diu verſari ſententia & praxi ut diſſolvant vinculum conjugale propter adulterium, res eſt apud omnes certa, de qua Goarius in No-

Digitized by Google

in Notis ad Euchologium Græcorum pag. 384. Jam anno 1439. tempore nimirum Florentinæ Synodi, in ea ſententia illos fuiſſe colligimus ea Seſſione 25. dictæ Synodi, ubi poſt editam fidei definitionem, inter quæſtiones undecim quas Latini Græcis propoſuerunt, hæc decima legitur, *Quare conjugia dirimitis, dicente Domino, Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet?* Quæſtiones autem illas Mitylinenſis Antiſtes canonicè legitimèque diſſolvit, præterquam duo, cur ſcilicet Matrimonia dirimantur, & Patriarcha non eligatur. T. 13. Conc. p. 523. E.

Si verò primam hujuſce praxis ac doctrinæ Græcorum quæras originem, non ita facile erit eam aſſignare. Græci recentiores perpetuam vel ab initio & conſtantem apud ſe fuiſſe gloriantur: econtra Arcudius de Matrimonio cap. 13. & 14. adductis in medium veterum SS. Patrum Eccleſiæ Græcæ teſtimoniis, contendit recentiores à doctrina majorum ſuorum receſſiſſe; & capitibus 21. 22. 23. 24. & 25. ſolvit quæ ex SS. Baſilio, Gregorio Nazianzeno, Chryſoſtomo & Epiphanio ſolent objici. In hac ſentiendi varietate hæc videntur nobis certiùs & tutiùs poſſe affirmari.

I. incertum omnino eſſe quo primùm tempore apud Græcos pervaſerit & invaluerit praxis diſſolvendi Matrimonia propter adulterium. Origenes quidem Commentario in Evangelium S. Matth. editionis Huetianæ p. 363. & 364. narrat ſua ætate quoſdam Antiſtites permiſiſſe mulieri vivente viro alteri nubere: at neque cauſam aſſignat hujus licentiæ, & præterea diſertè obſervat *contra Scripturæ legem* hoc factitatum fuiſſe: unde datur intelligi, non tunc planè approbatam & confirmatam fuiſſe hanc ſententiam.

II. lege civili per Juſtinianum Imperatorem lata ſexto ſæculo, certis de cauſis licitum fuiſſe repudiata uxore aliam ducere, omnes fatentur: imò vel ipſa S. Chryſoſtomi ætate, hoc eſt quarto ſæculo, talem extitiſſe legem teſtatur ipſe Homil. in illud Apoſt. 1. Cor. 7. *Mulier alligata eſt legi &c.* Verùm repugnaſſe eccleſiaſticam legem apertè ibidem profitetur; oſtendens quippe ſola morte diſſolvi poſſe conjugium, ſic loquitur: *Sanè ſcimus, quòd multis novum & inexpectatum videbitur quod dicimus . . . .* Et poſtea: *Ne mihi leges ab exteris conditas legas, præcipientes dari libellum repudii, & divelli. Neque enim juxta illas judicaturus eſt te Deus in die illa, ſed ſecundùm eas quas ipſe ſtatuit.* Itaque ætate Chryſoſtomi Græca Eccleſia non approbabat legem repudii ab Imperatoribus latam. Eodem ſæculo adversùs eamdem legem pariter invehitur S. Greg. Nazianzenus, ſicut & in Eccleſia Latina antea citati SS. Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, Gregorius Magnus &c. Suſpicari non immeritò poſſumus, ex iſtis civilibus legibus multùm roboris accepiſſe corruptam Græcorum praxim, atque ſenſim ſine ſenſu Epiſcopos, ne luctari cum Principibus viderentur eorumque leges improbare, ſuo ſilentio abuſum toleraſſe, qui lapſu temporis tam altas egit radices, ùt evelli illum aliquando poſſe, vix ſperare audeamus. Edit. recent. T. 3. p. 203. B.

III. nec Nicolaus I. in diſſidio quod habuit cum Photio, nec Innocentius III. in Conc. Lateranenſi, nec Gregorius X. in Lugdunenſi, Græcis objeciſſe leguntur quòd adulterii cauſa Matrimonia ſolverent; ſive quòd reipſa tunc ea praxis apud ipſos non vigeret; ſive quòd ex œconomia quadam & diſpenſatione propter leges imperatorias, diſſimulare iſtud voluerint dicti SS. Pontifices.

IV. an-

IV. anno 1267. Clemens IV. in ea fidei expoſitione quam pro Græcis miſit ad Michaelem Palæologum Imperatorem, non aliam affert ſoluti conjugii cauſam, quàm mortem: apud Raynaldum Tom. 14. ad annum Chriſti 1267. num. 7. & ſeq. Non aliam pariter propoſuit ann. 1274. in Conc. Lugdunenſi Gregorius X.

V. denique, ſtante Concilio Tridentino, Græcos qui ſub ditione Reipublicæ Venetæ degebant, in ſententia & praxi contraria fuiſſe; & in eorum gratiam ad poſtulationem Oratorum dictæ Reipublicæ Canonem Tridentinum, qui primò conditus fuerat cum anathemate adversùs eos qui dicerent diſſolvi Matrimonium adulterii cauſa, temperatum & immutatum fuiſſe narrat Palavicinus L. 22. Hiſt. Conc. Trid. cap. 4. n. 27. de qua mutatione dicemus inferiùs.

Ex his inferes 1. veteres omnes Græcos recentioribus dimittendos non eſſe, ut placet nonnullis ex noſtris, qui exiſtimant diverſam eſſe utriuſque Eccleſiæ Traditionem circa rem præſentem, atque aliter Græcos, & aliter Latinos verba Chriſti apud S. Matth. c. 19. interpretatos fuiſſe; Græcos de dimiſſione quoad vinculum, Latinos verò de ſola dimiſſione quoad thorum & cohabitationem. Si ita eſt, pugnat ergo ſecum apoſtolica Traditio, & aliud ad Latinos, aliud ad Græcos dogma tranſmiſit, quod certè fingere perabſurdum eſt, una quippe ac ſimplex eſt veritas.

Inferes 2. ſi qui ex veteribus Græcis obſcuriùs in re noſtra locuti ſunt, ut certè locutos illos fuiſſe quilibet æquus æſtimator agnoſcet, eos vel benignè, ſi fieri poteſt, explicandos, ut fecit Arcudius; aut ſaltem dicendum, in re obſcura & nondum definita eos dubios & ancipites eſſe, ex quorum proinde verbis nullam certam ac determinatam elicias ſententiam contra catholicam doctrinam.

Inferes 3. utrumque extremum hìc declinandum: alterum Launoji, qui omnes veteres Græcos diſſolutioni Matrimonii, adulterii cauſa, faviſſe contendit; alterum Arcudii, qui ne unum quidem qui ſit alicujus nominis, ſine aliqua benigna interpretatione, dimitti permittit. Laudamus quidem conatum, ſed vanum æſtimamus: neque verò quidquam cauſæ catholicæ deperit, ſi fateamur in re obſcura & nondum clarè definita aliquos etiam ſanctitate conſpicuos, in errorem lapſos eſſe, quod certè in aliis doctrinæ catholicæ capitibus, v.g. Baptiſmo Hæreticorum, beatitudine non protrahenda ad diem ultimi Judicii, & aliis hujuſmodi, viris alioqui ſummis contigiſſe omnes conſentiunt. Errare quippe humanum eſt: at nuſquam errat Eccleſia univerſa, cujus fides non ex privatorum dictis, ſed ex communi Fidelium ac Epiſcoporum ſenſu debet æſtimari. Atque hæc de ſententia Græcorum hiſtoricè exponenda erant: nunc de ſententia Eccleſiæ Latinæ.

Sententia Latinorum. Quamquam in confeſſo ſit apud omnes, Latinam Eccleſiam firmiùs & conſtantiùs vel ab initio in ea fuiſſe ſententia, non diſſolvi per adulterium vinculum conjugale; non omnibus tamen veteribus Latinis eundem fuiſſe ſenſum judicant ex noſtris viri eruditi, quibus videtur dogma iſtud prioribus ſæculis non ſatis certum, diſtinctum, ac evolutum fuiſſe: varii varia eam in rem proferunt teſtimonia. Ac primò quidem in Africa Pollentius, quem S. Auguſtinus L. 2. de adulterinis conjugiis cap. 1. *fratrem religioſum vocat*, dubius & anceps ea de re S. Auguſtinum conſuluit: S. verò ille Doctor,

poſt

poſt accuratam meditationem ac diſquiſitionem, candidè declaravit ſibi obſcuriſſimam & implicatiſſimam videri quæſtionem hanc, cujus omnes ſinus nondum perſpexit, & in qua quiſque venialiter falli poteſt. Ita paſſim L. 1. de adulterinis conjugiis c. 25. Lib. de fide & operibus c. 19. & L. 2. Retractationum c. 57. Verba ſuperiùs laudavimus.

Sixto Senenſi L. 6. Bibliothecæ, Annotatione 81. adeò explicatu difficiles viſi ſunt nonnulli Canones antiqui, ut aſſeruerit Patres & Concilia ad tempus, ne graviora damna ſequerentur, permiſiſſe repudia atque ſecunda conjugia.

Couvaruvias 2. parte de Matrimonio paragr. 6. num. 13. hanc pariter mentem Concilio Eliberitano affingit.

Maldonatus Commentario in caput 19. S. Matth. in rem eandem citat Tertullianum Lib. 4. contra Marcion. Conc. Eliberitanum, Conc. Aurelianenſe I.

Sirmondus in notis ad Epiſtolam 49. Alcimi Aviti Viennenſis ait, *tùm ex Avito, tùm ex Concilio Venetico quod habitum eſt ann. 465. patere perſuaſum adhuc illis temporibus in Gallia fuiſſe, propter fornicationem ſeparari virum ab uxore, & aliam ducere, Chriſti permiſſu licuiſſe.* *Bibliot. PP. T. 9. p. 634. G.*

Petavius in notis ad hæreſim 59. S. Epiphanii, *Inter Veterum*, inquit, *teſtimonia, quibus poſt legitimum divortium permiſſa innocentibus conjugibus Matrimonia videntur, referri poteſt Arelatenſe primum Conc. ann. 414. Can.* 10. *qui hic*, pergit auctor, *obiter eſt emendandus*: adjecta ſcilicet particula *non*, qua innuitur non prohibitos fuiſſe nubere eos qui conjuges ſuas in adulterio deprehenderunt. Sed de hoc Canone infrà in reſponſione ad Objectiones. *P. 255.*

Cottelerius Sorbonicæ Societatis Theologus, in notis ad Librum 2. Hermæ ad Mandatum 4. n. 1. poſtquam dixit B. Auguſtinum in duplici Libro de adulterinis conjugiis rem noſtram ex profeſſo ita egiſſe, ut ad idem ſentiendum omnes propemodum Latinos antiquos & recentiores adduxerit, ſubinde tamen multos ipſe appellat, quos arbitratur in aliena fuiſſe ſententia, nempe Lactantium, Patres Concilii Venetici, Synodum S. Patricii, Conc. Bituricenſe, Synodum Romanam ſub Leone IV. Theodorum Cantuarienſem, Concilium Vermerienſe Can. 5. & 9. & Compendienſe Can. 16.

Launojus denique, de quo antea, longam ſeriem Scriptorum Eccleſiæ utriuſque enumerat à Chriſto ad Conc. uſque Tridentinum, quos putat faviſſe ſolubilitati Matrimonii.

Hæc autem hiſtoricè hic referimus, ut pateat, quale ſit nonnullorum ex noſtris de ſententia Veterum circa indiſſolubilitatem Matrimonii, judicium; abſit enim ut eos omnes dimittamus, quos illi appellant.

Quos hactenus laudavimus Scriptores, non tam ſuam, quàm Veterum exponunt doctrinam atque ſententiam: verùm tres ſunt inter Catholicos qui privatam ſuam opinionem pauló liberiùs, ne quid amplius dicam, aperiunt, Cajetanus ſcilicet, Catharinus, & Launojus ipſe Antiquorum interpres.

Cajetanus Commentario in caput 19. S. Matth. totus in eam propendet ſententiam, poſſe diſſolvi Matrimonium propter adulterium, quamquam timidè eam proponat. *Quoniam*, inquit, *non audeo opponere me contra torrentem Doctorum & judiciorum eccleſiaſticorum, ideo dixi textum* (S. Matth. c. 19.)

cap. 19.) *nihil diſponere de dimittente fornicariam. Intelligo igitur ex hac Domini J.C. lege licitum eſſe Chriſtiano dimittere uxorem ob fornicationem carnalem ipſius uxoris, & poſſe ducere aliam uxorem, ſalva ſemper Eccleſiæ definitione, quæ hactenus non apparet.* Ita Cajetanus, è cujus haud dubiè memoria exciderat, quod anno 1439. dictum fuerat in Conc. Florentino, & definitum in Decreto Eugenii S.P. Obiit autem Cajetanus anno dumtaxat 1534.

Ambroſius Catharinus in Opuſculo de Matrimonio q. ultima, & Lib. 5. Annotationum contra Cajetanum in fine, quæſtionem de diſſolubilitate Matrimonii propter adulterium in utramque partem agitat primùm, tùm concludit, *nec ex Evangelio, nec ex Apoſtolo poſſe colligi non licere in cauſa fornicationis aliud inire Matrimonium:* quod tamen cùm variis Canonibus Eccleſiæ ſit prohibitum, fieri non debet niſi accedente judicio & authoritate Eccleſiæ. Id autem ſoli viro, non uxori licitum eſſe contendit Catharinus; ita ut ſolvatur vinculum ex parte viri, propter adulterium uxoris, non ſolvatur verò ex parte uxoris, quæ ſine ſpe ſecundi conjugii debet remanere. Concilio Tridentino interfuit quidem Catharinus, ſed ad Seſſionem uſque 24. in qua definita fuit indiſſolubilitas Matrimonii, non ſupervixit.

Quia verò & Cajetanus, & Catharinus intelligebant variis SS. Pontificum Decretis nova virorum conjugia ob adulterium uxorum prohiberi, idcirco ajunt *Decretales pontificias hac in materia non eſſe definitivas fidei, ſed judiciales facti: profiteri autem ipſos SS. Pontifices Romanos, à ſuis prædeceſſoribus aliquando in his de Matrimonio judiciis erratum fuiſſe.* Inde eſt quòd uterque ille Scriptor opinionem ſuam ſubjiciat Eccleſiæ judicio.

Launojus denique noſtris temporibus, poſt tam apertam Concilii Trid. definitionem, adhuc refragari videtur: eò plenis velis tendit prætenſa, quam ipſe texuit, Traditio. Si ipſi fides, verborum Chriſti apud S.Matth. cap. 19. *facilis eſt ac expeditus ſenſus; atque non tantùm dimittendi uxorem fornicationis cauſa, ſed etiam aliam ducendi poteſtatem facit.* Et pag.
P. 452. 328. innuit non obſcurè, ſolutionem Matrimonii *ex bona gratia*, id eſt mutuo conjugum aſſenſu, omnium primùm prohibuiſſe Imperatorem Juſtinianum: *Non memini*, Inquit, *legere me verum extitiſſe Concilium ullumve Pontificem, qui ante Juſtiniani tempus ſolutum bona gratia Matrimonium Canone vel Decreto confixerit.* Sic ille inſinuat fuiſſe olim apud Chriſtianos in uſu Matrimonii diſſolutionem *bona gratia*. Paſſim in ſuo Tractatu aſſerit ſe legiſſe, ſæpius permiſſum ab Imperatoribus chriſtianis repudium; at non legiſſe improbatam ac damnatam fuiſſe à SS.Pontificibus & Epiſcopis legem illam. Quantùm ille aberret conſtabit ex probationibus quas mox ſubjiciemus.

Pro-

Probatur catholicum dogma inſolubilitatis Matrimonii, etiam adulterii cauſa.

CONCLUSIO.

Vinculum Matrimonii diſſolvi non poteſt propter adulterium alterius conjugum.

PRIMUM ARGUMENTUM.

Ex Scripturis.

Marci 10. v. 11. *Quicunque dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit; adulterium committit ſuper eam. Et ſi uxor dimiſerit virum ſuum, & alii nupſerit, mechatur.*

Lucæ 16. v. 18. *Omnis qui dimittit uxorem ſuam, & alteram ducit, mœchatur: & qui dimiſſam à viro ducit, mœchatur.* Univerſalis eſt Chriſti propoſitio, *Omnis. Quicunque*, nullam cauſam excipit. *Qui ergo ſumus nos*, exclamat S. Auguſtinus ea teſtimonia ponderans L. 1. de adulterinis conjugiis c. 9. *ut dicamus, Eſt qui mechatur, uxore ſua dimiſſa alteram ducens; & eſt qui hoc faciens non mœchatur? cùm Evangelium dicat omnem mœchari qui hoc facit.*

Revera Matth. 5. v. 32. & 19. v. 9. excipitur cauſa fornicationis. *Omnis qui dimiſerit uxorem ſuam*, inquit Chriſtus priori loco, *excepta fornicationis cauſa, facit eam mœchari; & qui dimiſſam duxerit, adulterat.* Verùm cùm alii duo mox citati Evangeliſtæ illius exceptionis mentionem non faciant, neceſſe eſt S. Matthæum per illos duos exponere; atque exceptionem fornicationis intelligere, non de libertate ducendi aliam uxorem, ſed tantùm dimittendi adulteram, quam, non ex quacunque levi cauſa, ut ſolebant Judæi, ſed ex gravi dumtaxat, qualis eſt v.g. fornicatio, dimitti debere Chriſtus permittit.

Et certè, ut obſervat hìc appoſitè Bellarminus cap. 16. L. de Matrimonio, hæc Chriſti ſententia cap. 5. S. Matth. citato, *Qui dimiſſam duxerit, adulterat*, univerſaliter accipienda eſt, vel cum exceptione. Si universè, ergo qui dimiſſam, etiam ob fornicationem, duxerit, mechatur; ergo non fuerat dimiſſa quoad vinculum, ſed tantùm quoad thorum: non enim mecharetur qui illam duceret, niſi adhuc eſſet priori viro alligata. Si verò cum exceptione; ergo qui fornicariam à viro dimiſſam duxerit, non mechatur; ergo melior eſt conditio fornicariæ, quàm innocentis & caſtæ: ſiquidem fornicaria juſtè dimiſſa libera eſt, & alteri nubere poteſt, innocens verò injuſtè dimiſſa, nec priorem virum habere poteſt, nec alteri nubere. Atqui abſurdum iſtud eſſet, ut lex Chriſti æquiſſima dimiſſam juſtè meliori loco eſſe velit, quàm dimiſſam injuſtè. Ita Bellarminus loco citato, & Eſtius in 4. diſt. 35. parag. 10.

Pari ratione exponi debet ſimilis Chriſti ſententia cap. 19. S. Matth. v. 9. *Quicunque*, inquit, *dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur:* Exceptio quippe iſta, *niſi ob fornicationem*, referenda non eſt ad verbum *aliam duxerit*; quaſi poſita fornicatione uxoris viro

Bellar. T. 3. p. 532. Eſtius p. 426.

viro permittat Chriſtus aliam ducere, ſed ad verbum *dimiſerit:* quia, ut diximus, non ex quacunque, ſed ex gravi dumtaxat cauſa, v.g. fornicationis, permittit Chriſtus ut dimittatur uxor, etiam quoad thorum & cohabitationem.

Sic intelligenda eſſe verba Chriſti apud S.Matth. præter alios duos Evangeliſtas Marcum & Lucam, facit & auctoritas S.Pauli, qui nulla pariter adjecta reſtrictione, ſed ſimpliciter & abſolutè pronuntiat ſola morte ſolvi conjugale vinculum, nec debere uxorem à viro recedere, quamdiu ille vivit. 1.Corin.7. v.10. *Iis*, inquit, *qui Matrimonio juncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus, uxorem à viro non diſcedere: quòd ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari.* Et v. 39. *Mulier alligata eſt legi, quanto tempore vir ejus vivit.* Et Rom. 7. v. 3. *Igitur vivente viro vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro: ſi autem mortuus fuerit vir ejus, liberata eſt à lege viri, ut non ſit adultera ſi fuerit cum alio viro. Hæc verba Apoſtoli*, ait S. Auguſtinus L.2.de adulterinis conjugiis c.5.*toties repetita, toties inculcata, vera ſunt, viva ſunt, ſana ſunt, plana ſunt. Nullius viri poſterioris mulier uxor eſſe incipit, niſi prioris eſſe deſierit. Eſſe autem deſinet uxor prioris, ſi moriatur vir ejus, non ſi fornicetur. Licitè itaque dimittitur conjux ob cauſam fornicationis . . . nec carebit illo vinculo, etiamſi nunquam reconcilietur viro; carebit autem, ſi mortuus fuerit vir ejus.* Nihil potuit diſertius proferre S. Doctor, ut diſtingueret inter ſeparationem ratione cohabitationis, & ratione vinculi; ac oſtenderet licere quidem viro ſeparari ab uxore adultera quoad thorum & cohabitationem, remanente tamen priori vinculo quamdiu illa in vivis ſuperſtes eſt.

T. 6. p. 406. C. D.

Obſervat hìc Eſtius, juxta Scripturæ teſtimonia mox relata, eandem & parem eſſe utriuſque conjugis conditionem, ut nempe neque viro dimittenti uxorem, neque uxori à viro recedenti, neque nocenti, neque innocenti, liceat ad alia vota tranſire altero vivente conjuge; vinculum enim æqualiter utrimque obſtringit, vel ſolvitur.

SECUNDUM ARGUMENTUM.

Ex Traditione Eccleſiæ utriuſque, tùm Græcæ, tùm Latinæ.

Non deſunt in Eccleſia Græca, quamquam (fatendum) non ita multi ac in Latina, teſtes catholicæ & avitæ doctrinæ circa indiſſolubile vinculum Matrimonii. Hos referemus, non omiſſuri alios qui veritatem aliquando introſpexiſſe, aliquando retractaſſe, aut ſaltem in dubium revocaſſe videntur, adeò obſcurè & ambiguè loquuntur. Itaque

Edit. Cotel. p.46.n. 1.

Antiquiſſimus Hermas Libro 2. Paſtoris, Mandato 4. cui titulus eſt, *De dimittenda adultera*, ſic Dominum interrogat: *Si permanſerit in vitio mulier? Et dixit: Dimittat illam vir, & vir per ſe maneat. Quòd ſi dimiſerit mulierem ſuam, & aliam duxerit, & ipſe mœchatur.* Et poſtea: *Propter pœnitentiam ergo non debet, dimiſſa conjuge ſua, vir aliam ducere. Hic actus ſimilis eſt in viro, & in muliere.*

S. Juſtinus Martyr Apologia 2. pro Chriſtianis (p.62.) inter doctrinæ capita quæ Chriſtus circa caſtitatem dedit, iſtud recenſet, *Qui repudiatam*

diatam à viro altero duxeris, adulterium committit. Nullam excipit cauſam S. Martyr, nequidem adulterium alterius conjugis. Et Apologia 1. initio, narrans hiſtoriam cujuſdam mulieris chriſtianæ, quæ à viro ſuo propter perditam ipſius vitam diſceſſit, non obſcurè ſignificat ſeparationem hanc thori dumtaxat fuiſſe & cohabitationis, non vinculi. *Femina*, inquit, *verita ne ſi de cætero eodem cum illo lecto, eademque uteretur menſa, impietatis quoque ejus fieret particeps, miſſo illi, qui apud vos* (Gentiles alloquitur) *dicitur repudii libello, ab eo ſejuncta eſt*: quoad thorum nempe & menſam, ut ipſe exponit. Non aliud igitur continebat ille repudii libellus apud Chriſtianos; ac inſipidè omnino Launojus fingit hìc pag. 453. tali libello licitam fuiſſe conjugalis vinculi ſolutionem: *aliàs*, inquit, *S. Juſtinus libellum hunc ab illa muliere datum reprehendiſſet, ſi quid vel Chriſti Evangelio, vel derivatæ ab initio Chriſtianorum diſciplinæ contrarium importaſſet*: quem tamen non reprehendit. At priùs Launojo probandum erat, in mente S. Doctoris per talem libellum factam fuiſſe poteſtatem, ſoluto priori vinculo, contrahendi cum altero, quod certè non probavit Launojus, nec probare potuiſſet, cùm ipſemet S. Juſtinus non aliam commemoret ſeparationem tali libello contentam, quàm à lecto & menſa. Unde mirari non debet Launojus, quòd talem libellum non improbaverit ſanctus Doctor: licitus quippe erat, in iis præſertim circumſtantiis in quibus erat conſtituta dicta mulier, quam vir ad nefandas quaſque voluptates ſollicitabat. P.42.B.

Athenagoras alter Religionis noſtræ Apologiſta, hæc de moribus & inſtitutis Chriſtianorum dicebat apud Imperatores: *Ut natus eſt unuſquiſque noſtrum manet, vel nuptiis copulatur unicis; ſecundæ enim, decorum quoddam adulterium ſunt. Qui enim uxorem ſuam dimiſerit, & duxerit aliam, adulteratur, inquit Dominus noſter: neque illam dimittere concedens, cujus delibata eſt pudicitia, neque alteram ducere*. Non excipit Athenagoras cauſam fornicationis, ſed abſolutè & indefinitè loquitur. Et certè quomodo permiſiſſet ille viro, dimiſſa uxore, quamquam adultera, ducere aliam, qui etiam ea mortua vix ſecundas approbat nuptias? Hæc profectò malè ſecum cohærerent; unde ad rem ſuam cautè & prudenter Launojus in ſerie ſuæ prætenſæ Traditionis omiſit Athenagoram. Athenagoras. P.37.B.

S. Clemens Alexandrinus (florebat ann. 220.) in fine L. 2. Stromatum ſic loquitur: *Quod autem conſulit Scriptura uxorem ducere, nec à conjugio unquam permittit diſcedere, legem apertè conſtituit, Non dimittes uxorem, præterquam propter fornicationem. Adulterium autem exiſtimat conjungi matrimonio, vivo altero ex ſeparatis*. At hæc *poſtrema pars*, ait Launojus pag. 454. *debet intelligi cum exceptione memorata; nempe, niſi ob fornicationem: aliàs*, inquit, *poſterior pars periodi primæ cum periodo prima non benè conveniret; poneretur exceptio, & ſtatim auferretur*. Verùm ſi quæ ſequuntur legiſſet Launojus, intellexiſſet facilè abſolutam eſſe poſtremam periodi partem; atque in mente S. Clementis, in muliere à viro dimiſſa propter adulterium, ſupereſſe firmum vinculum conjugale, ſola dumtaxat facta ſeparatione thori & cohabitationis. Audiatur ſanctus Doctor. *Qui autem dimiſſam accipit uxorem, mœchatur eam; hoc eſt cogit eam mœchari. Non ſolùm autem qui dimiſit eſt ejus cauſa, ſed etiam qui eam ſuſcepit, præbens mulieri peccandi occaſionem: ſi enim non ſuſcipiat eam, revertetur ad virum*. At, S. Clemēs Alexandrinus. P. 310. A.B.

quæſo,

quæſo, quo jure redire illa poſſet ad virum ſuum, ſi omnino ſolutum ſupponatur per adulterium prius conjugium? Igitur S. Clemens non exiſtimat diſſolvi tale conjugium, ſed potius firmum ſtare.

Origenes. Origenes Clementis diſcipulus (obiit an. 254.) Commentario in Matth. editionis Huetianæ pag. 363. *Contra Scripturæ legem*, inquit, *mulieri vivente viro nubere quidam Eccleſiæ Rectores permiſerunt, agentes contra id quod ſcriptum eſt, Mulier alligata eſt quanto tempore vir ejus vivit: & contra illud, Igitur vivente viro mulier vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro. Non omnino tamen ſine ratione: hæc enim contra legem initio latam & ſcriptam, ad vitanda pejora, alieno arbitrio morem gerentes eos permiſiſſe veriſimile eſt.* Agnoſcit igitur Origenes, eſſe contra legem Scripturæ, ſi mulier vivente viro alteri nubat; quamquam Epiſcopos illos, qui aliud permiſerunt, ad duritiam cordis & ad vitanda pejora, excuſare conetur.

1. Cor. 7. v. 39. Rom. 7. v. 3.

Mens Origenis ambigua. Hæc quidem ſi tantùm ſcripſiſſet Origenes, plana & aperta forent: verùm quæ citato in loco ſequuntur, (nihil enim diſſimulandum) dubiam & obſcuram nobis efficiunt ejus ſententiam. 1. enim non explicat in verbis adductis, an Epiſcopi illi, de quibus loquitur, permiſerint mulieri vivente viro alteri nubere propter adulterium, aut ſuum aut viri. 2. objicienti Judæo Chriſtum permiſiſſe dimittere uxorem adulterii cauſa ſicut Moyſes permiſerat ob fœditatem, quæ propriè eſt adulterium, reſpondet 1. nomine fœditatis Moyſen non intellexiſſe adulterium, ſiquidem adultera non dimittebatur, ſed lapidibus necabatur; ſed quodlibet aliud peccatum. 2. Chriſtum ob ſolum adulterium permiſiſſe ſolvi conjugium. 3. ſe valdè dubium hærere, num propter alias graviſſimas cauſas liceat uxorem dimittere, v. g. propter veneficium &c. Audiatur Origenes. *Servator noſter*,

Ib. p. 364. C. inquit, *haudquaquam connubii ſolvendi propter ullum aliud flagitium facultatem concedens, quàm ſolam fornicationem in uxore deprehenſam . . . . Quæri autem poteſt an uxorem repudiare non liceat, niſi in adulterio deprehenſa ſit; v. g. propter veneficium, vel quòd infantem ab utroque genitum, viro peregrè profecto, interfecerit, vel ob aliam quamlibet cædem: quin & ſi adulterii quidem inſons viri domum clam diripuiſſe & expilaſſe animadverſa ſit, rogaverit aliquis an ejuſmodi uxorem ex æquo & bono repudiabit, utpote vetante Servatore, ne quis, excepta fornicationis cauſa, uxorem ſuam repudiet: utrobique enim aliquod apparet abſurdum, quod an revera abſurdum ſit ignoro; tanta enim pati & tolerare flagitia, quæ adulterio & ſcortatione pejora cenſeri queant, planè à ratione videbitur eſſe alienum; rurſum contra Servatoris præceptum agere, nemo eſt quin impium eſſe confiteatur.* Sic dubius & anceps hæret Origenes, an nempe dimitti poſſit uxor propter alia graviſſima flagitia: ſi autem de ſola dimiſſione quoad thorum & cohabitationem loqueretur, nullus eſſet dubio locus. Adde quòd loquatur de ea ipſa dimiſſione ratione adulterii in Lege Chriſti, quam permiſerat Moyſes in Lege veteri propter fœditatem, hoc eſt quodcunque peccatum propter quod uxor viro diplicebat: at dimiſſionem illam fuiſſe quoad vinculum, antea oſtendimus; igitur non ſatis clara ac perſpecta hìc eſt mens atque ſententia Origenis, quamquam aliunde agnoſcat & fateatur legem Chriſti eſſe ut mulier vivente viro alteri non nubat, niſi velit eſſe adultera.

S. Gre-

S. Gregorius Nazianzenus (obiit an. 389.) in ſecundo Carmine, ubi recenſet laudes virginitatis, & incommoda connubii, agnoſcit illius inſolubilitatem, dum illud vocat malum quod aliquis ſibi parat ſine ulla prorſus ſpe repudii. Sic latinè verſus illos reddidit Jacobus Billius.

T. 2. p. 53. C. D.

Proſpice quanta premant ſervos incommoda carnis.
Femina non parva mercatur dote maritum,
Quodque etiam gravius, vitioſum ſæpe & inertem,
Rurſus emenda viro conjux, nec moribus illa
Prædita ſæpe bonis: quæſita, attractaque peſtis,
Peſtis, quam nulla liceat ratione fugare.

S. Joannes Chryſoſtomus Commentario in caput 7. prioris ad Corinthios antea citato, diſertè affirmat divortium quod humanæ leges permittunt, divinis prohiberi, atque Dominum judicaturum fore nos non ex humanis, ſed divinis legibus.

Obiit an. 407.

Et Hom. 17. in caput 5. S. Matth. ad iſta verba, *Qui dimiſerit uxorem ſuam facit eam mœchari*: expreſsè ait *mulierem expulſam ſemper remanere uxorem ejus à quo expulſa eſt.*

Edit. Comm. p. 176. C.

Et Hom. 62. in eundem S. Matth. exponens illa verba, *Si ſic eſt cauſa hominis cum uxore, non expedit nubere*: docet *mulierem etiam omni nequitia plenam perpetuò retinendam eſſe, quamvis oneroſum illud & durum videatur*, quod certè non eo ſenſu dixit, quaſi nullo caſu liceat ſeparari ab uxore perverſa, ipſe enim ſanctus Doctor vult ut maritus deſerat uxorem adulteram, ne ipſius crimine fortè polluatur, juxta iſtud, *Qui tenet adulteram ſtultus & impius eſt*. Eo igitur ſenſu dixit, quòd nempe perſeveret vinculum conjugii, etiam poſt dimiſſam uxorem.

Ibid. p. 552. E. — *Prov. 18. v. 22*

Et L. de virginitate exponens illud Apoſtoli ex cap. 7. prioris ad Corinth. *Iis qui Matrimonio juncti ſunt &c.* diſertè affirmat, quantacunque superveniat inter conjuges diſcordia ac diſſenſio propter malos alterutrius mores, ſola morte finem conjugio imponendum eſſe. *Fer*, inquit, *omnem hanc ſervitutem, futura demum libera, cùm obierit*. Et paulò poſt: *At quid ſi nollet in gratiam redire? Habes alterum effugium atque evaſionem. Quamnam? ejus mortem expecta.*

Edit recent. T. 1. p. 299 D. — *Ibid. p. 300. A.*

Atque hìc oneroſum non erit benignè interpretari eundem Chryſoſtomum, cùm Hom. 19. in idem caput 7. prioris ad Corinthios ait *per fornicationem nuptias eſſe diſſolutas, univerſam nuptiarum munditiam avolaſſe atque diſceſſiſſe: maritum poſt fornicationem non eſſe maritum*, & alia hujuſmodi, quæ ſunt exponenda quomodo ſuprà notavit Eraſmus; nempe poſt fornicationem maritum non eſſe maritum, & uxorem non eſſe uxorem, quia nempe conjux adulter ſibi *ademit jus omne Matrimonii, ſocietatem vitæ individuam, tectum, menſam, communem lectum, rei familiaris in partem adminiſtrationem &c.* uno verbo quæ hìc dicit Chryſoſtomus, rectè intelligi poſſunt de ſeparatione quoad thorum & cohabitationem, permanente ſemper vinculo conjugii.

Edit. Comm. p. 485. & ſeq.

Quæ verò ſit S. Baſilii fixa & certa ſententia vix definias: Homilia ſeptima in Hexameron ſic loquitur: *Quid ſibi vult hic ſermo? nimirum neceſſe eſſe, ut conjux maritum perferat, licèt aſperum, licèt moribus ferum, nec ob ullam cauſam conjunctionem dirimere velit. Percuſſor eſt? ſed vir tuus eſt.*

Quæ ſit S. Baſilii ſententia. — *Edit. poſt. T. 1. p. 68. B.*

Temulentuſne? at tibi eſt natura conjunctus. Duruſne & implacidus? At membrum jam tuum eſt, & membrorum præſtantiſſimum.

Edit. vet. T. 1.p.73. A. Et Libro de virginitate circa medium, pronuntiat *mulierem quæ vivente viro alteri nubit, mœchari*. Et poſtea: *Non audis*, inquit, *quòd etiam qui dimiſſam ducit, mœchatur? Etſi enim pro culpa dimiſſa eſt, attamen vivit vir ipſius:* hoc eſt, eo vivente non poteſt ſic dimitti, ut alteri nubat.

Ibid. p. 753. B. Edit. vet. T. 2.p.773. B. Et Can.48. Epiſtolæ ad Amphilochium, *Quæ à marito dimiſſa eſt* (injuſtè ſcilicet, nam ſi juſta de cauſa vir dimitteret, non eſſet ipſe cauſa adulterii, neque ipſe faceret eam mœchari, ſed totum crimen in mulierem redundaret; at S. Baſilius hìc loquitur de eo qui injuſtè dimittendo eſt cauſa cur mulier ſit adultera. *Quæ igitur*, inquit, *à marito dimiſſa eſt, mea quidem ſententia manere debet* (innupta.) *Si enim Dominus dixit, Si quis reliquit uxorem, præterquam ratione fornicationis, facit eam adulterari; ex eo quòd eam adulteram nominet, excluſit eam à ſocietate cum alio. Quomodo enim poteſt vir quidem eſſe reus ut auctor adulterii, uxor autem nulli eſſe culpæ affinis, quæ propter conſuetudinem cum alio viro, adultera à Domino appellata eſt?* Quòd ſi, ait hìc Arcudius de Matrimonio cap. 13. *de ea quæ injuſtè dimittitur, ſic cenſet S. Baſilius, profectò idem judicium faceret, & multò magis de ea, quæ juſta de cauſa ſit repudiata: non enim melioris conditionis eſt adultera, quàm ſit caſta.* *P. 500. col.2.D.*

Hæc revera S. Baſilii teſtimonia rem catholicam confirmare videntur. Verùm quæ idem ſanctus Doctor aſſerit Can. 9. ejuſdem Epiſtolæ, mirum in modum incertam, dubiam & obſcuram nobis reddunt ejus mentem atque ſententiam. Namque poſtquam dixit parem eſſe debere, juxta Chriſti mandatum, mulieris & viri conditionem in his quæ pertinent ad conjugium, atque non licere viro uxorem, nec uxori virum dimittere niſi ex cauſa fornicationis, fatetur conſuetudinem contrariam invaluiſſe, atque

P. 763. B.C. viris quidem licere dimittere uxores adulteras, non verò uxoribus dimittere viros adulteros. *Conſuetudo autem*, inquit, *non ita habet, ſed in mulieribus quidem multùm accuratè & diligenter obſervari invenimus* .... Et poſtea: *Conſuetudo verò etiam adulterantes viros, & in fornicationibus verſantes, jubet à mulieribus retineri. Quare quæ cum viro dimiſſo cohabitat, neſcio an poſſit adultera appellari: crimen enim hic attigit mulierem, quæ dimiſit; quam ob cauſam à conjugio deceſſit. Si enim pulſata, & verbera non ferens, pati ſatius erat quàm à conjuge ſeparari .... Sin autem quòd ipſe vivat in fornicatione, non habemus hanc obſervationem in eccleſiaſtica conſtitutione, ſed etiam infidelis viri juſſa eſt mulier non ſeparari, ſed manere propter incertitudinem eventus. Quid enim ſcis mulier, an virum ſis ſervatura? Quare, quæ relinquit, eſt adultera, ſi ad alium virum acceſſit. Qui autem relictus eſt, eſt dignus venia, & quæ ei cohabitat, non ideo condemnatur: ſed ſi vir qui ab uxore diſceſſit, acceſſit ad aliam, eſt & ipſe adulter, quoniam facit eam adulterari; & quæ ei cohabitat, eſt adultera, eò quòd alienum virum ad ſe traduxit.* Hæc S. Baſilius, ex quibus habes 1. juxta Chriſti mandatum parem eſſe debere viri & mulieris conditionem in his quæ ſpectant Matrimonium, atque tam virum dimittentem mulierem, quàm mulierem dimittentem virum adulterari ſi alteri nupſerit. 2. contrariam in Eccleſia Græca reſpectu mulierum invaluiſſe conſuetudinem, nempe ut non liceret uxori quacunque ex cau-

ſa à

ſa à viro diſcedere; è contra liceret viro dimittere uxorem adulteram: cujus rei diſcrimen adducere difficile judicat S. Baſilius Can. 21. & non immeritò quidem, cùm ipſe agnoſcat parem eſſe debere ex lege Chriſti utriuſque conjugis conditionem. Unde obſervat in hunc Canonem Zonaras, conſuetudinem illam tam abſurdam ſublatam fuiſſe ab Imperatore Juſtiniano, qui mulieribus poteſtatem quoque fecit diſcedendi à viris ſuis, ubi juſtæ ſunt ac legitimæ cauſæ. 3. in eo caſu quo uxor virum dereliquiſſet, contra receptam conſuetudinem, quærit ſanctus Doctor, an mulier quæ cohabitaret cum tali viro foret adultera; rurſus, an vir ſic relictus qui ad aliam acceſſit, ſit quoque adulter, aut venia dignus. Ad primum reſpondet timidè ac cum dubitatione, *Neſcio*, inquit, *an poſſit adultera appellari*. Ad ſecundum verò affirmatè magis & abſolutè ait, *virum ſic relictum eſſe venia dignum, & eam quæ cum ipſo cohabitat, non ideo condemnari*. At ſi perſuaſum habuiſſet ſanctus Doctor, viro etiam propter adulterium dimiſſo ſupereſſe ſemper firmum primi conjugii vinculum, quomodo dubitaſſet an poſſet adultera nuncupari mulier quæ cohabitaret cum viro à ſua uxore dimiſſo? Quomodo vir ille, qui ſolutus non eſt; venia dignus dici poteſt, & ea quæ cum ipſo habitat, non damnari? Certè difficile eſt iſta componere cum dogmate catholico. Quare Arcudius, quamquam nihil non moveat ut S. Baſilium excuſet, candidè fatetur multos optaſſe, & ſeipſum cum ipſis, ut ea nunquam ſcripſiſſet ſanctus Doctor: atque poſt longum circuitum eo tandem delabitur, ut dicat S. Doctorem improbare illam quam refert conſuetudinem, eumque nuſquam clarè affirmaſſe *an vir dimittens uxorem adulteram poſſit legitimè aliam ducere*. Iſtud poſtremum lubenter agnoſcimus: at conſuetudinem illam improbaſſe S. Baſilium, non oſtendit Arcudius: imò quæ jam relata ſunt demonſtrant ad minùs, dubium valdè & ancipitem eum fuiſſe, propter illam, quæ invaluerat, conſuetudinem. *Arcud. p. 530.*

Obſcuram pariter eſſe S. Epiphanii ſententiam, imò & depravatum textum agnoſcit doctiſſimus ejus interpres Petavius in notis ad hæreſim 59. nu. 4. pag. 254. Quamquam enim videatur ſecundas nuptias permittere poſt mortem dumtaxat prioris mariti; quæ tamen proximè ſequuntur, ait Petavius, *evidenter demonſtrant id Epiphanium velle, licere non modò poſt conjugis mortem, ſed eo quoque ſuperſtite, ſi cauſa legitima quæpiam interceſſerit, alias inire nuptias. Nam ſi de ſecundis dumtaxat poſt mortem ageret, quorſum hæc adjiceret: Cùm occaſione aliqua ſtupri adulteriique aut alterius flagitii, cum ea divortium fecerit, is ſi alteram uxorem duxerit, aut alteri viro mulier nupſerit, ſacrarum Litterarum auctoritas ab omni culpa illos abſolvit, neque ab Eccleſia aut æterna vita rejicit, ſed propter imbecillitatem tolerandos exiſtimat; non ita tamen ut duas altera ſuperſtite uxores ſimul habeat, ſed ut ab una ſeparatus, alteram ſibi legitimè, ſi lubet, adjungat*. Ita S. Epiphanius, quæ profectò dogmati, quod hìc propugnamus, non favent. In eadem tamen hæreſi num. 6. catholicè omnino ſic loquitur: *Scriptum eſt*, inquit, *Mulier alligata eſt nuptiis, quanto tempore vivit vir ejus: ſin autem mortuus fuerit vir, libera eſt cui vult nubere. Quo quidem declarat, poſt viri obitum ab omni illam peccato liberam eſſe, adeo ut contradicere nemo audeat*. Hæc verba ſi quis cum prioribus conferat, hærebit anceps circa mentem hujus Doctoris, & cum Petavio non invitus agnoſcet, depravatum eſſe priorem ipſius textum. *S. Epiphanii obſcura mens. Vid. T. 1. p. 497 A.* *Ib. p. 498. D.*

K 2 Iterò

Digitized by Google

Mitto Theodoretum, & Aſterium Amaſenum Epiſcopum, quos hic deſerere cogimur, adeo clarè & expreſsè nobis adverſantur. Ad Scriptores Occidentalis Eccleſiæ jam convertimur.

Ex Latina Eccleſia.

Tertullianus L. 4. contra Marc. cap. 34. hæretico objicienti Chriſtum contrarium eſſe Moyſi, cùm prohibuit repudium à Moyſe permiſſum, reponit, Chriſtum non abſolutè & ſimpliciter divortium prohibuiſſe, ſed tantùm ex parte ſeu ſub aliqua conditione, nempe ut facto divortio non liceat ad alias nuptias tranſire. *Dico*, inquit, *Chriſtum conditionaliter nunc feciſſe divortii prohibitionem, ſi ideo quis dimittat uxorem, ut aliam ducat. Qui dimiſerit, inquit, uxorem, & aliam duxerit, æquè adulter eſt; ex eadem utique cauſa, qua nòn licet dimitti, ut alia ducatur: illicitè enim dimiſſam pro indimiſſa ducens, adulter eſt; manet enim Matrimonium quod non ritè diremptum eſt. Manente matrimonio nubere, adulterium eſt. Ita ſi conditionaliter prohibuit dimittere uxorem, non in totum prohibuit.* Igitur in mente Tertulliani Chriſtus divortium abſolutè non ſuſtulit, permittit enim illud quoad ſeparationem à thoro, cohabitatione, menſa &c. at illud ſuſtulit, quale permiſerat Moyſes, quod nempe ſolutionem vinculi & licentiam cum altero nubendi importabat. Cùm igitur eodem cap. Tertullianus ait *Chriſtum ex cauſa adulterii permiſiſſe divortium*, debet ad ſenſum mox dictum exponi; permiſiſſe ſcilicet divortium quoad thorum & cohabitationem, ſeu, ut ipſe loquitur *conditionaliter*; non verò quoad ſolutionem vinculi. Non alius eſt ejuſdem ſenſus in Libro de Monogamia c. 9. in quo ſæpius repetit, uxorem à viro repudiatam legitimè non poſſe alteri nubere, eamque debere expectare donec ſoluta ſit *per mortem viri*, inquit, *non per divortium*. Ad hæc ſi attendiſſet Launojus, non ita facilè Tertullianum tanquam contrariæ Traditionis teſtem appellaſſet.

(Margin: P. 449. D. — P. 538.)

Ejuſdem doctrinæ in Eccleſia Africana teſtes habemus Patres Concilii Milevitani ann. 416. Can. 17. *Placuit*, inquiunt, *ut ſecundùm evangelicam & apoſtolicam diſciplinam, neque dimiſſus ab uxore, neque dimiſſa à marito alteri conjungatur; ſed ita maneant, aut ſibimet reconcilientur. Quòd ſi contempſerint, ad pœnitentiam redigantur. In qua cauſa legem imperialem petendam promulgari.* Miratur hìc Launojus, cur Patres Milevitani imperialem legem poſtulent, *cùm*, inquit, *nondum erat annus centeſimus quòd Imperator Conſtantinus legem de hac materia tulerat*. Ita quidem: at legem hanc civilem divinæ contrariam revocari, & aliam promulgari hìc poſtulant Epiſcopi, atque temporalem, ut aſſolent, Principum opem implorant ad certiorem & firmiorem decretorum Eccleſiæ executionem; in quo certè nihil novi occurrit quod nos in admirationem trahere debeat.

(Margin: Tom. 2. Conc. p. 1541. E.)

Aliud inſigne teſtimonium pro doctrina Eccleſiæ Africanæ ſuppeditat nobis S. Auguſtinus L. de fide & operibus, ubi teſtatur ab Eccleſia Africana non admitti ad Baptiſmum ex Gentilibus, eos qui dimiſſis primis uxoribus cum ſecundis nuptias contraxiſſent.

(Margin: T. 6. p. 165.)

Eccleſia pariter Gallicana in eadem mente fuit atque ſententia, quo tempore celebratum eſt ex diverſis Orbis Provinciis an. 314. Concilium Arelatenſe I. cujus hic eſt Canon 10. *De his qui conjuges ſuas in adulterio deprehendunt, & iidem ſunt adoleſcentes fideles, & prohibentur nubere, placuit*

(Margin: Tom. 1. Conc. p. 1428. B.)

Digitized by Google

cuit ut in quantùm poteſt conſilium eis detur, ne, viventibus uxoribus ſuis, licèt adulteris alias accipiant.

Petavius in notis ad hæreſim 59. S. Epiphanii p. 255. putat eo in Canone deeſſe negationem, ac legendum *& non prohibentur nubere.* (nempe per leges civiles) *Nam*, inquit ille, *ſi prohiberentur nubere, non conſilium ad eos coercendos, ſed præcepti neceſſitas adhibenda fuerat.*

Verùm alii exiſtimant integrum eſſe Canonem abſque particula negante, quæ reipſa non legitur in Labbena Conc. editione; Patres verò Arelatenſes conſilii potius, quàm præcepti nomine uſos fuiſſe, quòd intelligerent in iis circumſtantiis, in quibus leges civiles dimiſſa uxore permittebant aliam duci, adhortandos potius eſſe Fideles, quàm per vim cogendos, ne fortè diſſidium ac bellum domeſticum exoriretur inter utramque poteſtatem eccleſiaſticam & civilem. Interim quod ſit Eccleſiæ votum, quæ mens atque doctrina, citato Canone ſignificant apertè Patres illi Arelatenſes.

Idem definitum habes in aliis Gallicanis Conciliis, Sueſſionenſi I. ann. 745. Can. 9. Pariſienſi VI. an. 829. L. 3. cap. 2. Namnetenſi ann. 895. cap. 12. Bituricenſi an. 1031. Can. 16.

Tom. 6. Conc. p. 1554. B. Tom. 7. Conc. p. 1656. E. Tom. 9. Conc. p. 471. D. & p. 867. B.

Canonem Namnetenſem hìc juvat deſcribere, quòd contineat ſpecialem diſciplinæ ſeveritatem. *Si*, inquit, *cujus uxor adulterium perpetravit, & hoc à viro deprehenſum fuerit & publicatum, dimittat uxorem, ſi voluerit, propter fornicationem: illa verò ſeptem annis publicè pœniteat. Vir verò ejus illa vivente nullatenus aliam accipiat. Quòd ſi voluerit adulteram ſibi reconciliari, licentiam habet: ita tamen ut pariter cùm illa pœnitentiam agat; & exacta pœnitentia, poſt ſeptem annos ad communionem uterque accedat. Non omninò capio*, ait Launojus, poſtquam Canonem hunc laudavit pag. 489. *qua lege, quo jure, & qua æquitate vir & uxor innocens & nocens ad eandem agendam pœnitentiam adſtringatur.* Sed & alterum minùs capit, quomodo ſcilicet Canon ille prohibeat viro, uxore ſua adultera dimiſſa, ducere aliam, *cùm*, inquit, *juxta diſciplinam Eccleſiæ Romanæ tunc temporis liceret repudium dare adultero conjugi: quare*, concludit, *ex his duobus capitibus inſignitè minuitur Canonis hujus auctoritas.* Sic ille pro ſua voluntate inverecundè deprimit & elevat auctoritatem eorum quos ſuæ falſæ, ac præjudicatæ opinioni intelligit adverſari. Quas autem aſſequi non potuit Launojus rationes diſciplinæ ſeverioris Canone Namnetenſi ſancitæ, has rectè exponit Cottelerius noſter in notis ad ſecundum Librum Hermæ ad Mandatum 4. *In prædicto*, inquit, *Canone Namnetenſi præcipitur ut conjux inſons pariter cum ſonte agat pœnitentiam, non inſolito olim eccleſiaſticæ diſciplinæ vigore: cujus rationes eſſe videntur hæ; metus ne immunis à flagitio, cauſa aliquatenus vel occaſione extiterit adulterii; ac ſuſpicio incontinentiæ in repoſcente conjugem; & comprobatio veræ reconciliationis.*

Diſciplina ſingularis Canonis Namnetenſis. *Tom. 9. Conc. p. 471. D. Cotell. p. 54. E.*

Hiſpanicam Eccleſiam in ea quoque fide fuiſſe, uno conjuge dimiſſo, quamdiu vivit, alterum non poſſe ad alia vota convolare, oſtendit Concilium Eliberitanum an. 305. Can. 9. *Fidelis femina*, inquit, *quæ adulterum maritum reliquerit fidelem, & alterum ducit, prohibeatur ne ducat: ſi autem duxerit, non priùs accipiat communionem, quàm is quem reliquit, de ſæculo exierit; niſi neceſſitas infirmitatis dare compulerit.* Et Can. 72. *Si qua vidua fuerit mechata, & eundem poſtea habuerit maritum, poſt quinquennii tem-*

Sententia Hiſpanicæ Eccleſiæ. *Tom. 1. Conc. p. 971. D. ibid. p. 978. A.*

tempus, acta legitima pœnitentia, placuit eam communioni reconciliari: ſi alium duxerit relicto illo, nec in fine dandam ei communionem. Cenſuit igitur Eccleſia Hiſpanica ea ætate non diſſolvi Matrimonium per adulterium, quidquid è contra obloquatur Launojus p. 455.

Tom. 7. Conc. p. 1005.

Eadem fuit doctrina Aquilejenſis Eccleſiæ, ut patet ex capitulo 10. Concilii Forojulienſis an. 791. quod initio hujus controverſiæ, exponendo quæſtionis ſtatum, laudavimus.

Eccleſia Anglicana. T. 3. p. 123. n. 20.

Idem pariter docuit Anglicana Eccleſia ann. 663. quo habita eſt Synodus ſub Theodoro, referente Venerabili Beda Lib. 4. Hiſt. Anglorum cap. 5. Canone quippe 10. ſic ſtatutum legimus: *Si quiſquam propriam expulerit conjugem legitimo ſibi matrimonio conjunctam, ſi Chriſtianus eſſe rectè voluerit, nulli alteri copuletur; ſed ita permaneat, aut propriæ reconcilietur conjugi.* Audis ea lege *Chriſtianum dici & eſſe*, qui dimiſſa uxore ſua, cum altera non conjungitur.

Eccleſia Germanica.

Idem quoque obſervatum fuiſſe in Eccleſia Germanica patet ex Concilio Triburienſi an. 895. Can. 43. 44. 45. &c.

Tom. 9. Conc. p. 462. & ſeq. Eccleſia Romana.

Quæ fuerit Romanæ Eccleſiæ circa rem præſentem antiqua doctrina, colligi poteſt ex S. Clemente R. P. Inter Canones enim quos ſub nomine Apoſtolorum refert, hunc recenſet n. 48. *Si quis laicus uxorem propriam pellens, alteram vel ab alio dimiſſam duxerit, communione privetur.*

Tom. 1. Conc. p. 52. D. E. Tom. 2. Conc. p. 1256. B. C.

Innocentius I. ſcribens ad Exuperium Epiſcopum Toloſanum c. 6. hæc habet: *De his etiam requiſivit dilectio tua, qui interveniente repudio aliis ſe Matrimonio copularunt; quos in utraque parte adulteros eſſe manifeſtum eſt. Qui viro, vel uxore vivente, quamvis diſſociatum videatur eſſe conjugium, ad aliam copulam feſtinarunt . . . . ſecundum illud quod legimus in Evangelio, Qui dimiſerit uxorem ſuam, & duxerit aliam, mœchatur.*

Notiſſima eſt ac toto Orbe decantata tragœdia illa qua Nicolaus I. Lotharium Imperatorem diris devovit, quòd dimiſſa Regina Thietberga, cum Waldrada concubina nuptias celebraſſet, damnata Guntharii Colonienſis & Theugualdi Trevirenſis Archiepiſcoporum ſententia, quam pro divortio iniquè tulerant, magno ſui honoris & dignitatis periculo: nam ea de cauſa ſuorum Ordinum jacturam à Nicolao paſſi ſunt in Concilio Romano.

Ad hæc promptum foret quàm plurima veterum SS. Patrum adjungere teſtimonia, tres tantùm appellabimus, Ambroſium, Hieronymum & Auguſtinum.

T. 1. p. 1471. C. Ibid. p. 302. A.

S. Ambroſius cap. 16. in Lucam. *Dimittis ergo uxorem*, inquit, *quaſi jure, ſine crimine; & putas id tibi licere, quia lex humana non prohibet? Qui hominibus obſequeris, Deum verere. Audi legem Domini cui obſequuntur etiam qui leges ferunt: Quæ Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Et Lib. 1. de Abraham cap. 7. *Non licet tibi, uxore vivente, uxorem ducere, cùm habeas tuam; crimen eſt adulterii.* Craſſa hic eſt Launoji hallucinatio, cùm ſupponit pag. 461. *Ambroſium in eos invehi qui uxores dimittebant ſine crimine, id eſt ſine adulterio:* iſtud enim, *ſine crimine*, in textu Ambroſii citato, non intelligitur de illis qui uxores ſuas dimittunt ſine ulla cauſa, & alias ducunt; ſed de illis qui putant ſe tuta conſcientia & ſine peccato poſſe dimittere uxore ſuas, etiam ex cauſa legitima, & aliis nubere, quia iſtud

per-

permittunt leges humanæ: in quo aberrabant illi, Lex enim Chriſti vetat ſecundum conjugium vivente altero conjuge, etiam adultero. Hunc eſſe verborum S. Doctoris planum & apertum ſenſum conſtat, quia ſupponit legibus humanis licitum fuiſſe uxores dimittere: atqui nequaquam permittunt illæ dimitti uxorem ſine ulla omnino legitima cauſa, & pro ſola viri voluntate; ergo illud *ſine crimine* intelligi non debet de iis qui ſine cauſa dimittunt uxores, permittente Lege civili, ſed de iis qui falsò ſibi perſuadent poſſe ſe tuta conſcientia uxorem ſuam dimittere & aliam ducere, quia id permittunt Leges civiles.

S. Hieronymus Epiſt. ad Oceanum 84. aliàs 30. non alia ratione excuſat Fabiolam, quæ dimiſſo marito alteri nupſerat, quàm quòd ignoraret vigorem Evangelii, cujus tamen ſui peccati duram illa & publicam ſuſtinuit pœnitentiam. In Epiſtola verò ad Amandum Presbyterum, disertè docet ſola morte diſſolvi vinculum conjugale. Idem repetit Comment. in caput 19. S. Matth. Fallitur Launojus cùm ait p. 465. Hieronymum in ea fuiſse mente, non licere quidem uxori dimittere virum adulterum, ſed id licere viro reſpectu uxoris: contrarium quippe apertè declarat tùm in Epiſtola ad Oceanum, ubi ait, id omne quod viris jubetur, conſequenter redundare in feminas: *Neque enim*, inquit, *uxor adultera dimittenda eſt*, *& mœchus tenendus*; tùm Comment. in caput 19. S. Matth. tùm in Epiſtola ad Amandum.

T. 4. p. 2. p. 658. T. 4. p. 1. p. 162. Ib. p. 86. T. 4. p. 2 p. 658.

S. denique Auguſtinus in duobus Libris ad Pollentium, De adulterinis conjugiis, ex profeſso Concluſionem noſtram demonſtrat. Nonnulla ipſius verba ſuprà laudata ſunt, quæ hic ſufficere debent, præſertim cùm non videatur repugnare Launojus, qui aliunde S. Doctorem vellicat, quem aut contradictionis, aut non ita accurati ratiocinii reum tacitè cuperet hac in parte traducere.

Concilium Tridentinum huic conſtanti ac perpetuæ Traditioni firmiter inhærens Seſs. 24. dogma quod hìc propugnamus confirmavit.

Capite unico de Matrimonio dictæ Seſſionis ſic loquitur: *Matrimonii perpetuum indiſſolubilemque nexum primus humani generis parens divini Spiritus inſtinctu pronuntiavit, cùm dixit, Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea. Quamobrem relinquet homo patrem ſuum & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una.*

Definitio Cōcilii Tridētini: an fidē ſpectet, an diſciplinā. *To. 14. Conc. p. 873. E.*

Canone 5. ejuſd. Seſs. adversùs Novatores Lutheranos & Calviniſtas ſic ſtatuit: *Si quis dixerit, propter hæreſim, aut moleſtam cohabitationem, aut affectatam abſentiam à conjuge, diſſolvi poſſe Matrimonii vinculum; anathema ſit.*

Ibid. p. 874. B.

Canone verò 7. rem noſtram propiùs attingit his verbis: *Si quis dixerit, Eccleſiam errare, cùm docuit & docet, juxta evangelicam & apoſtolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non poſſe diſſolvi, & utrumque, vel etiam innocentem qui cauſam adulterio non dedit, non poſſe altero conjuge vivente, aliud matrimonium contrahere, mœcharique eum, qui dimiſſa adultera, aliam duxerit, & eam, quæ dimiſſo adultero, alii nupſerit; anathema ſit.*

Ibid. p. 875. A.

Hujus poſtremi Canonis occaſione duplex apud Theologos excitatur quæſtio.

Prima eſt, an quod hìc ſtatuit Synodus Tridentina, diſciplinam ſpectet, vel dogma.

Secunda, an dogma de fide ſit: hoc eſt, an indiſsolubilitas vinculi conjugalis, etiam adulterii cauſa, ſit dogma fidei à Synodo Tridentina definitum.

Digitized by Google

Launoji ſententia refellitur. Quantùm ad primum, Launojus in ea mente fuit, ſicut antea diximus, Tridentinum Canonem meram ſpectare diſciplinam.

Verùm falſa omnino & improbanda eſt opinio. 1. Quia verba ipſa Canonis aliud omnino ſonant. *Si quis dixerit*, ait, *Eccleſiam errare cùm docuit & docet, juxta evangelicam & apoſtolicam doctrinam, non poſſe diſſolvi &c.* Idem jam ann. 416. dixerat citata Synodus Milevitana. Quod autem docet Eccleſia juxta evangelicam & apoſtolicam doctrinam, procul dubio dogma eſt, à quo diſcedere non licet. 2. Error propriè adverſatur veritati ſeu dogmati, ſicut abuſus receptæ diſciplinæ: Canon verò citatus expreſsè definit non errare Eccleſiam cùm docet &c. ergo Canon Trid. de doctrina loquitur, non de mera diſciplina. 3. Quod diſciplinæ dumtaxat eſt eccleſiaſticæ, mutari poteſt ab Eccleſia, prout expedire prudenter judicaverit: ita uſum calicis olim Laicis conceſsum, optimis de cauſis mutavit & abrogavit, ut alia hujuſmodi benè multa prætermittamus. Si ergo ſolubilitas vel inſolubilitas Matrimonii propter adulterium ſit res diſciplinæ libera, poſset Eccleſia vel S. Pontifex propter adulterium ſolvere vinculum conjugale &c. dare licentiam ad aliud ineundum Matrimonium: at quantùm iſtud ſit abſurdum, & doctrinæ evangelicæ contrarium, & quantum in Rempublicam Chriſtianam turbarum ac confuſionis induceret, ſi hac prætenſa ſua auctoritate uti vellet Eccleſia aut S. Pontifex, nemo eſt qui ſtatim non intelligat. 4. denique, Canon ille Lutheranos & Calviniſtas ferit: at iſti contra veram doctrinam Matrimonii peccabant, non contra ſolam diſciplinam; igitur Canon non ad diſciplinam, ſed ad doctrinam pertinet.

Quantùm verò ad alteram quæſtionem, utrum ſcilicet indiſsolubilitas Matrimonii, etiam ſuppoſito adulterio alterius conjugum, ſit dogma fidei citato Canone Tridentino definitum, aſseverare non audemus: quæ enim narrat Concilii Hiſtoricus Cardinalis Pallavicinus L. 22. cap. 4. num. 27. ſua-
T. 3. p. 626. dere videntur, Concilium idcirco Canonem primò conceptum cum anathemate adversùs eos qui dicerent diſsolvi poſse Matrimonium propter adulterium, poſtea in gratiam Græcorum qui ſub ditione Reipublicæ Venetæ degebant, immutaſse ac temperaſse, ne rem expreſsè ac conceptis verbis definiret: Audiatur Pallavicinus. *Canon*, inquit, *quoque paratus fuerat cum*
Pallavicinus L. 22. c. 4. n. 27. T. 3. p. 626. *anathemate in eum qui diceret, Matrimonia conſummata ob adulterium diſſolvi. Sed Oratores Veneti die* 11. *Auguſti* (ann. 1563.) *cùm ipſis poſteriorum modulus oſtenſus eſt, ſolemniter expoſuerunt conventui, veterem Rempublicam ſemper conjunctiſſimam fuiſſe Apoſtolicæ Sedi, & Conciliis Oecumenicis ejus auctoritate celebratis, pioque ſemper ſtudio complexam ac veneratam*
Canon mutatus & temperatus propter Venetos. *decreta ſanctioneſque inde profecta, ut pote divinam gloriam, animarum ſalutem, pacemque Chriſtianorum promoventia. Verùm ab eo, quod ſeptimo Canone parabatur, niſi moderatione aliqua reformaretur, inferri poſſe non modicam offenſionem Orientis Eccleſiæ, præſertim verò Venetorum Inſulis, Cretæ, Cypro, Corcyræ, Zacyntho, Cephaloniæ & aliis multis, non ſolùm cum publicæ quietis, ſed cum Eccleſiæ Catholicæ detrimento. Compertum eſſe Patribus, tametſi Græca Eccleſia à Romana ex parte diſſentiret, non tamen eò deſperationis deventum eſſe, ut meliora ſeparari non poſſent; præſertim cùm Græci in ſubjectis Reipublicæ locis degentes, quamvis ritu ſuo viverent, tamen Præſulibus à Romano Pontifice aſſumptis obtemperarent. Ea propter tùm*

rerum

rerum convenientia , tùm Oratorum munere ſe compelli, ne ipſis eos populos perculi ſinerent eiuſmodi anathemate , quo ad tumultum , integramque à Sede Apoſtolica ſeceſſionem provocarentur . Satis conſtare , in more poſitum apud Græcos, ut uxorem adulteram deſerant , & aliam ducant , veterrimam majorum conſuetudinem, ut ipſi dicunt, ſecuti; nec idcirco illos damnatos, aut anathemate perculſos fuiſſe ab ulla Synodo Oecumenica , etiam ſi Romanæ & Catholicæ Eccleſiæ hujuſmodi mos liquidò innotuiſſet . Exiſtimare igitur Oratores ſui muneris eſſe, quàm efficaciſſimè poſſent , poſtulare , ut voces illæ Canonis adeo moderatè lenirentur, ne Græcis detrimentum inferrent , præſertim intentato anathemate ; quod dubium non erat confici poſſe non ſolùm nulla parta Eccleſiæ Catholicæ indignitate , ſed fortaſſe retenta plurimorum Doctorum reverentia. Poſſe, quantùm ipſi rebantur, & obtineri quod Synodus intendebat, & Reipublicæ ſatisfieri, Canone eiuſmodi verbis conflato : Anathema ſit, ſi quis dixerit ſacroſanctam Romanam, & Apoſtolicam eccleſiam, quæ mater eſt & magiſtra aliarum, erraſſe, aut errare , cùm docuit & docet, & alia quæ paulò antè deſcripſimus, referendo Canonem Tridentinum. Ita Oratores Veneti qui, quod poſtulabant, ſunt aſſecuti, Canone temperato & reformato eo ipſo modo quo jam extat.

Hac porro Canonis mutatione videntur Patres Tridentini non obſcurè ſignificare, ſe in animo non habuiſſe fidei dogma proponere ſub pęna anathematis credendum & obſervandum , aut damnare Græcos in contraria ſententia & praxi verſantes: ſi enim id voluiſſent, proculdubio Canonem non immutaſſent nec temperaſſent auditis Oratoribus Venetis.

Adde & in ipſo Concilio Florentino Seſſ. 25. Græcos tanquam in fide concordes ab Eugenio IV. S.P. amicè compellari, quamquam ſciret eos propter adulterium conjugia dirimere; neque ea de re poſtulatos legitimam potuiſſe reddere rationem. *T. 13. Conc. p. 523.*

Quamquam verò negari non poſſit Canone ſic reformato Græcos apertè non damnari, & lato anathemate percelli dumtaxat Lutheranos, qui affirmabant errare Romanam Eccleſiam cùm docet non poſſe diſſolvi Matrimonium propter adulterium; nihilominus tamen rem propiùs inſpicienti videbitur, doctrinam, quam proponit Synodus, fidei eſſe, etſi clarè ac explicitè id non exprimat: atque totam Canonis mutationem non doctrinæ ſubſtantiam, quæ ſemper immota ſubſiſtit & integra, attingere, ſed unam dumtaxat pœnam anathematis, quam in gratiam Græcorum, ex œconomia quadam , revocavit & immutavit Synodus, ad ſupplicationem Oratorum Reipublicæ Venetæ. Id ita eſſe conſtat

I. ex verbis Canonis, quibus declarat non errare Eccleſiam cùm docet, juxta evangelicam & apoſtolicam doctrinam, non poſſe diſſolvi Matrimonium propter adulterium. Si itaque non errat Eccleſia cùm ita docet, ergo doctrina ejus vera eſt, & conformis evangelicæ & apoſtolicæ. Doctrina porro evangelica & apoſtolica, nonne fidei noſtræ caput eſt? Nonne oppoſita doctrina error eſt contra evangelicam & apoſtolicam doctrinam? Sic itaque arguimus: Non errat Eccleſia, cùm docet, juxta evangelicam & apoſtolicam doctrinam, diſſolvi non poſſe Matrimonium propter adulterium; ergo errat contra evangelicam & apoſtolicam doctrinam, qui aſſerit illud diſſolvi poſſe: quæ conſecutio eſt manifeſta; non datur enim medium inter

Digitized by Google

ter errorem & veritatem, ac neceſſe eſt dogma aliquod aut verum aut falſum eſſe. Ergo errant Græci contra evangelicam & apoſtolicam doctrinam, cùm affirmant diſſolvi poſſe Matrimonium propter adulterium; quamquam œconomiæ cauſa noluerit Synodus Tridentina propter errorem hunc contorquere adversùs ipſos pœnam anathematis. Nec dicas Synodum hoc Canone ſolos Lutheranos damnare voluiſſe, qui Eccleſiam erroris incuſabant. Eſto id ſolùm voluerit Synodus: at iſtud ſemper firmum ſtat & concuſſum adversùs Lutherum & alios quoſcunque, non errare Eccleſiam cùm docet, juxta evangelicam & apoſtolicam doctrinam, non poſſe diſſolvi vinculum conjugale propter adulterium: ex quo ſequitur manifeſtè, errare eos omnes contra evangelicam & apoſtolicam doctrinam, qui docent diſſolvi poſſe Matrimonium propter adulterium.

II. Pallavicinus L. 22. cap. 4. n. 30. quamquam Suavem reprehendat quòd ſcripſerit mutationem Canonis *aeream & utilitatis effectuſque vacuam eſſe*; nihilominus candidè agnoſcit, *ſubtilius eſſe diſcrimen* inter utrumque

T. 3. p. 629. Canonem. *Non ſolùm*, inquit, *revera diſcrimen eſt, quamvis ſubtilius; ſed etiamſi non ineſſet, convenientiùs fuiſſet Reipublicæ ſatisfacere, eam mutationem petenti, ubi per eam merus ſonus, non autem ſignificatio variaretur.* Subtilius non immeritò dixit eſſe diſcrimen inter utrumque Canonem, quia nempe licèt clarè & explicitè non dicat Synodus, doctrinam quam ſtatuit, fidei eſſe, iſtud tamen verbis æquivalentibus aſtruit & confirmat. Paulò antè narraverat Pallavicinus, Andræam Cueſtam Epiſcopum Legionenſem rejeciſſe poſtulationem Oratorum Venetorum, *quia*, inquiebat, *non*

Ibid. p. 628. *ſolet ab Eccleſia uſurpari hac damnandi formula, Si quis dixerit Eccleſiam errare. Hanc veritatem* (nempe diſſolvi non poſſe conjugium adulterii cauſa) *eſſe certam ac firmatam in Synodo Milevitana, in ſexta Oecumenica, & in Florentina*: quod ubi aliis auctoritatibus demonſtraſſet, ſic pergit Hiſtoricus, *Creditum eſt, ſi Cueſtæ locus loquendi inter primos obtigiſſet, ſicut inter poſtremos debebatur in Conventu, tantum ab eo numerum aſſeclarum pertractum iri, quantus ad refellendam petitionem Oratorum Venetorum ſatis fuiſſet.*

III. Modus quo primùm conceptus ac conditus eſt Canon, nempe cum anathemate adversùs eos qui dicerent diſſolvi conjugium adulterii cauſâ, modus, inquam, ille apertè prodit & manifeſtat quò inclinaret Synodi mens atque ſententia.

IV. Sacra Facultas Pariſienſis in Cenſura adversùs Eraſmum an. 1526. hæreticam ait eſſe doctrinam propoſitionum illius auctoris, quibus videbatur affirmare diſſolvi poſſe adulterii cauſa vinculum conjugale: cujus Cenſuræ doctrinam non auſus eſt vellicare Eraſmus in ſua Apologia, ſed conqueſtus dumtaxat fuit ſibi falsò & per errorem à Cenſoribus contrariam fuiſſe imputatam.

His adde unanimem omnium Theologorum Scholæ conſenſum: ſi enim tres excipias, Cajetanum, Catharinum, & Launojum, omnes alii in eam conſpirant ſententiam, ad catholicum ſcilicet dogma pertinere indiſſolubilitatem Matrimonii, etiam adulterii cauſa.

T. 2. p. 428. Eſtius in 4. diſt. 35. paragr. 12. nonnullis rationum momentis catholicum iſtud dogma confirmat, quæ congrua & conſentanea quidem videntur

tur naturæ Matrimonii, ſed quæ vim non habent firmam, niſi ex ſuppoſita Chriſti voluntate de non diſſolvendo conjugio, etiam adulterii cauſa. Iis igitur prætermiſſis, ſolvendæ ſuperſunt Objectiones.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. Chriſtus Matth. 19. propoſitæ ſibi à Phariſæis quæſtioni de divortio, an nempe *liceret homini dimittere uxorem ſuam quacunque ex cauſa*, ſic reſpondet v. 9. *Quicunque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur*. Ergo à contrario, qui dimittit ob fornicationem & aliam ducit, non mœchatur: hæc enim videtur eſſe vis exceptionis iſtius, *niſi ob fornicationem*, ut ſi fornicaria ſit uxor, liceat eam dimittere & ducere aliam; ſi verò non ſit, non liceat. Velut ſi dixero, Quicunque peccaverit, niſi pœnitentiam egerit, peribit: valebit hæc à contrario conſecutio, Ergo qui pęnitentiam egerit poſt peccatum, non peribit.

Reſp. nego conſequentiam; propoſitio enim adducta non eſt propriè in genere contrariorum. Propoſitio ſiquidem ut verè ſit contraria, debet eſſe de eodem ſub eodem reſpectu: atqui falsò ſupponit Objectio, in verbis Chriſti exceptionem hanc, *niſi ob fornicationem*, intelligi ſimul & de dimittenda uxore, & de alia ducenda, quaſi ex æquo ad utrumque propoſitionis membrum referretur, & ad *dimiſerit*, & ad *aliam duxerit*; exceptio ſiquidem, *niſi ob fornicationem*, non refertur niſi ad verbum *dimiſerit*, ita ut per parentheſim ſit pronuntiandum, & aliquid ſupplendum hoc modo, *Quicunque dimiſerit uxorem ſuam* (quod non licet niſi ob fornicationem) *& aliam duxerit, mechatur*. Docet igitur Chriſtus eò loci, licitùm quidem eſſę dimittere uxorem ob fornicationem; ſed eum męchari, qui dimiſſa uxore, alteram ducit, quod non licet: idque appoſitè ad depravatos Judæorum mores quos emendare vult. Illi ſcilicet quacunque ex cauſa, etiam leviſſima, uxores ſuas dimittebant: docet è contra Chriſtus, non eſſe dimittendas niſi gravi de cauſa, qualis imprimis eſt fornicatio quæ violat thorum conjugalem. Præterea Judæi dimiſſis uxoribus alias ducebant, quod ipſis ad duritiam cordis permiſerat Moyſes: Chriſtus verò licentiam hanc ac diſpenſationem revocat, ac declarat eum adulterum eſſe qui dimiſſa uxore ſua alteram ducit. Sic eſſe verba Chriſti exponenda apud S.Matthæum, probant alii duo Evangeliſtæ, qui nullam injiciunt mentionem exceptionis quam refert S.Matthæus.

Probat & ipſe S.Paulus, qui abſolutè & ſimpliciter pronuntiat mulierem eſſe viro alligatam quamdiu ille vivit. Probat & ipſa Eccleſiæ auctoritas in Concilio Tridentino, ubi definitum eſt non diſſolvi vinculum conjugale propter adulterium; quam doctrinam evangelicam & apoſtolicam eſſe declarat Synodus: qua ſua declaratione manifeſtum facit, verba Chriſti apud S. Matth. eo ipſo ſenſu ab Eccleſia intellecta ſemper fuiſſe & intelligi debere, quo mox diximus. Unde obſervant Interpretes, Chriſtum exceptionem hanc, *niſi ob fornicationem*, non ſubjunxiſſe poſt verbum *aliam duxerit*, ſed tantùm poſt verbum *dimiſerit*: pariter cùm dixit, *& qui dimiſſam duxerit, mœchatur*, non addidiſſe clauſulam exceptivam, *niſi ob fornicationem*; nempe ut innueret fornicationem eſſe quidem cauſam juſtam dimittendi uxorem, ſed nunquam eſſe poſſe cauſam legitimam ducendi alteram priori

viven-

vivente. Inde facile eſt diſcrimen aſſignare utriuſque argumenti, quod proponit Objectio, nempe, Qui peccavit, niſi pęnitentiam egerit, peribit; ergo qui pęnitentiam egerit, non peribit. Pariter, Qui dimiſerit uxorem ſuam niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur; ergo à contrario, qui dimittit ob fornicationem & aliam ducit, non męchatur. In iſto ſiquidem poſteriori argumento, exceptio *niſi ob fornicationem*, non refertur ad verbum *aliam duxerit*, ſed tantùm ad verbum *dimiſerit*; neque argumentum propriè eſt in genere contrariorum, cùm non ſit de eodem. At verò in priori argumento exceptio de uno tantùm poteſt intelligi, (cùm non ſit duplex propoſitionis membrum, ſicut in poſteriori argumento) nempe de pęnitentia, vel ejus abſentia: unde contrariæ verè ſunt duæ iſtæ propoſitiones, *Qui agit pœnitentiam, non peribit: qui non agit pœnitentiam, peribit.*

Sunt inter noſtros Interpretes qui exceptionem iſtam, *niſi ob fornicationem*, ad utrumque ſententiæ Chriſti membrum referri poſſe arbitrantur, ita ut iſte ſit ſenſus: Qui dimiſerit uxorem, excepta cauſa fornicationis, mœchatur; hoc eſt facit eam męchari, interprete Chriſto apud S. Matth. cap. 5. v. 33. & qui aliam duxerit, adhuc męchatur; & ita duplex committit peccatum, & cùm dimittit, & cùm aliam ducit. Juxta explicationem iſtam à contrario ſenſu ſic inferri dumtaxat poteſt: Qui dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, męchatur; ergo qui dimittit uxorem ob fornicationem, & aliam ducit, non męchatur quidem dimittendo, męchatur tamen aliam ducendo. Simile eſt ſi dicas: Qui jejunium violat ſine diſpenſatione, & ſe inebriat, hic peccat; ergo qui non jejunat cum diſpenſatione legitima, & ſe inebriat, non peccat quidem non jejunando, ſed peccat ſe inebriando.

Cornel. à Lapide in Matt. c. 19. p. 364.

S. Aug. exceptioné negative explicat. *T. 6. p.* 391.

Sanctus Auguſtinus L. 1. de adulterinis conjugiis cap. 9. adductam exceptionem, *niſi ob fornicationem*, negativè exponit hoc nimirum ſenſu: Quicunque dimittit uxorem non fornicantem, & aliam ducit, męchatur: qua ſententia non negavit Chriſtus, eum quoque męchari qui adultera uxore dimiſſa duxerit aliam; ſed hoc pretermiſſo, quod vix intelligere ac ferre tunc poterant Phariſæi, id tantùm quod majus & certius erat, & eorum reprehenſioni minùs obnoxium, expreſſit, nempe mœchari eum qui dimittit uxorem non adulteram, & aliam ducit: quamquam & męchatur quoque qui dimiſſa fornicaria cum alia copulatur, ſed longè graviùs peccat alter, qui non adulteram dimittit & aliam ducit. *Credo*, inquit S. Auguſtinus loco citato, *quia illud quod majus eſt, hoc Dominus commemorare voluit. Majus enim adulterium eſſe quis negat, uxore non fornicante dimiſſa, alteram ducere, quàm ſi fornicantem quiſque dimiſerit, & tunc alteram duxerit? Non quia & hoc adulterium non eſt; ſed quia minus eſt, ubi fornicante dimiſſa altera ducitur.* Ita S. Auguſtinus nodum implicatiſſimum ſolvit.

Ibid. G.

Inſtabis 1. Si clauſula exceptiva, *niſi ob fornicationem*, in verbis Chriſti citatis referri tantùm debeat ad verbum *dimiſerit*, & non ad *duxerit aliam*, duo ſequentur abſurda. Primum, nulla alia de cauſa, præterquam fornicationis, poſſe uxorem à viro dimitti, etiam quoad uſum conjugii & cohabitationem; nullam enim aliam Chriſtus expreſſit cauſam: atqui tamen nemo negaverit, poſſe ob plures alias graves cauſas virum ab uxore ſeparari. Alterum abſurdum eſt, quòd ſi de ſola dimiſſione quoad uſum conjugii & cohabi-

tatio-

Digitized by Google

tationem, Chriſtus loquutus dicatur, ejus reſponſio minimè fuit appoſita & accommodata Judæorum interrogationi: iſti etenim de dimiſſione quoad vinculum, quam ſolam noverant, & quam licitam ipſis fecerat Moyſes, Chriſtum interrogaverant.

Reſp. nego utrumque iſtud abſurdum ſequi ex reſponſione Chriſti.

Non primum: Namque qui unam cauſam dimiſſionis memorat, non alias propterea excludit; ſed unam fornicationem voluit Chriſtus deſignare, tùm quia præcipua eſt & capitalis veluti cauſa ſeparationis ab uſu conjugii; tùm quia ea de cauſa poteſt vir ab uxore perpetuò ſeparari; tùm denique quia ſic voluit carpere pravam Judæorum conſuetudinem, qui nullis aut leviſſimis de cauſis uxores ſuas dimittebant.

Non ſecundum: Chriſti etenim reſponſio appoſita omnino eſt ad interrogata Phariſæorum, ſapientia & æquitate plena. Duo quippe involvebat iſtorum interrogatio; primum, an liceret quacunque ex cauſa dimittere uxorem: ſecundum, an ea dimiſſa liceret alteram ducere. Ad primum reſpondet Chriſtus, non licere quacunque ex cauſa dimittere uxorem, ſed ex cauſa graviſſima, qualis eſt inter cæteros fornicatio, quam unam appellat, ut pote præcipuam; cæteris tamen non excluſis, ſi graves fuerint, nòn verò leves. Ad ſecundum reſpondet, etiam dimiſſa propter fornicationem uxore, non licere alteram ducere: qua ſua reſponſione revocavit Chriſtus licentiam à Moyſe conceſſam. Hunc reſponſionis Chriſti ſenſum eſſe, haud dubiè intellexerunt ejus Diſcipuli: ſtatim enim illius difficultate permoti Chriſto objiciunt apud S.Matth. cap. 19. v. 10. *Si ita eſt cauſa hominis cum uxore, non expedit nubere*. Quibus hoc unum repoſuit Chriſtus: *Non omnes capiunt verbum hoc, ſed quibus datum eſt*. Innuens ſcilicet debere virum, qui adulteram dimiſit, aut cum ea reconciliari, juxta monitum Apoſtoli, aut ſe continere quamdiu illa vivit: quod certè non ſapit vixque intelligit carnalis Judæorum animus, non tamen impoſſibile eſt, ſed paucis datum. *Sunt enim*, addit ibid. Chriſtus, *Eunuchi qui ſe caſtraverunt propter regnum Cælorum*.

Inſtabis 2. Lex Chriſti neminem cogit ad perpetuam continentiam, quæ paucis data eſt; at ſi non liceret viro, dimiſſa uxore adultera, ducere aliam, cogeretur ad perpetuam ea vivente continentiam.

Reſp. 1. diſt. maj. Lex Chriſti neminem cogit ad perpetuam continentiam directè & per ſe, concedo: indirectè & quaſi per accidens, nego. Sic v. g. qui perpetuam vovit continentiam, aut cum vitæ ſtatum ſponte ſelegit in quo ſervari illa debet, profectò indirectè ſaltem & per accidens lex Chriſti hunc ad continentiam obſtringit: hoc modo cœlibem vitam tenentur agere qui ſacros Ordines ſuſcipiunt, aut Religionem ſolemniter profitentur. Ita pariter qui uxorem ſuam dimittit propter adulterium, aut tenetur ſe continere, aut ſi non poteſt, redire ad uxorem & cum illa reconciliari. Imò ſi uſu uxoris ex aliqua neceſſitate privatur, v.g. infirmitate perpetua, vel abſentia diuturna, non poteſt ille accedere ad aliam, ſed aſſiduis orationibus ac piis operibus à Deo poſtulandum eſt donum continentiæ.

Reſp. 2. falſam eſſe abſolutè minorem propoſitionem: ſi enim non poteſt vir ille ſe continere, paratum habet remedium, quod ſuppeditat S.Paulus, nempe ut cum uxore *reconcilietur*, ac condonet ipſi delictum ſuum,

ſicut

ſicut optamus ut noſtra nobis Deus condonet: Ita hortantur SS. Patres, ut non tam faciles ſint viri in dimittendis ſuis uxoribus, ne fortè carnis tentationibus ſuccumbant.

Inſtabis 3. Adulterium deſtruit illam carnis unitatem in qua poſita eſt natura Matrimonii, juxta iſtud, *Erunt duo in carne una*. Ergo per adulterium diſſolvitur vinculum conjugale.

Reſp. eſſentiam Matrimonii in facto, ut dicitur, eſſe, conſiſtere in illo nexu ſeu vinculo perpetuo quod reſultat ex conſenſu interno & pactione externa, unitatem verò carnis, mutuam traditionem corporum & alia hujuſmodi, eſſe effectus aut proprietates conſequentes, quas lædit quidem adulterium dum violat jus conjugale, ſed non propterea vinculum ipſum deſtruit. Quamquam etſi concederetur per conjunctionem illam in unitate carnis perfici Matrimonium, non tamen rectè inferretur diſſolvi vinculum conjugii, quando per adulterium caro dividitur, ſed tantùm diſſolvi ſocietatem thori: quemadmodum etſi conſenſus mutuus efficiat Matrimonium, non tamen poſtquam perfectum eſt, diſſolvi poteſt ex mutuo conſenſu.

Inſtabis 4. Adulterium contrarium eſt triplici bono conjugii, nempe fidei, quam violat; proli, quam facit incertam; ſacramento, cujus lædit ſignificationem; ergo vinculum conjugale diſſolvit.

Reſp. nego conſequentiam. Vinculum enim conjugale ab his mox enumeratis diſtinguitur, quibus violatis, integrum & firmum perſeverat.

Inſtabis 5. Fornicatio ſpiritualis, hoc eſt infidelitas, diſſolvit Matrimonium; ſi enim infidelis conjux nolit pacificè habitare cum fideli, poteſt iſte ad alias nuptias tranſire: quidni igitur & fornicatio corporalis idem poterit?

Reſp. nego conſequentiam & parit. cujus non alia reddi poteſt ratio, quàm divina voluntas, quæ in gratiam fidei permiſit in caſu adducto ſecundas nuptias, quas omnino prohibet in cauſa adulterii.

Objicies 2. longam Scriptorum eccleſiaſticorum ſeriem quam texit Launojus in Tractatu de Regia in Matrimonium poteſtate parte 3. art. 1. c. 5. pag. 452. & ſeq.

Reſp. 1. Scriptorum, quos congerit Launojus, majorem longè partem dogmati catholico tam apertè favere, ut mirum ſit eos ab ipſo appellari potuiſſe, niſi fortè ut contradictionis eos argueret, aut ignorantiæ in vera Traditione cognoſcenda, quod aliquando inverecundè fecit Launojus. Ex eo numero ſunt præſertim Tertullianus, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, Innocentius I. Primaſius, Gregorus I. Beda, Paſchaſius Radbertus, Chriſtianus Drutmarus & alii, quorum verba legenti attentiùs videbuntur contrariam planè referre Traditionem ab ea quam fingit Launojus.

Reſp. 2. inter illos Scriptores multos eſſe, qui nudè relatis Chriſti verbis apud S. Matth. c. 19. non aliud planè dicunt, niſi non licere, excepta cauſa fornicationis uxorem dimittere & aliam ducere: atqui hi non alio modo ſunt exponendi, quàm verba Chriſti, nempe de dimiſſione quoad thorum & cohabitationem. Ita SS. Hilarius, Lactantius, Iſidorus &c.

Reſp. 3. inter illos Scriptores nonnullos eſſe, præſertim ex Græcis, qui circa præſens argumentum obſcuri & incerti videntur, quales diximus videri Origenem, S. Baſilium, S. Epiphanium, ex quorum proinde verbis vix quidquam inferas vel contra, vel pro dogmate catholico. Quamquam

quam

quam etſi conſtaret certò eos hac in parte à vero aberraſſe, nullum inde pateretur detrimentum cauſa catholica, quæ tot aliunde teſtes habet & vindices: quis enim neſcit in aliis nonnullis fidei catholicæ capitibus aliquos è SS. Patribus aberraſſe aliquando, integra ſemper remanente Traditionis ſerie ac fidei doctrina?

Reſp. 4. aliquos revera eſſe, qui à vero hìc aberrant, ut Aſterius Amaſenus Epiſcopus, Theodoretus, Juſtinianus & alii recentiores Græci, in quorum proinde teſtimoniis ad ſenſum benigniorem adducendis fruſtra laboratur.

Reſp. 5. aliquos eſſe quorum verba inſigniter adulteravit Launojus, ut quod vellet, ex iis eliceret. Tale eſt imprimis teſtimonium Joannis VIII. pag. 488. *Joannes VIII.* inquit, *qui ab anno* 873. *uſque ad ann.* 882. *Romanam gubernavit Eccleſiam, in Epiſtola* 65. *ad Ederedum Gentis Anglorum Archiepiſcopum ſic loquitur: His autem quos aſſeris uxores proprias contra præceptum Domini relinquere; præcipimus neque virum ab uxore, neque uxorem à viro, niſi cauſa fornicationis diſcedere: quòd ſi ob aliud diſceſſerit, manere innuptum, vel innuptam, aut ſibi mutuò reconciliari; quoniam dicente Domino, Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet. Et ideo cùm priorem legitimo ſibi Matrimonio junctam quiſquam deſerere nequeat, illi conceditur aliam vivente priore conducere. Quid clarius & expreſſius?* exclamat hìc Launojus. Ita certè; ſed ut fraus ac mala fides Launoji in apertam lucem erumpat. Si enim verba Joannis VIII. ſincerè retuliſſet, nihil clarius & expreſſius potuiſſet adduci ad demonſtrandam omnimodam Matrimonii indiſſolubilitatem, etiam adulterii cauſa: ſic enim legi debent, ut extant Tomo 9. Conc. p. 52. *Et ideo cùm priorem legitimo ſibi Matrimonio junctam quiſquam deſerere nequeat, nulla ratione prorſus illi conceditur aliam vivente priore conducere.* Tria hæc verba, *nulla ratione prorſus*, pro ſuo candore ſuppreſſit Launojus, quæ tamen rectè cohærent cum prioribus.

Reſp. denique, alios eſſe quorum teſtimonia videntur aliquam præſeferre difficultatem, quæ proinde exponi à nobis debent.

Objicies itaque 3. S. Ambroſium Comment. in cap. 7. prioris ad Corinth. ubi affirmat diſparem eſſe viri & mulieris conditionem; virum quidem poſſe, uxore adultera dimiſſa, ducere aliam; id verò mulieri non licere: quod quidem diſcrimen conſuetudine inductum fuiſſe obſervat S. Baſilius à nobis ſuperiùs laudatus.

S. Ambroſius. *Tom. 2. Append. p.* 133. E. F.

Reſpondent multi, Commentarios illos in Epiſtolas S. Pauli non eſſe S. Ambroſii, ſed Hilarii Romani Diaconi factionis Luciferianæ, quem in ſuo Dialogo notavit S. Hieronymus, cujus proinde auctoritas non tantì facienda eſt.

Reſpondent alii, commodè poſſe exponi iſtud teſtimonium, nempe de licentia per Legem civilem data, non verò per Legem eccleſiaſticam, quæ uſum illum ſemper improbavit, ſicut fatetur S. Ambroſius, tùm L. de Abraham c. 4. & 7. tùm L. in Lucam c. 16.

Objicies 4. quamdam Synodum S. Patricii c. 26. ubi dicitur, *non licere viro dimittere uxorem, niſi ob fornicationem; ac ſi dicat, ob hanc cauſam: unde ſi ducat alteram velut poſt mortem prioris, non vetant.*

Synodus S. Patricii. *Tom. 3. Conc. p.* 1485. A.

Reſp. aut iſtud *non vetant*, debere intelligi de Lege civili, non verò eccleſia-

cleſiaſtica; aut hanc Synodum dubiæ prorſus eſſe fidei, cujus annus non conſignatur.

Lactantius. Objicies 5. Lactantium L. 6. cap. 23. divinarum inſtitutionum ubi ait, *adulterum eſſe, qui præter cauſam adulterii dimiſſam uxorem duxerit*. Et in Epitome c. 6. *Nunquam*, inquit, *conjugalis fæderis vinculum, niſi quod perfidia ruperit, reſolvatur*. Ergo cenſet Lactantius eum non eſſe adulterum, qui dimiſſam propter adulterium duxerit.

Reſp. ad primum, attendere Lactantium ad Leges civiles quæ contra le-
P. 376. gem Chriſti ſic dimiſſam ab alio duci permittebant. *Non enim*, inquit La-
n. 40. ctantius, *ſicut publici juris ratio eſt, ſola mulier adultera eſt, quæ habet alium; maritus autem etſi plures habeat, à crimine adulterii ſolutus eſt* (nempe Lege civili.) *Sed divina Lex*, pergit, *ita duos in Matrimonium, quod eſt in corpus unum, pari jure conjungit, ut adulter habeatur quiſquis compagem corporis in diverſa diſtraxerit*. Ad ſecundum, dico rectè intelligi poſſe Lactantium de ſolutione quoad thorum & cohabitationem: vinculi quippe nomen in re præſenti, latiùs patet, & pro ſeparatione quoad uſum conjugii non rarò uſurpatur, ut conſtat ex Can. 10. Conc. Forojulienſis mox referendo.

S. Leo. Objicies 6. S. Leonem Epiſtola 87. ad Epiſcopos Africanos cap. 1. ubi Sacerdotem, qui uxore dimiſſa alteram duxerat, ab Ordine dumtaxat ſuo removet, tanquam bigamum, non autem ſignificat irritum fuiſſe Matrimonium, ſed tacendo magis probare videtur.

Reſp. 1. loqui S. Leonem de conjugiis factis ante Ordinationem, ne quis hinc ſuſpicetur Sacerdotibus aliquando permiſſum ab Eccleſia fuiſſe Matrimonium.

Reſp. 2. de validitate aut invaliditate ſecundi hujus Matrimonii nihil pronuntiaſſe S. Pontificem, quia de ipſius dumtaxat Ordinatione interrogatus fuerat, non de ſecundo Matrimonio.

Alcimus Avitus. Obiit an. 521. Bib. PP. T. 9. p. 581. H. Ibid. p. 634. G.

Objicies 7. Alcimum Avitum Viennenſem, qui in Epiſtola ad Anſemumdum n. 49. ait *propter ſolam fornicationem Deum permiſiſſe ſeparari virum à conjuge*, ad quæ verba obſervat Sirmondus, tunc temporis in Gallia perſuaſum fuiſſe, propter fornicationem ſeparari virum ab uxore, & aliam ducere Chriſti permiſſu licuiſſe, quod confirmat ex Can. 2. Conc. Venetici an. 465. in quo dicitur; eos qui relictis uxoribus ſuis, ſicut in Evangelio dicitur, excepta cauſa fornicationis, ſine adulterii probatione, alias duxerint, à communione arcendos eſſe.

Reſp. Avitum rectè poſſe ac debere exponi de ſeparatione quoad thorum & cohabitationem, quæ certè licita eſt ex cauſa adulterii. Gratis autem dicit Sirmondus, in Gallia licitum fuiſſe uxorem adulteram dimittere, & ducere aliam: prius licuit, nuſquam poſterius. Neque contrarium evincit ex Concilio Venetico, cujus hic unicus videtur eſſe ſcopus, reprimere ſcilicet abuſum illorum qui uxores ſuas propter adulterium dimittebant & alias ducebant, antequam juridicè probaſſent reas eſſe uxores ſuas adulterii. Jubet itaque Synodus, ut nullus ea de cauſa uxorem ſuam dimittat, niſi priùs coram Judice eccleſiaſtico probatum ſit crimen, & ab eo ſeparationis ſententia pronuntiata. An verò poſt ſeparationis ſententiam licitum ſit alteram ducere uxorem, non affirmat Synodus; non quòd ignoraret quid ferret Lex Chriſti & eccleſiaſtica conſuetudo, quam nôverat haud dubiè confirmatam

tam

tam fuiſſe in Concilio I. Arelatenſi, ſed quòd neceſſe non erat de re tunc ſtatuere, cùm magis urgeret abuſus alter cui ſine mora erat occurrendum. Vetus Pœnitêtiale Ro. manũ.

Objicies 8. vetus Pœnitentiale Romanum & aliquos Conciliorum particularium Canones, quibus conjugi nocenti ſeu adultero ſpes omnis adimitur alterius conjugii; innocenti verò datur facultas, etiam altero ſuperſtite, ad alias tranſire nuptias. Ita

Pœnitentiale Romanum: *Contingit tibi*, ait, *ut uxor tua, te conſcio & hortante, cum alio viro, illa autem nolente, adulterium perpetraret: ſi feciſti, quadraginta dies in pane & aqua pœniteas, & ſeptem annos, unum ex his in pane & aqua, & nunquam ſis ſine pœnitentia. Sin autem uxor tua hoc probare potuerit, quòd tua culpa & tuo juſſu, ſe renuente & luctante, adulterata ſit, ſi ſe continere non poteſt, nubat cui voluerit, tantùm in Domino: tu autem ſine uxoria ſpe in perpetuum maneas. Illa autem ſi conſentiens fuerat, eadem jejunet, quæ tibi propoſita ſunt, & ſine ſpe conjugii maneat.*

Idem ſancitum legimus à Concilio Vermerienſi ann. 752. Can. 5. *Si qua*, inquit, *mulier mortem viri ſui cum aliis hominibus conſiliavit, & ipſe vir ipſius hominem, ſe defendendo, occiderit, & hoc probare poteſt, ille vir poteſt ipſam uxorem dimittere, & ſi voluerit, aliam accipiat.* Et Can. 9. *Si quis neceſſitate inevitabili cogente in alium Ducatum ſeu Provinciam fugerit, aut ſeniorem ſuum, cui fidem mentiri non poterat, ſecutus fuerit, & uxor ejus, cùm valet & poteſt, amore parentum aut rerum ſuarum, eum ſequi noluerit, ipſa omni tempore, quamdiu vir ejus, quem ſecuta non fuit, vivit, ſemper innupta permaneat. Nam ille vir ejus, qui neceſſitate cogente in altum locum fugit, ſi ſe abſtinere non poteſt, aliam uxorem cum pœnitentia poteſt accipere.* Conc. Vermerienſe. *Tom. 6. Conc. p.* 1657. E. Vermeriũ Palatium Regium in agro Sueſſio. nenſi.

Idem quoque habemus ex Concilio Compendienſi an. 757. Can. 8. *Si quis homo*, inquit, *habet mulierem legitimam, & frater ejus adulteravit cum ea, ille frater, vel illa femina, qui adulterium perpetraverunt, interim quo vivunt, nunquam habeat conjugium. Ille cujus uxor fuit, ſi vult, poteſtatem habet accipere aliam.* Idem alio in caſu non abſimili permittitur Can. 14. Et Can. 16. dicitur. *Si vir leproſus mulierem habeat ſanam, ſi vult ei donare commeatum ut accipiat virum, ipſa femina ſi vult, accipiat. Similiter & vir.* Nonnulli alii in rem eandem laudantur Canones à Gratiano cauſa 27. q. 2. & cauſa 31. q. 1. & cauſa 23. q. 8. *Ibid. p.* 1658. C. Conc. Cõpendienſe. *Ibid. p.* 1696. B. *Ibid. p.* 1697. B.

Neque hic reponi poteſt, licentiam fieri conjugi innocenti tranſire ad alias nuptias, mortuo conjuge reo. Namque citatis Canonibus ſtatuitur diſcrimen inter innocentem conjugem, & reum: at ſi innocenti daretur facultas contrahere cum altera poſt mortem dumtaxat prioris conjugis nocentis, nullum planè foret diſcrimen; reo enim perinde ac innocenti, ſoluto per mortem vinculo, ſemper licitum fuit ad alia vota commigrare. Adde quòd citati Canones indulgere aliquid videantur in gratiam conjugis innocentis, qui ſe non poteſt continere: at nulla foret indulgentia, ſi ſupponatur poſt mortem tantùm alterius conjugis data ipſi facultas ad alias nuptias; hoc quippe jure communi licitum ſemper fuit, nec gratiæ & indulgentiæ tribui debet. Præterea, quare citatus Canon 9. Vermerienſis ſub conditione pœnitentiæ permittit viro propter neceſſitatem in alium locum fugienti & ab uxore ſua derelicto, aliam ducere? Quare, inquam, pœnitentiam huic

viro injungit, ſi ſupponat virum hunc cum altera conjungi poſt mortem dumtaxat prioris? Neque enim propterea videtur ille ſubjiciendus pœnitentiæ, cùm hac in parte nihil ab ipſo peccatum ſit: è contra verò meritò pœnitentiæ ſubjicitur, ſi vivente adhuc ſua uxore, quæ ipſum ſequi noluit cùm poſſet, alteram ducit; iſtud quippe non tanquam bonum, ſed minus malum tolerandum eſſe aut permittendum inſinuat laudatus Canon.

Uxor adultera in pęnā criminis excluditur ab omni ſpe cõjugii, etiã poſt mortẽ viri.

Reſp. totum diſcrimen quod in citatis Canonibus ſtatuitur inter conjugem innocentem & reum, in eo eſſe poſitum, quòd nempe conjux innocens poſſit poſt mortem dumtaxat alterius conjugis, ad ſecundum, ſi voluerit, tranſire Matrimonium; ipſe verò nocens & reus, etiam mortuo conjuge innocente, in pœnam ſui criminis reliquum vitæ abſque ſpe Matrimonii tranſigere tenetur. Ita legimus ſtatutum capitulo 10. Conc. Forojulienſis an. 791. *Placuit*, ajunt Patres hujus Synodi, *ut reſoluto fornicationis cauſa jugali vinculo, non liceat viro, quamdiu adultera vivit, aliam uxorem ducere, licèt ſit illa adultera; ſed nec adulteræ, quæ pœnas graviſſimas vel pœnitentiæ tormentum luere debet, alium accipere virum, nec vivente, nec mortuo, quem non erubuit defraudare, marito.* Idem expreſsè ſtatuit Concilium Triburienſe ann. 895. Can. 43. 44. 45. & 46. Norunt in Diſciplina veteris Eccleſiæ verſati, pœnitentibus ob gravia quædam crimina denegandam aliquando facultatem uxorem ducendi, ſicut manifeſtè colligimus ex Epiſtola 92. S. Leonis cap. 12. & ex ipſo veteri Pęnitentiali Romano, quod hìc nobis opponitur. Hæc inter cætera refert Antonius Auguſtinus, *Vinum & medonem* (potionis genus quod aquam mulſam appellamus, Græci hydromel) *& emelitam cerviſiam nunquam bibas, uxorem ne ducas, concubinam non habeas, abſque conjugio in perpetuò maneas.* Hæc pœnitentibus in vindictam graviorum criminum imponebantur; mulieri igitur adulteræ, etiam poſt mortem mariti, non licebat aditus ad alias nuptias. Hunc diſciplinæ rigorem temperavit poſtea Alexander III. in Appendice Conc. III. Lateran. parte 12. cap. 4.

Tom. 7. Concil. p. 1005. E.

T. 9. Conc. p. 462. & ſeq.

Titulo 1. c. 2.

T. 10. Conc. p. 1610.

Nec te moveat quòd Canon Vermerienſis nonus ſubjiciat pęnitentiæ ipſum virum cui alias permittit nuptias: ex dictis enim antea patet: ſecundò nubentibus propter continentiam fuiſſe impoſitam pęnitentiam.

Ad Canonem 16. Compendienſem dicendum eſt, vel in caſu propoſito conſummatum non fuiſſe Matrimonium, ob impotentiam perpetuam ex lepra provenientem, reſpectivè ſaltem ad talem mulierem; quo caſu declarat Canon nullum eſſe prius Matrimonium, atque licere ad ſecundum tranſire: vel ſaltem Concilium loqui de licentia per Leges civiles conceſſa, per quas certum eſt novum, priore durante, aut ſaltem diſſoluto, permitti conjugium, vel propter ſervitutem alterius conjugis, vel propter diuturnam abſentiam, vel propter morbum, vel propter deportationem, vel ex mutuo conſenſu, ſeu, ut dicitur, *ex bona gratia*. Lege Pontium L. 9. c. 1.

Objicies 9. auctoritatem Gregorii II. qui ad ann. 726. Sedi Apoſtolicæ præfuit. Hic in Epiſtola 14. quæ eſt ad Bonifacium, diſſoluto propter infirmitatem mulieris conjugali nexu, viro poteſtatem facit ducendi alteram.

Gregorius II.

Verùm quid ad hocce teſtimonium ſit reſpondendum, diximus ſuprà, ubi de polygamia ſimultanea, Concluſione tertia. Conſule.

Clemẽs III.

Objicies 10. Clementem III. S. P. qui ad an. 1190. Eccleſiæ Romanæ clavum

vum tenebat, in Decretali *Laudabilem*, permiſit ſolvi Matrimonium, & aliud contrahi propter hæreſim alterius conjugis. Ita refert æqualis Clementi Robertus Corzon in Summa, quæſtione de impedimentis Matrimonii, ex manuſcripto codice Cœnobii S. Victoris ad Lutetiam. Ita quoque teſtatur Innocentius III. in L. 4. Decretalium titulo 9. *De divortiis*, cap. 7. ad Ferrarienſem Epiſcopum.

Verùm facilè reſpondetur, reipſa deceptum fuiſſe Clementem, ſi exiſtimavit penes ſe eſſe diſſolvere propter hæreſim Matrimonium, unde Innocentius III. mox citatus contrarium declaravit, & Synodus Tridentina Seſſ. 24. Can. 5. anathemate damnat eos qui dicunt diſſolvi propter hæreſim vinculum Matrimonii.

Objicies denique Hincmarum Rhemenſem, qui in Libro de divortio Lotharii & Tetbergæ, interrogatione 21. ait, *legaliter initum conjugium aliquando diſſolvi cauſa infidelitatis . . . . quæ disjunctio inter Fideles poſt initum conjugium fieri non poteſt, niſi cauſa fornicationis, & amore continentiæ.* Eandem igitur disjunctionem conjugii inter Fideles licitam eſſe putat Hincmarus cauſa fornicationis, quam inter Infideles propter obſtinatam unius infidelitate perſeverantiam, & alterius converſionem ad fidem: at certum eſt diſſolvi quoad vinculum Matrimonium in infidelitate contractum, quando unus conjux ad fidem convertitur, alter verò in infidelitate remanens non vult pacificè & ſine contumelia Creatoris habitare cum fideli. *Hincmarus. T. 1. p. 669. & ſeq.*

Reſp. nego conſequens. Neque enim mens Hincmari eſt parem facere conditionem Matrimonii Fidelium & Infidelium, quaſi poſſit diſſolvi inter Fideles cauſa fornicationis, ſicut diſſolvitur inter Infideles in gratiam fidei; ſed hoc unum dumtaxat vult, nempe disjunctionem ſeu ſeparationem licitam non eſſe inter Chriſtianos, niſi cauſa fornicationis aut continentiæ: hæc verò disjunctio ſeu ſeparatio ſolùm ſpectat uſum Matrimonii & cohabitationem, non ipſum vinculum, etiam ubi intervenit cauſa fornicationis. Quemadmodum enim non ſolvitur conjugale vinculum, cùm ex amore continentiæ conjuges ſeparantur; ita quoque non ſolvitur, cùm ſeparantur ex fornicationis cauſa: utrumque enim iſtud conjungit Hincmarus, *niſi cauſa fornicationis*, inquit, *aut amore continentiæ*.

An Matrimonium Chriſtianorum ratum & non conſummatum ſolvatur quoad vinculum per ſolemnem Religionis profeſſionem, & quo jure: quidve ſit obſervandum, cùm ante conſummationem alter conjugum tranſit ad Religionem.

Senſus quæſtionis eſt, utrum poſt validè contractum Matrimonium, antequam carnali uſu ſeu conjunctione conſummetur, poſſit unus conjux ſolemniter Religionem profiteri altero invito; & iſte liber factus poſſit ad alia vota ſe conferre.

Negant Novatores, Catholici verò affirmant, quamvis ſint diſcordes in aſſignando jure unde repeti debet prædicta licentia. Alii enim ipſamet natura Profeſſionis religioſæ diſſolvi ajunt Matrimonium ratum & non conſummatum; alii à ſolo jure eccleſiaſtico; alii à divino poſitivo id fluere arbitrantur, de quibus Sanchez L. 2. de Matr. diſput. 19. Pontius L. 9. c. 5.

Ob. an. 1583. Maldonatus Tractatu de Matrimonio cap. *6.* tam implicatum ac difficile ſenſit præſens argumentum, ut poſtquam expoſuit omnia momenta quæ videntur probare Matrimonium ratum, quamquam non conſummatum, diſſolvi nullatenus poſſe, non diſſimulaverit tantam ſibi videri horum momentorum vim, ut nullam poſſint habere reſponſionem, *niſi*, inquit, P. 475. A. *aut concedatur Matrimonium ratum & nondum conſummatum non eſſe verum Matrimonium, & verum Sacramentum; aut certè Eccleſiam ita exiſtimaſſe, cùm decrevit licere poſt Matrimonium ratum conferre ſe ad Religionem, altero conjuge invito, & licere alteri adire alias nuptias.* Verùm pace doctiſſimi Theologi dixerim, non ſatis ipſum maturè attendiſſe ad Canonem Tridentinum mox citandum, quem vanum & inutilem reddit. Si enim exiſtimaſſet Eccleſia Matrimonium ratum & nondum conſummatum non eſſe verum Matrimonium & verum Sacramentum, in vanum laboraſſet ut definiret adversùs Hæreticos, diſſolvi illud poſſe per ſolemnem Religionis profeſſionem: quod enim non eſt verum Matrimonium, quomodo diſſolvi poteſt? ubi quippe nullum vinculum, ibi nulla ſolutio.

T. 2. p. 358. col. 2. B. Eſtius in 4. diſt. 27. paragr. 5. occaſione præſentis controverſiæ, profectò graviſſimæ, ſcripſit non omnes nodos quæſtionum, quæ ſpectant Matrimonium, ſatis adhuc evolutos & explicatos eſſe.

CONCLUSIO.

Matrimonium ratum & non conſummatum dirimitur quoad vinculum per ſolemnem Religionis profeſſionem.

T. 14. Conc. p. 875. A. Ita definivit Synodus Trid. Seſſ. 24. Can. *6.* *Si quis dixerit, Matrimonium ratum, & non conſummatum, per ſolemnem Religionis profeſſionem alterius conjugum non dirimi; anathema ſit.*

T. 3. p. 761. Definitionem hanc impugnant Novatores; ſugillat ipſe Suavis apud Pallavicinum L. 23. Hiſtoriæ Conc. Trid. cap. 9. num. 7. & ex noſtris aliqui ſubleſto nixam eſſe fundamento inſuſurrant. Anathemati hujus Canonis repugnaſſe Cardinalem Lotharingium cum aliis pluribus, narrat citato c. n. *6.* Pallavicinus.

Impugnari ab Hæreticis Canonem Tridentinum, mirum videri non debet; quid enim aliud ſperes ab infenſis Eccleſiæ hoſtibus? At Catholicis, apud quos firma & inconcuſſa eſſe debet Eccleſiæ in Synodo Tridentina convocatæ auctoritas, tenui & ſubleſto ſubnixam videri fundamento definitionem hanc, res eſt & Orthodoxis inaudita, & Hæreticis Concilii Tridentini obtrectatoribus perjucunda, quaſi potuerit Eccleſia novum aliquod invehere dogma, cujus certam non habuerit in verbo Dei aut ſcripto, aut tradito probationem. Et quamquam deeſſet (quod falſum eſt) Traditio ſcriptis conſignata, ſufficeret tùm uſu ipſo continuo, tùm vivæ vocis oraculo ad nos conſtanter perducta; neque enim Patribus Tridentinis nova affulſit revelatio. Cùm igitur nec ſit diviſus, nec ſibi contrarius, qui Tridentino Concilio præfuit, divinus Spiritus, in omnibus æqualiter firma eſt ac retinenda ejus auctoritas; & totam illam ſubvertit funditus, qui vel in uno Canone ad doctrinam ſpectante eam infirmare ac labefactare aggreditur.

Induo-

In duobus autem potiſſimùm deprehenditur Traditio dogmatis Canone Tridentino definiti: primò in Reſcriptis SS. Pontificum: ſecundò, in veteribus & approbatis exemplis eorum qui ante amplexus conjugales vitam religioſam & continentiam publicè profeſſi, conjugi in ſæculo remanenti facultatem reliquerunt transferendi ſe ad alias nuptias.

Probatur itaque 1. Concluſio noſtra SS. Pontificum Reſcriptis.

Alexander III. in Conc. III. Lateranenſi an. 1179. in Appendice parte 5. cap. 1. *Poſt conſenſum illum legitimum de præſenti datum*, inquit, *licitum eſt alteri, altero etiam repudiante, monaſterium eligere, ſicut quidam Sancti de nuptiis vocati fuerunt; dummodo inter eos carnis commixtio non intervenerit. Et alteri remanenti, ſi commonitus ſervare noluerit continentiam, licitum eſſe videtur ut ad ſecunda vota tranſire poſſit. Quia cùm non fuiſſent una caro effecti, poteſt unus ad Dominum tranſire, & alter in ſæculo remanere.* Duo hìc agit S. Pontifex. 1. definit quod hìc nos contendimus; tùm definitionis ſuæ rationes & fundamenta aſſignat, nempe ex una parte exempla Sanctorum, & ex altera, quia ante conſummationem conjuges non ſunt una caro: verba etenim iſta Scripturæ, *Erunt duo in carne una*, quæ omnimodam efficiunt conjugalis vinculi indiſſolubilitatem, intelligenda dumtaxat eſſe de Matrimonio conſummato ſuggerit Alexander III. (Ob. an. 1181. T. 10. Conc. p. 1569. C. D.)

Idem rurſus confirmat eadem parte cap. 8. ubi Epiſcopo Brixienſi ſic reſpondet: *Quia præfata mulier, licèt à præfato viro deſpenſata fuerit, adhuc tamen, ſicut ipſa aſſerit, ab ipſo eſt incognita: fraternitati tuæ mandamus, quatenus, ſi ſupra dictus vir mulierem ipſam carnaliter non cognovit, & eadem mulier, ſicut ex parte ſua nobis proponitur, ad Religionem tranſire voluerit, recepta ab ea ſufficienti cautione, quòd vel ad Religionem tranſire, vel ad virum ſuum redire, infra duorum menſium ſpatium debeat, ipſam . . . . abſolvas &c.* Et mox: *Sanè quod Dominus in Evangelio dicit, Non licèt viro uxorem ſuam, niſi cauſa fornicationis, dimittere, intelligendum eſt, ſecundùm interpretationem ſacri Eloquii, de his, quorum Matrimonium eſt carnali copula conſummatum.* (Ibid. p. 1571. C.)

His non abſimilia repetit idem S. Pontifex parte 50. c. 30. & 41. (Ibid. p. 1722. A. & p. 1726. C.)

Innocent. III. Cap. *Ex parte, De converſione conjugatorum. Nos*, inquit, *inquiſitioni tuæ taliter reſpondemus, quòd etſi poſſit non inconſultè videri, quia ex quo Matrimonium inter legitimas perſonas per verba de præſenti contrahitur, illis viventibus in nullo caſu poſſit diſſolvi, ut vivente reliquo, alter ad ſecunda vota tranſmigret; etiamſi unus fidelium, inter quos eſt ratum conjugium, fieret hæreticus, & nollet permanere cum altero ſine injuria creatoris: niſi fortè fieret ex revelatione divina quæ ſuperat omnem legem, ſicut à quibuſdam ſanctis legitur eſſe factum. Nos tamen nolentes à prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis declinare, qui reſpondere conſulti, antequam Matrimonium ſit per carnalem copulam conſummatum, licere alteri conjugum, reliquo inconſulto, ad Religionem tranſire, ita quòd reliquus ex tunc legitimè poterit alteri copulari.* (Ob. an. 1216. Decret. p. 1267. n. 20.)

Gregorius Magnus à Gratiano citatus cauſa 27. qu. 2. Cap. *Decreta*, idem ſtatuerat: *Decreta legalia*, inquit, *deſponſatam, ſi converti voluerit, nullo omnino cenſuerunt damno mulctari.* (Ob. an. 604. Gratian. p. 1521. n. 10.)

Mitto hìc auctoritatem Euſebii S. P. an. 309. quam refert idem Gratianus

cauſa 26. q. 2. Cap. *Deſponſatam*, quòd nempe viris eruditis ſuſpectæ admodum & dubiæ fidei videtur illa Euſebii Epiſtola.

Neque dicas mox adducta Decreta recentiorum eſſe SS. Pontificum, qui in gratiam Monachorum jus illud novum induxerunt, cujus nullum extat veſtigium in antiquis prioris antiquitatis monumentis. Namque 1. S. Gregorius Magnus hic appellatus quinto floruit Eccleſiæ ſæculo. 2. jus illud, non tanquam novum & à ſe primùm excogitatum, ſed à prædeceſſoribus ad ſe continua Traditione tranſmiſſum proponunt ac confirmant. 3. illud colligunt ex antiquis & approbatis Sanctorum exemplis quæ mox referemus.

[*Bellarm. L. de Monachis cap. 38. Eſtius in 4. d. 27. p. 4.*] Probatur itaque 2. Concluſio veteribus Sanctorum exemplis. Plura paſſim referuntur, hæc illuſtriora nobis ſufficient.

Primum, & quidem antiquiſſimum, cùm ſit primi ſæculi, eſt ſanctæ Theclæ, quæ teſtibus S. Ambroſio L. 2. de virginibus cap. 3. & Methodio in convivio virginum, & S. Epiphanio hæreſi 78. magiſtrum ac præceptorem habuit S. Paulum. *Hæc*, ait S. Epiphanius citata hæreſi 78. num. 16. *cùm in Paulum incidiſset, pactas nuptias diſſolvit, cùm primario cuidam civitatis* [T. 1. p. 1048. C.] *totius, ac longè diviti, nobiliſſimo ſplendidiſſimoque deſponſa jam fuiſſet. Verùm terrena ideo ſancta illa contempſit, ut cœleſtium compos eſſe poſſet.* Et S. [T. 2. p. 167. A.] Ambroſius loco mox citato, *Thecla*, inquit, *copulam fugiens nuptialem, & ſponſi furore damnata, naturam etiam beſtiarum virginitatis veneratione mutavit*. Tam illuſtre fuit tamque omnibus compertum hoc exemplum, ut Fauſtus ipſe Manichæus illud proferat apud S. Auguſtinum L. 30. contra ipſum cap. 4. *Paulus*, inquit, *Theclam oppignoratam jam thalamo, in a-* [T. 8. p. 446. F.] *morem ſermone ſuo perpetuæ virginitatis incendit*. Exemplum non negat quidem S. Auguſtinus, ſed directè infert adversùs Manichæos, virginitatem præferri nuptiis, tanquam majus bonum minori, non autem tanquam malo.

II. Ipſe S. Auguſtinus Libro 8. Confeſſionum cap. 6. narrat duos mi- [T. 1. p. 151. n. 15.] lites, lecta Antonii vita, mox vota monaſtica ſuſcepiſſe, relictis ſponſis quas habebant: quod ubi iſtæ cognoverunt, eandem vitæ rationem amplexæ ſunt.

[T. 2. p. 301. D. E.] III. S. Gregorius Magnus Lib. 3. Dialogorum cap. 14. de virgine Gregoria hæc narrat: *Dum adoleſcentiæ ſuæ tempore conſtitutis jam nuptiis in Eccleſiam fugiſſet, & ſanctimonialis vitæ converſationem quæreret . . . . ſponſum meruit habere in Cœlo, quia ſponſum fugit in terra.*

[P. 1251.] IV. Gregorius Turonenſis L. de vitis Patrum cap. ultimo, refert Leobardum rupto fœdere nuptiali, quod contraxerat cum honeſta puella, Monachum eſſe factum in majori Monaſterio Turonenſi.

Denique, ut alia multa prætermittamus, Venerabilis Beda L. 4. Hiſt. Anglorum cap. 19. aliud non abſimile ſuppeditat exemplum Edildridæ Re- [T. 3. p. 138.] ginæ, quæ Matrimonio juncta, nunquam ſe viro permiſit, quòd nempe vellet Religionem ingredi, quam reipſa ingreſſa eſt; ejuſque corpus poſt mortem à corruptione diu præſervatum fuiſſe narrat Hiſtoricus, Deo ita concedente in ſignum & præmium ſervatæ virginitatis.

Duo adversùs hæc facta excipi poſſunt. Primum, verum & ratum non fuiſſe per verba de præſenti Matrimonium in exemplis modò prolatis, ſed obligatam dumtaxat fidem pro futuris nuptiis, quam fidem in gratiam

Pro-

Profeſſionis religioſæ irritam & caſſam fieri permittunt Canones. Secundum, etſi conſtaret verum & ratum fuiſſe Matrimonium, ex iſtis nihilominus exemplis inferri non poſſet quod volumus, niſi conſtaret, quod certè non conſtat, conjugi in ſæculo derelicto liberum fuiſſe alteri nubere.

At facilè iſta diluuntur. Primum quidem: gratis etenim fingitur ſponſalia dumtaxat fuiſſe pro futuro, non verum & ratum Matrimonium de præſenti; contrarium omnino indicant iſtæ loquendi rationes, *pactæ*, *conſtitutæ nuptiæ*; *thalamo oppignorata mulier &c.* Nec te moveat quòd ſponſi & ſponſæ nomine non raró appellantur, non autem ſemper conjuges, ii de quibus præfata exempla; & quòd ſtatim non fuerit conſummatum Matrimonium. Namque 1. conjuges ante conſummationem, quamquam vero conjuncti Matrimonio ſponſi & ſponſæ nomine appellari ſolent in Jure canonico Cap. *Ex publico*. Cap. *Cariſſimus*. Cap. *Ex parte tua. De converſione conjugatorum.* Ita B. Virgo ſponſa dicitur Joſephi, etſi verè uxor, ſed ab ipſo nuſquam carnaliter cognita. 2. Etſi conjuges fœdere conjugali jam colligati, non tamen ſtatim conveniebant, ſed rectè obſervat S. Auguſtinus L. 8. Confeſſ. cap. 3. *inſtitutum olim fuiſſe ut ſponſæ jam pactæ citò viris non tradantur*, *ne*, inquit, *vilem habeat maritus datam, quam non ſuſpiravit ſponſus dilatam*. Alterum pariter non urget: quamquam enim in citatis exemplis non legamus derelictum conjugem ad alias convolaſſe nuptias, id tamen ipſi licitum fuiſſe, certò colligimus, tùm quia rupto ſemel vinculo, liber eſt qui in ſæculo remanet: tùm quia SS. Pontifices antea citati iis ipſis innixi, quæ adduximus, exemplis, expreſsè declarant relictum conjugem poſſe, ſi voluerit, alteras celebrare nuptias. *Tom. 1 p. 147 F.*

Concluſionem noſtram ſolent Theologi nonnullis rationum momentis confirmare, quæ, ut nihil diſſimulemus, præciſa & ſecluſa Dei voluntate, certam & firmam hìc non efficerent probationem, ſicut eas ſedulò expendenti patebit.

Prima ratio eſt, quia ſemper licitum fuit de ſtatu minùs perfecto gradum facere ad perfectiorem, modò nulla cuiquam fiat injuria: atqui ſtatus Religionis perfectior eſt ſtatu conjugali; nulli autem fit injuria, ſi alter conjugum ante conſummationem vota monaſtica ſolemniter profiteatur. Cui enim fieret? non proli, quæ nulla eſt: non derelicto conjugi, qui liber eſt ac ſolutus.

Verùm ratio hæc à divino ſecluſa privilegio non videtur per ſe firma & efficax. 1. quia ſtatus Religionis perfectior quoque eſt ſtatu conjugali, etiam poſt conſummationem; neque tamen dirimitur Matrimonium conſummatum, per ſolemnem Religionis profeſſionem. Neque dicas diſcrimen eſſe, quòd ſi ſolveretur conjugium poſt conſummationem, fieret injuria vel proli vel parti derelictæ: contingere quippe poſſet ut revera nulli fieret injuria, ſi nempe & nulla eſſet proles ſuſcepta, & accederet mutuus conſenſus utriuſque conjugis, volenti enim non fit injuria. 2. quia conditio ſeu character epiſcopalis, imò & ſacerdotalis, perfectione ſuperat Profeſſionem religioſam; non tamen dirimitur Matrimonium quamquam non conſummatum, per ſuſceptionem Ordinis epiſcopalis vel ſacerdotalis, ita declarante Joanne XXII. Extravaganti *Antiquæ*. *De voto*.

Secunda ratio hæc eſt, quia duplex in Matrimonio vinculum occurrit, alte-

rum ſpirituale quod naſcitur ex ſolo conſenſu, alterum carnale quod naſcitur ex copula: ſicut igitur carnale vinculum diſſolvitur per mortem corporis, ita & ſpiritale per mortem ſpiritalem & civilem, qualis eſt Profeſſio monaſtica.

Verùm reponi facilè poteſt. 1. in voto ſimplici caſtitatis & paupertatis quamdam etiam occurrere mortem ſpiritualem; non tamen tali voto dirimitur Matrimonium ratum & non conſummatum. 2. mortem illam ſpiritalem cohærere ſimul ac conciliari poſſe cum vinculo conjugali, ut patet in iis, qui poſt ratum & conſummatum Matrimonium, ex communi conſenſu vitam religioſam profitentur; valet enim eo in caſu Profeſſio, & remanet prius conjugale vinculum. 3. mortem illam ſpiritalem veram non eſſe, ſed metaphoricam dumtaxat: quare igitur diſſolveret Matrimonium, niſi id conceſſiſſet Matrimonii auctor & parens Deus? Sicut enim voluit in gratiam fidei diſſolvi conjugium etiam conſummatum inter Infideles, quando eorum unus convertitur ad fidem, altèr verò in infidelitate permanet, nec vult pacificè & ſine injuria Creatoris habitare cum fideli; ita pariter in gratiam Profeſſionis religioſæ voluit diſſolvi Matrimonium ratum, ſed non conſummatum: neque hìc alia quærenda ratio, quàm Chriſti voluntas.

Tertia denique ratio inde ſumitur, quòd conjuges ante conſummationem, non ſunt adhuc una caro: atqui Chriſtus Matt. 19. omnimodam Matrimonii indiſſolubilitatem repetit ex eo quòd conjuges ſint una caro.

Verùm facile eſſet reponere, conjuges quidem ante conſummationem, unam non eſse carnem actu, ut vocant, exercito, ſed eſse jure acquiſito, ita ut non poſſit unus altero invito recedere. Et verò ſi Matrimonium firmitatem ſuam & indiſsolubilitatem dumtaxat traheret ex conſummatione, ſequeretur illud ex ſe ante conſummationem non eſse verum, ratum & indiſsolubile Matrimonium, adeoque conſummationem ipſi eſse eſsentialem, quæ falſa eſse antea demonſtravimus.

Quo iure dirimatur Matrimoniũ per Profeſſionẽ religioſam.

Quæres 1. quo jure diſsolvatur Matrimonii rati ſed non conſummati vinculum per ſolemnem Religionis Profeſſionem: an naturali, an eccleſiaſtico, an divino poſitivo.

Reſp. 1. ex refutatione rationum quæ mox adductæ ſunt, ſatis compertum eſse, non jure naturali diſsolvi conjugium.

Reſp. 2. non diſsolvi ex ſolo jure eccleſiaſtico. Tùm quia illius initium & origo conſignari non poteſt: tùm quia SS. Pontifices, qui illud declarant, non tanquam ſuum, ſed continua Traditione ad ſe tranſmiſsum agnoſcunt: tùm denique, quia poteſt Eccleſia à jure purè eccleſiaſtico diſpenſare; at non videtur eſse in poteſtate Eccleſiæ efficere ut non dirimatur Matrimonium per ſolemnem Religionis Profeſſionem: nonnulli tamen id contendunt, *T. 3. p. 762.* referente Pallavic. L. 3. cap. 9. Tùm denique quia nihil poteſt Eccleſia in illud quod jure divino eſt indiſsolubile: atqui tale eſse vinculum Matrimonii diximus antea.

Reſp. denique, dictum Matrimonium diſsolvi per Profeſſionem religioſam jure divino poſitivo, quod per continuam Traditionem ab Apoſtolis ad nos uſque pervenit. 1. quia juxta regulam S. Auguſtini Lib. 4. de Baptiſmo *T. 9. p. 148. n. 31.* cap. 24. ***Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſimè creditur***, atqui talis

talis eſt ſolutio Matrimonii per religioſam Profeſſionem. 2. quia ita videntur innuere SS. Pontifices. Alexander III. antea citatus, ex interpretatione divini eloquii privilegium illud deducit; Innocentius pariter III. recurrit ad revelationem; Benedictus, Gregorius, Innocentius III. & ipſe etiam Alexander III. partim apud Gratianum cauſa 27. qu. 2. cap. *Lex*, & cap. *Sunt*, partim *Extra*. *De converſione conjugatorum*, cap. *Verum*, & cap. *Ad apoſtolicam*, verba hæc Scripturæ, *Erunt duo in carne una*, in quibus fundatur indiſſolubilitas vinculi conjugalis, explicant de Matrimonio conſummato. Supponunt igitur à jure divino fluere, quòd dirimatur Matrimonium ratum & non conſummatum per ſolemnem Religionis Profeſſionem. Joannes XXII. in Extravaganti *Antiquæ*. *De voto*, ait, *votum ſolemniſatum per ſacri ſuſceptionem Ordinis, non eſſe ſufficiens ad diſſolvendum Matrimonium antea contractum, etiam ſi per carnis copulam non fuerit conſummatum, cùm nec jure divino, nec per ſacros Canones reperiamus ſtatutum*: additque, *niſi aliquam de Religionibus approbatis, quarum profeſſio ad caſtitatis cuſtodiam, & abdicationem temporalium & ſui Superioris obedientiam ſuos profeſſos adſtringat, ipſum canonicè contigerit ingredi, & ejus regulam expreſſè, vel tacitè profiteri*. In quo Joannis XXII. teſtimonio iſtud obſerva, jure divino non diſſolvi per Ordines ſacros Matrimonium; ergo cùm ſubjungit idem S. P. illud diſſolvi per Religionis profeſſionem, intelligit haud dubiè jure divino & ſacris Canonibus in illo fundatis tale diſſolvi conjugium. P. 66. n. 50.

Quid obſervandũ ab eo conjuge qui vult Religionẽ profiteri.

Quæres 2. quid ſit obſervandum à conjuge qui ante conſummationem Matrimonii vult Religionem ingredi & profiteri.

Reſp. ex Alexandro III. antea laudato, debere moneri conjugem qui deſeritur, an velit ſervare continentiam: quòd ſi recuſaverit, duorum menſium ſpatium concedit S. P. intra quod poteſt unus conjux, qui animo proponit Religionem profiteri, debitum negare, ac deliberare de Religione quam vult ingredi; quo tempore elapſo, non poteſt amplius petenti negare debitum. Si verò intra illos duos menſes Religionem ingrediatur, debet alter, qui in ſæculo remanet, expectare annum elapſum probationis, poſt quem dumtaxat, juxta Decretum Tridentinum Seſſ. 25. Cap. *De Regularibus*, licet ſolemniter profiteri. Ex quo inferes

I. duos illos menſes à Jure concedi, ad ingreſſum, non ad profeſſionem Religionis.

II. liberum non eſſe ſponſum derelictum ad alias nuptias contrahendas, niſi poſt Profeſſionem alterius.

III. ſi femina, cùm annos pubertatis attingit, Monaſterium ingreditur, teneri virum expectare uſque ad annum 16. feminæ, donec profiteatur cùm ex Decreto Trid. antea profiteri ipſi non liceat.

IV. jus non habere conjugem ad exigendum debitum, niſi poſt illos duos menſes ad deliberandum conceſſos; adeoque graviter illum peccare, ſi per vim copulam extorqueat.

Quærit hìc Sanchez Lib. 2. diſput. 24. & Pontius Lib. 9. c. 9. an ſpatium illud duorum menſium poſſit à Judice vel coarctari, vel prorogari. Affirmat Sanchez, eo nixus fundamento, quòd tempus illud non ſit à lege conſtitutum & determinatum, ſed Judici determinandum permittatur: negat è contra Pontius. Quidquid ſit, rectè obſervat Pontius loco citato num. 10. ſi conjux ab

Digitized by Google

jux ab una Religione ad aliam tranſeat, & varias mutet in fraudem alterius, poſſe Judicem tempus certum aſſignare, intra quod teneatur eligere Religionem, in qua aut profiteatur poſt annum probationis, aut ad conjugem redeat; aliàs ſic illudi facilè poſſet alter conjux qui in ſæculo remanet expectans alterius Profeſſionem.

Quæres 3. an copula per vim extorta intra bimeſtre Matrimonium verè conſummetur, & tollatur jus ad Religionis Profeſſionem.

Reſp. omnes ferè Theologos conſentire, verè in caſu propoſito conſummari Matrimonium: at ſunt qui cum Thoma Sanchez L. 2. diſput. 22. putant ob illam violentiam conjugem non privari jure ſuo, ac poſſe ingredi Religionem. Alii è contra negant cum Pontio Lib. 9. cap. 10. quia nempe Matrimonium conſummatum ſola morte dirimitur: Jus autem non diſtinguit inter conſummationem per vim extortam, aut liberam; unde cenſent, in caſu propoſito non diſſolvi conjugium per Profeſſionem Religionis.

Quæres 4. an ſponſis juramento affirmantibus ſe non conſummaſſe Matrimonium, ſit habenda fides.

Reſpondet Sanchez L. 2. diſput. 23. & Pontius Lib. 9. cap. 10. num. 6. ſub diſtinctione. Nempe ſi puella virgo probetur, ipſis creditur: ſi verò corrupta jam erat, adhuc diſtinguendum: ſi non eſt in domum viri traducta, ex eo ſumitur ſufficiens indicium ut credatur juramento; quòd ſi traducta eſt, non defertur juramento in præjudicium Matrimonii. Cap. *Super eo. De eo qui cognovit*, ubi ad diſſolvendum conjugium parum confert confeſſio partium aliis deſtituta probationibus.

Quæres 5. ſi quis poſt ſolemne votum in Religione approbata emiſſum, ac poſt diſſolutum Matrimonium ratum ſed non conſummatum, obtineret diſpenſationem à tali voto, an poſſet cum alia contrahere Matrimonium; an verò teneretur ad ſuam primam redire.

Reſpondent Paludanus in 4. diſt. 38. q. 4. art. 4. in fine, Durandus ibid. q. 2. in ſolutione ad 1. num. 9. & alii quos appellat Pontius L. 7. cap. 10. num. 10. poſſe hominem illum contrahere novum Matrimonium cum alia: quia nempe prius verè diſſolutum fuit per Profeſſionem religioſam: quemadmodum, inquiunt iidem Theologi, ſi quis à morte ad vitam revocaretur, non teneretur redire ad priorem ſuam uxorem, à qua per mortem ſolutus & liber factus eſt. Reſponſionem hanc explodit Eſtius in 4. diſt. 38. paragr. 6. atque propter hoc ipſum incommodum contendit non poſſe S. Pontificem diſpenſare à votis ſolemnibus.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. Scripturæ teſtimonia, quæ ſuperiùs laudavimus ut probaremus Matrimonium jure naturali & divino poſitivo eſſe indiſſolubile, intelligi debent de quocunque Matrimonio vero, quale certè eſt ante conſummationem: neque enim Scriptura diſtinguit inter Matrimonium, quod conſummatum eſt, vel non; ſed ſimpliciter & abſolutè pronuntiat, *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet.*

Reſp. ea Scripturæ teſtimonia intelligenda eſſe cum citatis antea SS. Pontificibus de Matrimonio rato & conſummato. Quòd ſi Scriptura ipſa non diſtin-

diſtinguit inter conſummatum & non conſummatum Matrimonium, Traditio, quæ altera eſt fidei noſtræ regula, manifeſtè diſtinguit: unde non hominis, ſed Dei ipſius auctoritate dirimitur vinculum conjugale per ſolemnem Religionis Profeſſionem.

Inſtabis 1. Matrimonium ante conſummationem ſuapte natura firmum eſt ac indiſſolubile, cùm ſit *unio duorum, individuam vitæ ſocietatem retinens*, ut fert ejus definitio: quomodo igitur ſolvi poteſt per religioſam Profeſſionem?

Reſp. illud ſolvi, non quidem ex cauſis quæ ſint Matrimonio intrinſecæ & eſſentiales, ſed ab extrinſeco, divina ſcilicet voluntate per Traditionem nobis manifeſtata.

Inſtabis 2. Matrimonium ratum non conſummatum eſſentia non differt à Matrimonio rato & conſummato; ergo utrumque pari modo ac ratione indiſſolubile eſt.

Reſp. diſt. conſeq. utrumque indiſſolubile eſt, ſi una ſpectetur Matrimonii eſſentialis conſtitutio ac natura, concedo: ſi voluntas Dei, quæ in gratiam Profeſſionis religioſæ & majoris boni permiſit diſſolvi Matrimonium ante conſummationem, non verò poſt, nego. Non eſt autem hìc alia decretoria quærenda ratio, quàm quæ à voluntate Dei petitur: quamquam non deſunt congruæ ac convenientes aliquæ cauſæ, cur unum potius quàm alterum voluerit Deus.

Inſtabis 3. Matrimonium ratum & non conſummatum eſt verum Sacramentum; ergo prorſus indiſſolubile: habet enim maximè à ratione Sacramenti, quòd dirimi nullatenus valeat.

Reſp. diſt. pariter conſeq. Ergo prorſus indiſſolubile ex ſe propriaque ſua conditione, quia nihil eſt in Matrimonio quod exigat illud diſſolvi, concedo: abſolutè & per divinam voluntatem, nego. Falsò ſupponit Objectio, Matrimonium firmitatem ſuam dumtaxat trahere à ratione Sacramenti; ſiquidem inter Infideles ipſos firmum eſt ac indiſſolubile ex ſe, nec tamen eſt verum Sacramentum: quamquam diffiteri non debeamus, majorem firmitatem ipſi accedere apud Chriſtianos, tum ex Baptiſmo, quo accedente ceſſat cauſa propter quam diſſolvi poteſt contractum in infidelitate Matrimonium; tùm ex propria ratione Sacramenti quæ ineſt Matrimonio in nova Lege.

Inſtabis 4. Matrimonium ratum & non conſummatum ſignificat unionem Chriſti cum Eccleſia per charitatem, quæ unio planè diſſolvi non poteſt; ergo tam eſt indiſſolubile, quàm hæc ipſa unio cujus ſignum eſt.

Reſpondent nonnulli, idcirco Matrimonium conſummatum non poſſe diſſolvi, quia repræſentat unionem Chriſti cum Eccleſia per Incarnationem, quæ perpetua eſt; non conſummatum verò poſſe diſſolvi, quia repræſentat dumtaxat unionem Chriſti cum anima fideli per charitatem, quæ facilè diſſolvitur per mortale peccatum.

Reſpondent alii negando conſequens: neque enim habet Matrimonium, præcisè ac metaphyſicè loquendo, ſuam firmitatem ab illa ſignificatione ſpeculativa, ſed tùm à natura ſua & inſtitutione divina, tùm à ſignificatione practica, quæ ſola eſſentialis eſt Sacramentis; quæ cùm Matrimonio conveniat, etiam antequam conſummetur, illud quantùm eſt ex ſe, indiſſolubile reddit, ita ut per cauſam intrinſecam non poſſit dirimi: abſque præjudicio

tamen

tamen divinæ voluntatis, quæ in gratiam religioſæ Profeſſionis permiſit illud diſſolvi.

Objicies 2. Per Matrimonium ratum, etiam ante conſummationem, traditur mutua in corpus poteſtas; ergo non poteſt unus conjux alterum invitum ea privare poteſtate.

Reſp. 1. nego conſequens. Sicut enim poteſt unus conjux, altero invito, exponere ſe periculo mortis naturalis, vel ſuſtinendo martyrium, vel Eccleſiam aut patriam defendendo, ſicque alterum conjugem privare jure quod habet in ſuum corpus; ita quoque ex cauſa legitima, videlicet ut Deo perfectiùs ſerviat, poteſt invito altero conjuge Monaſterium ingredi ante conſummationem Matrimonii, & profiteri ſolemniter Religionem.

Reſp. 2. diſt. ant. Per Matrimonium ratum, etſi non conſummatum, traditur mutua corporis poteſtas, ſub hac tacita conditione, ut nempe liceat ante conſummationem Religionem ingredi & profiteri, concedo: ſine illa conditione, nego.

Objicies 3. Non diſſolvitur Matrimonium ratum non conſummatum, per ſuſceptionem ſacrorum Ordinum; ergo neque per ſolemnem Profeſſionem Religionis.

Reſp. nego conſequens & paritat. cujus non alia debet afferri ratio, quàm Dei voluntas.

Objicies 4. Nullum eſt Matrimonium contractum poſt ſolemne votum: atqui Matrimonium ratum, quamquam non conſummatum, eſt quoddam ſolemne pactum quod fit coram Eccleſia, cui repugnat votum caſtitatis; ergo non dirimitur Matrimonium per ſolemne votum ſubſequens Religionis.

Reſp. Matrimonium eſſe quidem quoddam ſolemne pactum quod fit coram Eccleſia, ſed cui adjunctam voluit Chriſtus conditionem ſuprà dictam. Idcirco verò per ſolemne votum præcedens Matrimonium nullum eſt ac irritum, quòd qui ſic voverunt, omnino ſint inhabiles facti ad contrahendum Matrimonium; qui autem Matrimonium quidem contraxerunt, ſed non conſummarunt, ii habiles ſunt ad emittenda vota ſolemnia, quibus Matrimonium ratum dumtaxat diſſolvitur.

Objicies 5. ex S. Aug. Lib. 1. de nuptiis & concupiſc. cap. 21. Matrimonium continentium ab opere conjugali *firmius* eſt, quàm non continentium. Ergo magis inſolubile eſt Matrimonium ante conſummationem, quàm poſt illam. Rurſus eodem capite S. Auguſtinus docet inter Mariam & Joſeph nullum potuiſſe eſſe divortium, inter quos tamen nullum fuit carnis commercium.

T. 10. p. 286. D. — *Ibid.*

Reſp. ad primum diſt. Matrimonium continentium ab opere conjugali firmius eſt, quàm non continentium, quoad vinculum mutuæ charitatis, & animorum conſenſionem, concedo: quoad fœdus conjugale, nego.

T. 2. p. 359. col. 2. E. F.

Reſpondet ad ſecundum Eſtius in 4. diſt. 27. paragr. 5. *prorſus indiſſolubile fuiſſe conjugium B. Virginis cum Joſepho, propter prolem quæ illius conjugii bonum erat, teſte eodem S. Auguſtino, cujus prolis cura & educatio ad ambos conjuges pertinebat: Matrimonium enim inter B. Mariam & Joſeph, licèt non fuerit conſummatum quoad copulam, fuit tamen conſummatum quoad generationem prolis quæ in illo ſine ipſius injuria nata eſt; & ad illam prolem alen-*

alendam, educandam &c. non minùs tenebatur Joſeph, quàm ſi eam ex ſe genuiſſet: & ita non poterat eſſe divortium ratione prolis, ſicut in Matrimonio conſummato.

Inſtabis: Si Matrimonium eſſentialiter perficitur per charitatem & animorum conſenſionem, quare diſſolvitur per Religionis Profeſſionem, quandoquidem in ea perſeveret eadem charitas & animorum conſenſio?

Reſp. rationem hanc eſſe, quòd nimirum conjugalis animorum conſenſio dicit ordinem & jus radicale tùm ad individuam ſocietatem vitæ, tùm ad copulam: cùm ergo hoc utroque fine privetur conjux per Profeſſionem alterius in Religione approbata, ſi aliunde continere ſe non poſſit, neceſſe eſt diſſolvi prius conjugium, ut ipſi detur facultas ad alias nuptias ineundas. Quapropter ſi ambo conjuges antequam ſimul conveniant, ex mutuo conſenſu vellent in ſæculo remanere & ſervare continentiam, non diſſolveretur vinculum conjugale, imò firmius illud fore docet S. Auguſtinus.

Objicies denique: Votorum ſolemnitas inſtitutionis eſt eccleſiaſticæ; non ergo jure divino diſſolvitur Matrimonium ratum non conſummatum, per ſolemne votum Religionis.

Reſp. nego conſeq. Quamquam enim votorum ſolemnitas ſit ex jure eccleſiaſtico quantùm ad ritus, cùm liceat Eccleſiæ has illaſve ceremonias ſtatuere, ut firma ſit actio, non ita tamen eſt quoad effectum, quo dirimitur vinculum conjugii nondum conſummati: Chriſtus enim qui Eccleſiæ facultatem dedit inſtituendi hæc vota ſolemnia, ipſis votis, ubi eſſent ab Eccleſia inſtituta, vim indidit ad ſolvendum hujuſmodi Matrimonium. *Pallav. L. 23. c. 9. p. 762.*

An Summus Pontifex diſpenſare poſſit à vinculo Matrimonii rati, nondum conſummati.

Duplex eſt eam in rem Theologorum opinio: affirmans una, negans altera. Multos pro utraque parte appellat Sanchez L. 2. diſput. 14. ipſe verò affirmantem ſequitur, tanquam probabiliorem, ac

Docet 1. poſſe S. Pontificem diſpenſare à vinculo Matrimonii rati non conſummati, tùm quia id ſæpius factitatum legitur; tùm quia expedit, ad multa eaque graviſſima mala & ſcandala præcavenda. *P. 133. n. 2.*

Docet 2. ibid. n. 4. non poſſe S. Pontificem decreto aliquo ſolemni ſtatuere ut Matrimonium ratum dirimatur per ſubſequens copula conſummatum: *quia*, inquit, *videretur eſſe quædam diſſipatio, & daretur anſa per injuriam dirimendi matrimonia rata, contrahendo & conſummando aliud; nec eſt veriſimile Chriſtum dediſſe Pontifici eam poteſtatem, quæ in deſtructionem tendit.* Fatetur nihilominus n. 3. aliter viſum fuiſſe nonnullis SS. Pontificibus, referente ipſomet Alexandro III. in Appendice Concilii III. Lateranenſis parte 6. cap. 17. & 18. *P. 134.* *Ibid.*

Docet 3. diſput. 15. n. 5. concluſione 1. probabile eſſe valere diſpenſationem S. Pontificis in Matrimonio rato, etiam abſque cauſa juſta conceſſam. Et n. 6. concluſione 2. ait verius eſſe, non tenere diſpenſationem abſque cauſa juſta factam. Et n. 7. concluſione ultima, ad hanc S. Pontificis diſpenſationem non deſiderari mutuum conjugum conſenſum; ſed exiſtente cauſa juſta, poſſe Pontificem diſpenſare altero eorum invito. *P. 136.*

Docet

Ib n. 1. & ſeq. Docet 4. diſput. 16. juſtas cauſas diſpenſandi à vinculo Matrimonii rati nondum conſummati, iſtas eſſe, notabilem in qualitate ſeu conditione diſparitatem; gravem timorem magni futuri ſcandali; lepram alteri ſupervenientem; confeſſionem alterius conjugum, qua declarat ſe non habuiſſe animum contrahendi, dignitatem epiſcopalem ad quam vocatur vir; mutuum denique utriuſque conjugis conſenſum.

Ita Sanchez, ad quem accedit Pyrrhus Corradus in praxi diſpenſationum Apoſtolicarum L. 8. c. 6. n. 26. & ſequentibus, ubi formulam diſpenſandi, & cauſas, & exempla diſpenſationum quas conceſſere Urbanus VIII. & Clemens VIII. adducit.

Ex altera parte Baſilius Pontius L. 9. c. 3. duo docet.

Primum: quantùm ad praxim attinet, ſecuram eſſe opinionem quæ affirmat poſſe S. Pontificem diſpenſare in Matrimonio rato non conſummato, quia de facto ſæpius diſpenſarunt, neque ab Eccleſia damnata hactenus fuit hæc opinio.

Secundum: ſpeculativè loquendo, non poſſe S. Pontificem in eo Matrimonio diſpenſare; unde conſequens eſt Pontium in ea mente fuiſſe, SS. Pontifices, qui de facto diſpenſarunt, exceſſiſſe limites legitimæ ſuæ poteſtatis. Itaque ſit

CONCLUSIO.

Veriſimilius longè videtur, non poſſe S. Pontificem diſpenſare à vinculo Matrimonii rati non conſummati.

Probatur 1. Tùm quia non poteſt S. P. diſpenſare à jure divino naturali: atqui Matrimonium ratum, etſi non conſummatum, jure divino naturali indiſſolubile eſt; nullus ergo privata & humana auctoritate, ſed ſolus Deus, pro ſupremo quod in res omnes habet dominio, poteſt à tali vinculo diſpenſare, ſicut reverà diſpenſat in gratiam Profeſſionis religioſæ. Tùm quia non poteſt S. P. diſpenſare à vinculo Matrimonii conſummati; ergo nec inconſummati: par enim videtur in præſenti cauſa utriuſque ratio; eædem quippe rationes & cauſæ, propter quas putat Sanchez poſſe diſſolvi auctoritate pontificia Matrimonium non conſummatum, locum habere poſſunt in Matrimonio conſummato, ſicut cauſas illas expendenti patebit: nuſquam autem diſpenſaſſe SS. Pontifices à Matrimonio rato conſummato, res eſt apud omnes certa & explorata.

Reverà teſtantur aliqui, nonnullos SS. Pontifices diſpenſaſſe. Ita S. Antoninus 3. parte titulo 1. cap. 21. paragr. 3. affirmat ſe vidiſſe eam in rem Bullas Martini V. & Eugenii IV. Navarrus Summa latina cap. 22. n. 1. refert, ter vel quater ad petitionem ſuam Paulum III. & Pium IV. diſpenſaſſe. Cajetanus in Opuſculis Tomo 1. tractatu 28. de Matrimonio q. unica, idem ætate ſua factitatum ſæpius teſtatur. Henriques Lib. 2. de Matr. c. 8. num. 2. refert Gregorium XIII. unica die cum undecim diſpenſaſſe. In Appendice Concilii III. Lateranenſis part. 6. refertur ea de re Statutum Benedicti S. P.

Verùm fruſtra hæc diſpenſationum exempla nobis hic opponuntur. 1. Quia ex facto aliquorum SS. Pontificum jus certum ſtatui non poteſt, ne ipſo quidem

dem

Digitized by Google

dem diſſentiente Sanchez antea citato: docet enim ipſe, non poſſe S. Pontificem ſtatuere ut Matrimonium ratum dirimatur per ſubſequens copula conſummatum; attamen aliter cenſuiſſe & obſervaſſe nonnullos è ſuis prædeceſſoribus, & aliam eſſe aliquarum Eccleſiarum ſententiam & conſuetudinem, fatetur ipſemet Alexander III. in Appendice Concilii III. Lateranenſis parte 6. cap. 8. 17. & 18. Sicut igitur ex hoc facto aliquorum Pontificum jus certum non poteſt ſtatui, ita neque ex facto aliorum quod hìc opponitur. Ita docet inſignis Theologus Dominicus Soto in 4. diſt. 27. q. 1. art. 4. *Quare*, inquit, *cùm Chriſtus ait, Homo non ſeparet, Pontificem etiam ipſum excluſit, quaſi talem poteſtatem ei non committeret; quia ſuper jure divino & naturali, quale illa verba ſignificant, Papa minimè diſpenſat . . . Auctoritas verò Martini & Eugenii, ſi ita verum eſt quòd ſimilem diſpenſationem fecerunt, nullatenus tanquam Eccleſiæ determinatio movet, quia factum Pontificum non facit fidei articulum.* Ita Soto. 2. Quia alii SS. Pontifices declarant Matrimonium ratum non conſummatum diſſolvi tantùm poſſe per ſolemnem Religionis profeſſionem; non eſt igitur in poteſtate S. Pontificis tale Matrimonium diſſolvere ob aliam cauſam. Ita SS. Pontifices antea citati. *T. 10. Conc. p. 1574. 1577. & 1578. Soto.*

Præterea declarant SS. Pontifices nonnulli, Matrimonium ratum non conſummatum nullatenus dirimi per ſubſequens copula perfectum ſeu conſummatum. Ita

Alexander III. in Appendice Conc. III. Lateran. parte 6. cap. 8. ſic reſpondet Epiſcopo Salernitano: *Conſuluiſti nos*, inquit, *utrum inter virum & mulierem, præſtito, vel non præſtito ſacramento, ſi legitimus conſenſus intervenerit de præſenti, carnali copula non ſecuta, liceat mulieri alii nubere: vel ſi nupſerit alii, & carnalis fuerit copula ſecuta, an ab ipſo debeat ſeparari. Super hoc inquiſitioni tuæ taliter reſpondemus: quòd ſi legitimus conſenſus ea ſolemnitate qua fieri ſolet, præſente Sacerdote, aut etiam ejus notario, ſicut etiam in quibuſdam locis adhuc obſervatur, coram idoneis teſtibus interveniat de præſenti, ita quòd unus alium in ſuam mutuo conſenſu verbis expreſſis recipiat, utrimque dicendo, Ego te recipio in meam: ſive ſit juramentum, ſive non, non liceat mulieri alii nubere: & ſi nupſerit, & fuerit carnalis copula ſubſecuta, ab eo ſeparari debet, & ut ad primum redeat, eccleſiaſtica diſtrictione compelli: quamvis alii aliter ſentiant, aliter etiam à quibuſdam prædeceſſoribus noſtris ſit aliquando judicatum.* Idem repetit eadem parte c. 17. & 18. ubi obſervat *diverſam eſſe ea de re eccleſiarum ſententiam & praxim.* *T. 10. Conc. p. 1574. D. Ibid. p. 1577. & 1578.*

Innocentius III. cap. *Ex parte. De converſione conjugatorum*, antea citato, docet in nullo caſu, *nequidem lepræ ſupervenientis, aut lapſus in hæreſim, ſed ob ſolam Religionis profeſſionem* poſſe dirimi Matrimonium ratum non conſummatum. *Decret. p. 1167. n. 40.*

Nicolaus I. in cap. *Hi qui Matrimonium*, cauſa 32. qu. 7. idem ſtatuit. *Cùm*, inquit, *hi qui Matrimonium contraxerunt, & uni ex duobus dementia aut furor, aut aliqua infirmitas acceſſerit, & ob hanc infirmitatem & cauſam conjugia talia ſolvi non poſſunt. Similiter ſentiendum eſt de his qui ab adverſariis excæcantur, aut membris truncantur, aut à barbaris exſecti fuerint.* Hæc Nicolaus: ex quibus planum eſt, ſupervenientem impotentiam non videri S. Pontifici cauſam ſufficientem diſſolvendi Matrimonii. Sanchez nihilominus diſ. 16. hanc & alias hujuſmodi nonnullas ſufficere exiſtimat. *Grat. p. 1643.*

Dices

Digitized by Google

Dices 1. Alexander III. in Appendice Conc. III. Later. parte 6. cap. 26.
T. 10. permittit diſſolvi rata ſponſalia. Et parte 12. cap. 4. jubet conjugium ra-
Conc. p. tum non conſummatum cum filia mulieris quam poſtea vir cognovit,
1580. reſcindi ſi crimen ſit publicum, ſecus ſi occultum. En caſus. *Cùm N. quamdam uxorem duxiſſet, quidam diſſuaſerunt ei per menſem quo eam duxerat, carnaliter*
Ibid. p. *cognoſcere. Contigit autem quòd pater juſſit uxorem ſuam, quæ mater erat ſpon-*
1610. *ſæ, in lecto hujus jacere; quam, diabolo ſuadente, cognovit. Tranſacto verò menſe, tam pater quàm alii propinqui coegerunt ut Matrimonium cum ſponſa ſua conſummaret; quod facere noluit, donec tecum ſuper hoc loqueretur. Tu verò audita ejus confeſſione,* (alloquitur Pictavienſem Epiſcopum à quo conſultus fuerat) *ipſum cum Litteris tuis ad Sedem Apoſtolicam tranſmiſiſti. Tuæ igitur inquiſitioni taliter reſpondemus: quòd ſi occultum eſſet hujus delictum, non poſſet reſcindere Matrimonium, quod publicè contraxiſſet: verùm ſi publicum eſt, quòd matri ſponſæ carnaliter adhæſit, imponenda eſt pœnitentia paulò major quàm de adulterio; & exinde peracta pœnitentia, vel parte penitentiæ, poterit ex diſpenſatione cum alia Matrimonium contrahere, & illa alii nubere. Cæterùm ſi ſponſam cognoverit antequam matrem, vel poſt, nunquam poterit eam vel aliam in uxorem accipere.*

Reſp. ad primum, Summum Pontificem non loqui de Matrimonio rato per verba de præſenti, ſed de futuro duntaxat, ſeu puris ſponſalibus, quas permittit irritas fieri, propter urgentes aliquas cauſas.

Ad ſecundum, non agitur de diſſolutione contracti Matrimonii, ſed de uſu & cohabitatione, & tria reſpondet S. P. Primum, quòd ſi occultum eſt crimen, non ſeparentur, cùm publicè contractum ſit, non ſolùm quoad vinculum, ſed neque quoad thorum. Alterum eſt, quòd ſi crimen eſt publicum, quia ſcilicet cognovit matrem ſponſæ, ſi tamen non cognovit ipſam ſponſam, conceda-
Pontius tur diſpenſatio, & poſſit aliam ducere, & illa alium, ſupple poſt mortem al-
L. 9. c. 3. teriusſponſi: quo in capite priorem diſciplinæ rigorem temperat Alexander
n. 17. III. quippe conjugi reo, in penam criminis, etiam poſt mortem innocentis, non patebat aditus ad alias nuptias. Tertium denique eſt, ſi cognovit ſponſam, careat omni ſpe conjugii, etiam illa defuncta.

Dices 2. Gregorius II. ad an. Chriſti 726. Epiſtola 14. ad Bonifacium, conſultus à viro cujus uxor ex infirmitate debitum reddere non poterat, quid facto eſſet opus, reſpondet, *bonum eſſe ſi ſic permaneret, ut abſtinentiæ vacaret; ſed quia hoc magnorum eſt, ille qui ſe non poterit continere, nubat magis.*

Pariter Innoc. III. Cap. *Quanto. De divortiis*, aſſerit quemdam ex ſuis prædeceſſoribus (alii Cœleſtinum III. Cap. *Laudabilem. De converſis infidelibus*, alii Clementem III. qui vixit an. 1190. appellant) qui putavit Matrimonium propter hæreſim alterius conjugum diſſolvi poſſe.

Reſp. in primo caſu intelligendum eſſe Gregorium de muliere aliquo dirimente impedimento ligata, quo ſuppoſito nullum eſt Matrimonium. In ſecundo verò caſu, deceptus eſt Pontifex ille quiſquis fuerit: unde Innoc. III. loco citato pronuntiat nulla ex cauſa, nequidem propter hæreſim, diſſolvi Matrimonii vinculum; quod poſtea definivit Conc. Trid. Seſſ. 24. Can. 5.

Dices 3. Poſſunt SS. Pontifices diſpenſare ab obligatione voti, tùm ſimplicis, tùm ſolemnis, quamquam illa juris ſit divini: quidni ergo diſpenſare poterunt à vinculo Matrimonii rati & non conſummati?

Reſpon-

Digitized by Google

Reſpondet Pontius L. 9. cap. 3. num. 16. *multò majora eſſe argumenta ut credamus datam eſſe Eccleſiæ poteſtatem diſpenſandi in votis. Facilè enim*, inquit, *promittunt homines, facilè eos pœnitet promiſiſſe; ideoque magna in eo fragilitas eſt. Adde promiſſionem ſibi factam faciliùs Deum remittere, quàm jus proximo quæſitum evertere; adeo noſtræ ſalutis eſt ſtudioſus. Id quod etiam videmus in nonnullis aliis, in quibus occurrente præcepto religionis & miſericordiæ, quod ſimul adimpleri non poteſt, prævalere vult præceptum miſericordiæ, juxta illud, Miſericordiam volo & non ſacrificium. Quòd verò attinet ad diſpenſationem voti ſolemnis, redditur facilè diverſitatis ratio: quia in Profeſſione fit etiam traditio Religioni, quam acceptat Prælatus, & eo non acceptante non obligant illa vota, quorum fundamentum eſt traditio: cùmque Pontifex ſit Ordinarius, cui etiam tanquam Religionis Superiori fit traditio, eam traditionem poteſt rejicere; eaque rejecta ceſſat obligatio ſtatus Religionis in illo*. Ita Pontius.

An Matrimonium Chriſtianorum ratum & conſummatum ſolvi poſſit per ingreſſum in Religionem: quidve ſit obſervandum, cùm aliter, vel ambo conjuges aut Religionem ingredi, aut vir ſacros Ordines ſuſcipere deſiderat.

Quæres 1. an Matrimonium conſummatum dirimatur per Profeſſionem Religionis.

Reſp. negativè. Quæ hactenus adduximus momenta pro indiſſolubilitate Matrimonii, reſponſionem noſtram demonſtrant. Eccleſia igitur non approbavit Juſtiniani legem 56. Codicis tit. 3. *De Epiſcopis & Clericis*, & aliam ſimilem quæ habetur in Authenticis Collat. 4. tit. 1. *De nuptiis*, cap. 5. qua lege, ſine ulla exceptione, conceditur facultas conjugatis *ad meliorem vitam migrandi*, & ſub caſtitate vivendi. *Etſi hoc lex humana conceſſit*, ait S. Gregorius Magnus Lib. 11. Epiſt. 45. aliàs Lib. 9. Epiſt. 39. *lex divina tamen probibet*. Quamquam igitur ambo conjuges ex conſenſu mutuo continentiam voverent, ſtaret nihilominus firmum inter illos conſummati conjugii vinculum: cujus rei exemplum ſuppeditat S. Proſper in ſua ad Auguſtinum Epiſtola præfixa L. de prædeſt. Sanctorum, ubi in fine ait: *Sciat ſanctitas tua, fratrem meum, cujus maximè cauſa hinc diſceſſimus, cum matrona ſua, ex conſenſu, perfectam Deo continentiam devoviſſe*.

Edit. Pariſ. 1628. p. 66.
Auth. p. 124.
T. 2. *p.* 1130. D.
Oper. S. Aug. T. 10. *p.* 787.

Quæres 2. an conjux, altero conjuge invito, poſſit licitè ingredi Religionem, & validè profiteri.

Reſp. 1. ſi conjugum unus incidit in crimen adulterii, poſſe alium, eo invito, Religionem ingredi: quia reus excidit jure ſuo, ac divortii perpetui juſtam dedit cauſam.

Reſp. 2. ſublata cauſa legitima perpetui divortii, non poſſe licitè unum conjugem, altero invito, Religionem ingredi; quia non eſt ſui, ſed alieni juris: vir quippe non habet poteſtatem ſui corporis, ſed mulier, & viciſſim. Extant in confirmationem hujus reſponſionis in Jure canonico benè multa SS. Patrum & Pontificum reſponſa. Cauſa 27. q. 2. cap. *Sunt qui dicunt*: cap. *Agathoſa*, cum ſequentibus. Et Cauſa 33. qu. 5. cap. *Si dicat*, cap. *Notificaſti*, cap. *Mulier*. Ibidem Cauſa 3. cap. *Una ſola*, cap. *Quod Deo*, cap. *Secundum*. Unum hìc ex his omnibus retuliſſe ſufficiat

Gregorii I. reſponſum ex Epiſtola ipſius 50. Lib. 11. aliàs 44. ad Hadrianum Notarium. *Agathoſa*, inquit, *latrix præſentium queſta eſt, maritum ſuum contra voluntatem ſuam in Monaſterio Urbici Abbatis eſſe converſum. Quòd quia ad ejuſdem Abbatis culpam & invidiam non eſt dubium pertinere, experientiæ tuæ præcipimus, ut diligenti inquiſitione diſcutiat, ne fortè cum ejus voluntate converſus ſit, vel ipſa ſe mutare promiſerit. Et ſi hoc repererit, & illum in Monaſterio permanere provideat, & hanc, ſicut promiſit, mutare compellat. Si verò nihil horum eſt, nec quoddam fornicationis crimen, propter quod viro licet relinquere uxorem, prædictam mulierem commiſiſſe cognoveris, ne illius converſio uxori relictæ in ſæculo fieri poſſit perditionis occaſio, volumus ut maritum ſuum illi, vel ſi jam tonſuratus eſt, reddere omni debeas excuſatione ceſſante. Quia etſi mundana lex præcipit, converſionis gratia, utrolibet invito, poſſe ſolvi conjugium, divina tamen lex fieri non permittit .... Quia poſtquam copulatione viri atque mulieris unum corpus efficitur, non poteſt ex parte converti, & ex parte in ſæculo remanere*. Hæc Gregorius Magnus.

T. 1. p. 1137.

Ex quibus inferes.

I. non licere uni conjugi, invito altero, votum emittere continentiæ, ſive ſimplex, ſive ſolemne; atque tale votum eo ipſo nullum & irritum eſſe, quia vovit ille quod ſuum non eſt, ſed alterius. Unde rectè monet S. Auguſtinus laudatus à Gratiano cauſa 33. q. 5. cap. *Una ſola*. *Talia nec vovenda eſſe à conjugatis, niſi ex conſenſu & voluntate communi: & ſi præproperè factum fuerit, magis eſſe corrigendam temeritatem, quàm perſolvendam promiſſionem*.

Grat. p. 1822.

II. eum qui defectu conſenſus alterius conjugis invalidè Religionem profeſſus eſt, poſſe alterum contrahere Matrimonium poſt mortem prioris conjugis. Sequela videtur manifeſta: cùm enim nullum fuerit ejus votum, haud dubiè liber eſt, atque in eodem ſtatu, ac ſi nunquam voviſſet.

III. idem dicendum eſſe de voto Religionis implicito quod includitur in illa Profeſſione: ſcilicet nullum illud eſſe, nullamque ex eo reſultare obligationem; quia donatio illa de ſe facta Religioni, non potuit ſubſiſtere.

IV. ejuſmodi profeſſum invito conjuge, ſi revocatus exivit, non teneri, defuncto alio conjuge, ad Religionem redire. Cap. *Quidam*. Et c. *Placet*. *De converſione conjugatorum*, in quorum primo dicitur, *non teneri*: in ſecundo verò tantùm dicitur, adhortationibus cum illo agendum ut redeat; non tamen cogendum. Si verò roges, an ille poſſit ſponte ſua exire, aut neceſſaria ſit Judicis ſententia: reſpondet Sanchez, poſſe illum ſponte ſua exire, Pontius è contra L. 9. cap. 11. n. 8. exiſtimat tutius eſſe ſi exeat poſt ſententiam Judicis.

Decret. p. 1258. & 1265.

V. conjugem eo modo profeſſum, etiamſi poſtea uxor licentiam præbeat, adhuc poſſe reſilire, & cauſam nullitatis Profeſſionis proſequi: quia toto eo tempore præcedente conſenſum uxoris, Profeſſio fuit nulla; accedente verò conſenſu non convaleſcit, ſed debet denuò profiteri, ſi voluerit ſe voto ſolemni alligare.

VI. conjugem illum invalidè profeſſum, qui toto tempore vitæ alterius conjugis in Religione manſit, poſſe eo defuncto è Religione egredi: maximè ſi alter, dum viveret, reclamavit & contradixit. Ratio eſt, quia Profeſſio

feſſio ab initio invalida, lapſu temporis non convaleſcit: ſed neque morte conjugis, opus enim erat nova ratificatione; ſola quippe mors alterius conjugis non ſufficit ad ratam habendam Profeſſionem. Et idem eſt, ſi ille ignarus mortis conjugis, in ſua Profeſſione perſiſtit; & cùm conſcius factus eſt ejus mortis, exire vult, & ad ſæculum regredi.

VII. eum qui in ſæculo manſit, non poſſe, invito alio qui invalidè profeſſus eſt, ad Religionem tranſire: quia ea Profeſſio non tenuit, & ex ea non amiſit jus ne alius diverteret eo invito, cùm non dederit cauſam perpetui divortii. Sanchez L. 7. diſp. 32. uſque ad 38.

VIII. eum conjugem invalidè profeſſum poſſe quoque reſilire à Religione, quamvis conjux, ſine cujus licentia ingreſſus eſt, adulterium commiſerit poſt alterius Profeſſionem. Nam licèt conjux adulter amiſerit per adulterium jus repetendi conjugem profeſſum; attamen adulterio conjugis manentis in ſæculo non convaleſcit Profeſſio alterius: quare cùm ea ſit omnino nulla, poteſt à Monaſterio recedere. Pontius L. 9. c. 11.

IX. denique inferes, idem dicendum eſſe de eo qui tranſit ad Religionem de licentia uxoris extortam metu cadente in virum conſtantem: licentia quippe hæc nulla eſt.

Dices: Cùm Theonas Abbas, de quo Caſſianus Collat. 21. cap. 9. non potuiſſet licentiam obtinere ab uxore caſtitatem vovendi, illa renitente Monachus factus eſt.

Reſp. factum illud ab omnibus approbatum non fuiſſe apertè oſtendunt quæ ſubjicit Caſſianus initio cap. 10. *Nemo tamen exiſtimet*, inquit, *nos hæc ad provocanda conjugiorum divortia texuiſſe . . . . Ego autem qui non meam ſuper hac re ſententiam prompſi, ſed rei geſtæ hiſtoriam ſimplici narratione complexus ſum, æquum eſt, ut ſicut mihi de eorum, qui hoc factum probant, laudibus nihil vindico, ita eorum, qui id improbant, non pulſer invidia*. Præterea valde dubium eſt an ipſemet Theonas putaverit ſua ab uxore diſceſſione diſruptum fore conjugale vinculum, qui ad eandem ſic loquitur cap. 9. *Si fieri poteſt, ut ad hanc optatiſſimam mihi partem flectaris, ſcilicet ut Domino ſerviamus, charitatem conjugii non refuto, imò etiam majori adhuc delectatione complector: agnoſco enim & veneror adjutricem meam Domini ſententia mihi deputatam, & indirupto eidem fœdere charitatis in Chriſto cohærere non reſpuo, nec à me ſeparo, quod Dominus mihi primæ ſtatim conditionis lege conjunxit*. P. 787.

Quæres 3. quid de jure neceſſarium ſit, ut alter conjux tranſeat ad Religionem poſt conſummatum Matrimonium.

Reſp. non tantùm neceſſariò requiri conſenſum alterius conjugis; ſed etiam neceſſe eſſe ut qui in ſæculo remanet, ſi ſenex ſit & abſque incontinentiæ periculo, votum caſtitatis emittat; ſi verò juvenis, ut Religionem ingrediatur. Ita ſtatuitur cap. *Cùm ſis. De converſione conjugatorum. Prohibemus*, ait S. Pontifex, *ne virum vel uxorem (niſi uterque ad Religionem migraverit) tranſire permittas. Verùm ſi ita uxor ſenex eſt & ſterilis, quòd ſine ſuſpicione poſſit eſſe in ſæculo, diſſimulare poteris, ut ea in ſæculo remanente, & caſtitatem promittente, ad Religionem tranſeat vir*. Et cap. *Ad Apoſtolicam. Non eſt alter conjugum recipiendus ad obſervantiam regularem, niſi reliquus perpetuam continentiam repromittat: ſed & vitam debet mutare, niſi fortè ſit ejus ætatis ut ſine ſuſpicione incontinentiæ valeat in ſæculo remanere*. Debet autem ille ingreſſus in Religionem, fieri animo profitendi. Decret. p. 1260. n. 10. Ibid. p. 1266. n. 30.

Pontius L. 9. c. 12. n. 4. Quòd ſi is qui Religionem de licentia alterius ingreditur, profiteatur, & alter non velit neque Religionem ingredi, ſi juvenis eſt, neque votum emittere, ſi ſenex; imprimis dicendum eſt Profeſſionem alterius valere, ex eo ſolùm quòd licentiam conceſſit, quamvis contra jus actum ſit, ut ſine voto vel ingreſſu alterius in Religionem ille profiteretur. Quapropter ſive conjux in ſæculo manens juvenis votum emittat, ſive non emittat juvenis neque ſenex, Profeſſio valet: unde ſi revocanti concedatur, tenetur defuncto conjuge ad Religionem redire; & Matrimonium poſtea contractum nullum eſt, & conjugi revocanti poteſt reddere debitum, non petere. Ex eo enim quòd non ſervavit ordinem juris in altero conjuge requiſitum, ſuſpenditur obſervatio voti quoad alterum; ſolùmque ſervat quod ex parte ſua eſt.

Unde inferes, eum qui manens in ſæculo votum emiſit, non poſſe amplius revocare licentiam quam alteri conjugi dedit ingrediendi Religionem; quia per hoc ſuum votum atque conſenſum, juri, quod habebat, renuntiavit: at ſi votum non fecit, ſed conſenſum præbuit, & eſt incontinentiæ periculum, probabilius judicat Pontius L. 9. c. 12. n. 5. dari revocationi locum.

Quæres 4. quid requiratur ex jure, ut vir poſt contractum Matrimonium tranſire poſſit ad ſacros Ordines.

Sanchez L. 7. diſ. 38. Pontius L. 9 c. 13. Reſp. 1. virum, invita uxore, ſive ante ſive poſt conſummationem, non poſſe ad Ordines ſacros promoveri. Ratio eſt, quia Ordo ſacer nullatenus Matrimonium diſſolvit. Ita cap. *Conjugatus. De converſione conjugatorum.* Et in Extravaganti. *Antiquæ. De voto,* quæ eſt Joannes XXII. Si ergo, invita uxore, vir ad ſacros Ordines promoveretur, ſtaret quidem vinculum; at irregularis ille maneret: quia, ut ſtatuitur in dicta Extravaganti, etiam diſſoluto Matrimonio vel per mortem uxoris, vel per ingreſſum uxoris in Religionem, vir neque in ſuſcepto Ordine miniſtrare, neque ad alium aſcendere, neque ad Beneficium aliquod aſſumi poteſt, niſi in Religione aliqua approbata profiteatur: uxori igitur maritum ſe invita ordinatum repoſcenti, reddi ille debet.

Decret. p. 1261. n. 10. Reſp. 2. poſſe virum ex licentia uxoris promoveri ad ſacros Ordines, modò ipſa continentiam profiteatur in Religione approbata. Ita ſtatuit Alexander III. cap. *Sanè. De converſione conjugatorum. Probibemus*, inquit, *ne uxoratum præſumatis in Epiſcopum ordinare, niſi uxor priùs profeſſa continentiam, ſacrum ſibi velamen imponat, & religioſam veſtem aſſumat.*

Olim in antiquis Canonibus nonnullis, uxor illius qui ad Epiſcopatum vel Preſbyteratum aſſumebatur, vocabatur Epiſcopa, Preſbytera; ideſt, uxor derelicta ab eo qui Epiſcopus vel Preſbyter factus fuerat; ſed de hoc argumento in Tractatu de Sacramento Ordinis.

De divortio.

An licita ſit, & aliquando neceſſaria ſeparatio conjugum quoad thorum & cobabitationem.

Divortium aliquando confunditur cum repudio, frequentiùs tamen diſtinguitur: repudium enim importat dimiſſionem uxoris quoad vinculum, divortium autem ſeparationem quoad thorum & cohabitationem, cæteraque conju-

conjugii jura & commoda. Jus autem conjugii eſt individua vitæ ſocietas, tectum, menſa, & lectus communis, rei familiaris in partem adminiſtratio, fortunarum omnium conſortium &c. Divortium ita nuncupatum, vel quòd diverſa ſit ac diſcors mens ac indoles conjugum; vel quòd in diverſas abeant partes qui Matrimonium diſtrahunt.

PRIMA CONCLUSIO.

Licet uxorem adulteram dimittere & ab ea ſeperari quoad thorum & cohabitationem.

Probatur ex cap. 5. & 19. S. Matth. ubi Chriſtus permittit uxorem dimittere propter cauſam adulterii. Non permittit autem, imò prohibet, ne dimittatur quantùm ad vinculum, *Qui dimiſerit, & aliam duxerit, mœchatur*; ergo permittit eam dimitti quantùm ad thorum & cohabitationem. Et verò hoc ipſo cap. 19. S. Matth. v. 29. apertè Chriſtus ſignificat alia etiam, quàm fornicationis cauſa, poſſe uxorem dimitti, aut ex mutuo conſenſu, aut ad majorem perfectionem. *Omnis*, inquit Chriſtus, *qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet & vitam æternam poſſidebit*.

Idem confirmat Apoſtolus 1. Cor. 7. v. 10. *Iis autem*, ait, *qui Matrimonio juncti ſunt, præcipio non ego ſed Dominus; uxorem à viro non diſcedere: quòd ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari*. Supponit hic Apoſtolus poſſe uxorem à viro diſcedere quoad thorum & cohabitationem, nullatenus verò quoad nexum ac vinculum, *Quòd ſi diſceſſerit, manere innuptam*. Ita declaravit ac docuit Synodus Trid. Seſſ. 24. de Matr. Can. 8. his verbis, *Si quis dixerit, Eccleſiam errare, cùm ob multas cauſas ſeparationem inter conjuges quoad thorum, ſeu quoad cohabitationem, ad certum incertumve tempus fieri poſſe decernit; anathema ſit*. T. 14 Conc. p. 875.

Quæres 1. an ſit in utroque conjuge jus divortii adulterii cauſa.

Reſp. affirmativè. Quia in his quæ ad jus conjugii pertinent, æqualis eſt viri & mulieris conditio; & ſicut vir poteſtatem habet in corpus uxoris, ita & uxor in corpus viri.

Quæres 2. quid juris habeat conjux innocens & nocens poſt factum divortium.

Reſp. poſſe innocentem, invito alio qui reus eſt, aut vovere continentiam, aut Religionem ingredi ac in ea profiteri; eſt etenim liber ab omni debito conjugali conjugi nocenti perſolvendo: ſi autem ſtatum ſuum mutaverit, reſilire amplius non poteſt, nec alterum revocare. Econtra reus ſtatum ſuum mutare non poteſt vovendo continentiam vel Religionem profitendò, quamdiu innocens jus retinet illum revocandi. Quòd ſi præceſſerit Judicis ſæcularis ſententia detrudentis feminam in Monaſterium, conceditur innocenti biennium ad deliberandum an velit conjugem repetere, & intra illud biennium Profeſſio conjugis adulteri nulla eſt, ſecus illo elapſo. Authentica *Sed hodie*, ad legem Juliam *De adulterinis conjugiis*, quæ diſpoſitio ſeu diſciplina non fuit revocata per Jus canonicum. Valet autem muta-

tio ſtatus facta à nocente, ſi vel innocens ſciens non contradicat, eo enim ipſo juri ſuo cedere præſumitur; vel ſi diligenter monitus nolit reconciliari. Cap. *Gaudemus. De converſione conjugatorum.*

Dices: Id Chriſtianis permitti non debet, quod poteſt plurimis ac graviſſimis ſceleribus locum & occaſionem dare: atqui talis eſt dimiſſio uxoris adulteræ è domo & cohabitatione mariti.

Reſp. diſt. ant. ſi per ſe, natura ſua & ex neceſſitate locum & occaſionem ſceleribus præbeat, concedo: ſi tantùm per accidens, & habita ratione pravæ diſpoſitionis uxoris dimiſſæ, nego. Porro talis eſt dimiſſio uxoris quoad thorum & cohabitationem. Quot enim ſunt ex quibus peccandi occaſionem mali arripiunt, à quibus tamen certis in caſibus abſtinere non licet? aliàs, nec Judici liceret in neceſſitate juramento exigere, quia poteſt eſſe perjurii occaſio, nec pœnas criminum à reo repetere, quia nihil reo profuturum eſt, imò magis exaſperandus ſit ejus animus; nec Evangelii doctrinam prædicare illis, à quibus contumaciter rejicienda prævidetur.

SECUNDA CONCLUSIO.

Præter crimen adulterii aliæ plures eſſe poſſunt divortii cauſæ legitimæ.

Nempe immoderata ſævitia, moleſta cohabitatio, imminens ſubverſionis ſive à fide, ſive à rectis moribus periculum.

Decret. p.638. I. de immoderata ſævitia ſic loquitur Innoc. III. cap. *Litteras. De reſtitutione ſpoliatorum. Si tanta ſit*, inquit, *viri ſævitia, ut mulieri trepidanti non poſſit ſufficiens ſecuritas provideri, non ſolùm non debet illi reſtitui, ſed ab eo potius amoveri.* Et quidem vel ipſo naturali lumine compertum eſt, neminem teneri objicere ſe ſine urgente cauſa evidenti periculo convitiorum, injuriarum, maximè ſi graves ſint; vel percuſſionum: unde & in membris ſectio vel mutilatio, & in vicinis ſcandalum & offenſio naſci poteſt: quantò ſatius eſt fuga & ſeparatione ſibi conſulere? An verò expectanda ſit Judicis ſententia priuſquam fiat ſeparatio, diſtinctione opus eſt: vel enim dimittentis ſævitia ita publica eſt, ut negari non poſſit; vel occulta quodammodo. Si prius, poteſt conjux non expectata Judicis ſententia diſcedere à viro: ſi verò occulta quidem eſt, ſed innocenti & aliis paucis cognita, poteſt quidem diſcedere à thoro, non autem à domo, niſi poſt ſententiam Judicis. Cùm enim Matrimonium ſit contractus publicus, non debet niſi ex publica Judicis ſententia fieri divortium, excepto adulterii caſu, in quo poteſt conjux innocens ante Judicis ſententiam alteri reo debitum negare, & ab eo quoad thorum ſeparari. Ita S. Th. in 4. diſt. 35. q. 2. art. 3.

II. ſi periculum ſubverſionis uni conjugi immineat ex cohabitatione cum altero, haud dubiè non tantùm licet, ſed neceſſe eſt ex charitatis præcepto diſcedere. Ea de cauſa Eſdræ Lib. 1. cap. 10. v. 11. dicitur, *Separamini ab uxoribus alienigenis*, de quibus Lib. 3. Regum cap. 11. v. 2. Deus dixerat: *Non ingrediemini ad eas, neque de illis ingredientur ad veſtras: certiſſimè enim avertent corda veſtra ut ſequamini deos earum.* Quapropter S. Auguſtinus T. 6. p. 181. E. Lib. de fide & operibus cap. 16. ait, *rectiſſimè dimitti uxorem, ſi viro ſuo dicat, Non ero uxor tua, niſi mihi vel de latrocinio divitias congeras . . . aut*

ſi quod

ſi quod aliud vel facinoroſum vel flagitioſum in viro noverat .... Tunc enim ille cui hoc uxor dixit, ſi veraciter pœnitens eſt . . . . . membrum quod eum ſcandaliſat, amputabit.

Quòd ſi conjux conjugem ad peccandum non ſollicitet, nec proinde periculum ſit ſubverſionis, quamvis aliunde multis ille vitiis deditus ſit, non poteſt dimitti judice S. Hieronymo in caput 19. S. Matth. *Grave*, inquit, *pondus uxorum eſt, ſi excepta fornicationis cauſa, eas dimittere non licet. Quid enim, ſi temulenta fuerit, ſi iracunda, ſi malis moribus, ſi luxurioſa, ſi guloſa, ſi vaga, ſi jugatrix, ſi maledica, tenenda erit iſtiuſmodi? Volumus, nolumus, ſuſtinenda eſt; cùm enim eſſemus liberi, voluntariè nos ſubjecimus ſervituti.* T. 4. p. 1. p. 87.

Quæres an aliquid diſcriminis ſit inter ſeparationem propter adulterium, & propter alias cauſas.

Reſp. affirmativè. Tùm quia ſeparatio propter adulterium fit ex cauſa Matrimonio propria & quaſi intrinſeca; tùm quia perpetua eſſe poteſt, quia violata eſt carnis unitas. Non ita eſt de aliis cauſis ſeparationis, maximè cùm vir ad meliorem mentem redit, ac vitiis renuntiat.

TERTIA CONCLUSIO.

Separatio conjugum non ſolùm licita eſt, ſed aliquando neceſſaria: poteſt tamen conjux innocens juri ſuo cedere, & uxorem adulteram non dimittere, vel dimiſſam certis in caſibus revocare.

Primò, dimittere uxorem adulteram tenetur, vel cùm nulla ſpes eſt emendationis: quo ſenſu dixit Sapiens Proverb. 18. v. 22. *Qui tenet adulteram, ſtultus eſt & inſipiens*, vel cùm ſuſpicio eſt turpiſſimi lenocinii, unde ſcandalum naſcitur; quam ob cauſam Canones nonnulli pœnas imponunt viris, qui adulteras uxores retinent: vel cùm evidens eſt periculum ſubverſionis, aut malæ puerorum educationis. Quapropter S. Auguſtinus L. 1. retract. c. 19. revocat quod ſcripſerat L. 1. de Sermone Domini in monte cap. 16. *permiſſum eſſe, non juſtum divortium*. Ita Canonibus præſcribitur. Cap. *Si vir*. T. 1. p. 30. tit. *De adulteriis. Si vir ſciens uxorem ſuam deliquiſſe, quæ non egerit pœnitentiam, ſed permanet in fornicatione, vixerit cum illa, reus erit, & ejus peccati particeps*. Et cap. *Si quis*. Cauſa 32. q. 1. *maritus, qui cohabitaverit cum uxore adultera, tribus annis ſubjicitur pœnitentiæ.*

Dixi, ſi nulla ſpes emendationis affulgeat: ſi enim illa reſipiſcat, ipſi condonandum eſt. Eodem citato Can. *Si vir. Quòd ſi mulier dimiſſa*, inquit Canon, *egerit penitentiam, & voluerit ad virum ſuum reverti, debet, ſed non ſæpe, recipere peccatricem*. Quo autem titulo debeat, exponit Gloſſa ibidem, *Debet*, inquit, *debito honeſtatis, & non neceſſitatis, quia etiam poſt pœnitentiam poſſet eam accuſare de adulterio.*

Dictis verò cauſis ac periculis ſecluſis nulla lege conjux innocens tenetur dimittere reum; quin potius, juxta monitum Apoſtoli, debet cum illo reconciliari. Imò nonnulli caſus ſunt, in quibus tenetur eum non dimittere: v. g. 1. cùm uterque adulterii pariter reus eſt; valet enim eo in caſu regula juris, *Dolus cum dolo, delictum cum delicto compenſatur*: atque *perini-*

quum videtur, ait reſcriptum Imperatoris Antonini à S. Aug. laudatum L. T. 6. p. 2. de adulter. conjug. cap. 8. *ut pudicitiam vir ab uxore exigat, quam ipſe* 408. D. *non exhibet*. 2. ſi vir adulterio uxoris conſenſerit. 3. ſi adulterium involuntarium fuerit; puta ſi mulier per vim oppreſſa fuerit, vel alius per fraudem ſubſtitutus eſt in thoro. 4. ſi vir occaſionem & cauſam dederit uxoris adulterio, ſive denegando ipſi quæ ad vitam neceſſaria ſunt, ſive à domo eam repellendo, aut alia quacunque duriori & injuſta ratione cum ea agendo. 5. ſi poſt adulterium cum illa reconciliatus fuerit, ſi ad ſocietatem thori admiſerit. 6. ſi vir ſeipſum continere non poſſit, & ſit in proximo fornicationis periculo. 7. ſi, ut mox dictum eſt, uxor certiſſima dederit emendationis ac pœnitentiæ ſigna, & ſit in periculo evidenti æternæ damnationis niſi à viro revocetur: juvat enim virum eſſe in uxorem miſericordem, ſicut deſiderat in ſeipſum miſericordem eſſe Chriſtum. 8. ſi in infidelitate uxor à marito præter adulterii cauſam repudiata alii viro nupſerit, ac poſtea fuerint ambo ad fidem converſi & baptiſati, maritus uxorem recipere tenebitur, ſicut definivit Innoc. III. cap. *Gaudemus*. *De divortiis*. Ratio eſt, quia non debet ut adultera à viro puniri, quæ legum publicarum licentia cum altero contraxit.

ARTICULUS III.

De neceſſitate ac præcepto Matrimonii.

PRIMA CONCLUSIO.

Extat naturale ac divinum Matrimonii præceptum.

Natura ipſa ſuggerit, conſervationi ac propagationi generis humani conſulendum eſſe, in quem finem inſtitutum fuit Matrimonium. Divinum verò præceptum his verbis contineri, *Creſcite & multiplicamini*, multi exiſtimant: ſed alii meliùs opinantur, his verbis Dei benedictionem ad fœcunditatem creaturæ deſignari, quia brutis animantibus dictum pariter fuit, *Creſcite & multiplicamini*, quæ tamen præcepti omnino ſunt incapaces.

SECUNDA CONCLUSIO.

Initio generis humani lege ipſa naturæ tenebantur omnes ad ineunda conjugia: non item poſt ſufficientem humani generis propagationem. Multò minùs in Lege Chriſti tenentur omnes & ſinguli ad Matrimonium, quamvis neceſſe ſit eſſe aliquos, qui, ad conſervationem ſpeciei, aliquando ad propriam infirmitatem, & ſalutem æternam, Matrimonio conjungantur.

Prima pars patet ex mox dictis.

Secunda non minùs certa eſt. Legimus enim in Lege veteri, poſtquam ſufficienter propagatum fuit genus humanum, nonnullos ſine injuria legis divinæ & naturalis, cœlibes & caſtos vixiſſe, quales fuere Joſue, Elias, Jeremias. Unde Iſaiæ 56. & Sapientiæ 3. laudatur caſtitas thori conju-

galis

galis neſcia. Quod ergo legimus Deuter. 7. & Exodi 23. *ſterilem non fore quemquam in terra Iſraelitica*, non præcepti, ſed promiſſionis ſermo eſt, quo benedictio fœcunditatis promittitur conjugibus Dei mandata ſervantibus: nam ſterilis non dicitur, qui, vel quæ non ſuſcipit conjugium; ſed qui conjugio utens, liberos ſuſcitare non poteſt, eaque ſterilitas in opprobrium & maledictionem reputabatur, ut patet exemplo Eliſabeth, Lucæ 1.

Tertia denique pars manifeſta quoque eſt. Quamvis enim Matrimonium bonum ſit, melior tamen eſt continentia ad quam adhortatur Apoſtolus 1. Cor. 7. Liberum igitur eſt in nova Lege nuptias celebrare: imò neceſſarium quidem toti hominum communitati, ſed non ſingulis hominibus, qui quod melius eſt, ſectari poſſunt. Sunt tamen quos per accidens, ut dicitur, ſpeciatim obligat lex ineundi Matrimonii, eos v. g. qui continentiæ donum non habent; *meliùs enim eſt nubere, quàm uri*: qui ſunt in proximo fornicationis periculo: aliquando etiam publica & communis Regnorum utilitas poſtulat ut Principes vel alii viri primarii conjugali fœdere uniantur.

QUÆSTIO SEXTA.

De ſolemnitatibus ad Matrimonium requiſitis.

INter illas ſolemnitates aliæ præcedunt, aliæ verò comitantur celebrationem Matrimonii. Prioris ordinis ſunt ſponſalia, proclamationes, ſeu, ut loquuntur, bannorum publicationes, parentum conſenſus. Poſterioris verò ordinis ſunt, ipſe conſenſus contrahentium, Parochi & teſtium præſentia, benedictio eccleſiaſtica. De conſenſu mutuo contrahentium jam diximus ad quartam hujus Tractatus Quæſtionem; ſicut & de benedictione eccleſiaſtica, ad Quæſtionem primam, ubi ex perpetua Traditione Eccleſiæ demonſtravimus, Matrimonium eſſe verum Sacramentum benedictione Eccleſiæ confirmatum & obſignatum. Supereſt igitur ut dicamus hìc

I. de Sponſalibus.

II. de proclamationibus.

III. de parentum conſenſu: an ſit abſolutè neceſſarius, ut filii familias validè Matrimonium contrahant.

IV. de præſentia Parochi & teſtium; ubi de Matrimoniis clandeſtinis.

ARTICULUS PRIMUS.

De Sponſalibus.

QUæ de Sponſalibus nobis dicenda ſunt, ad hæc revocantur capita. 1. quid ſint Sponſalia. 2. quas exigant conditiones. 3. quot modis poſſint contrahi. 4. à quibus, & coram quibus iniri poſſint, & qua ætate. 5. quos effectus producant. 6. an accedente carnali copula tranſeant in verum Matrimonium. 7. quot modis ſolvi poſſint. 8. quæ pœna ſolventi ſit imponenda. Denique, quæ ſit Sponſalium neceſſitas.

Quæres igitur 1. quid ſint Sponſalia.

Reſp. Sponſalia à ſpondendo appellari, quòd in illis fiat mutua promiſſio de futuro

futuro Matrimonio. Diſtant ergo Sponſalia à Matrimonio, quòd iſtud per verba de præſenti, illa verò per verba de futuro enuntientur. Articulo 44. Edicti Bleſenſis anno 1579. ſub gravi corporali pœna cautum eſt, ne ſcribæ ſeu Notarii publici aliter quàm per verba de futuro excipiant conſenſum eorum qui Matrimonium inter ſe contrahere deſiderant: quia nempe non cenſetur ratum & perfectum Matrimonium, niſi cùm præſente ac præſidente miniſtro Eccleſiæ celebratur. Aliquando Sponſaliorum nomen ſignificat Matrimonium quidem verum & ratum, ſed nondum conſummatum: quo ſenſu B. Virgo, quamquam Matrimonio juncta cum Joſeph, dicitur *desponſata Joſeph*; quia ab ipſo cognita non fuerat, nec erat cognoſcenda. Aliquando etiam uſurpatur pro arrha, ſeu muneribus, quæ à ſponſo ſponſæ dabantur in pignus futuri Matrimonii. Hoc ſenſu L. 1. Regum cap. 18. cùm Saul filiam ſuam Michol Davidi in Matrimonium dare vellet, & ipſe David præ modeſtia excuſaret ſe quòd vir eſſet pauper & tenuis, reſpondit Saul v. 25. *Non habet Rex ſponſalia neceſſe* (id eſt munera) *niſi tantùm centum præputia Philiſtinorum, ut fiat ultio de inimicis Regis*. Sponſalia definiri poſſunt, Futuri Matrimonii mutua & libera promiſſio obligationem pariens.

Quæres 2. quæ ſint conditiones requiſitæ, ut promiſſio futuri Matrimonii ſit legitima.

Reſp. iſtas deſiderari conditiones: ut nempe promiſſio ſit mutua, cùm ſit duorum qui æquali fœdere conjugali uniri debent: ut ſit vera, non ficta: ut libera, non coacta & per metum ac vim extorta: ut ſit deliberata, non præceps: ut ſit exteriùs ſignificata, non purè interna; denique, ut fiat à perſonis legitimis, id eſt nullo impedimento ad contrahendum ſuo tempore Matrimonium ligatis. Has conditiones ſuprà ad quartam hujus Tractatus Quæſtionem, ubi de conſenſu mutuo contrahentium Matrimonium, expoſuimus: quæ hìc dicta ſunt, præſenti argumento accommoda.

Quæres 3. quot modis contrahi poſſint Sponſalia.

Reſp. cum S. Thoma in 4. diſt. 27. qu. 2. art. 1. duobus generatim modis contrahi poſſe, abſolutè ſcilicet, & conditionatè.

T. 10. pag. 478. I. abſolutè & purè contrahuntur Sponſalia, vel per ſimplicem promiſſionem de futuro, ut ſi quis dicat, *Accipiam te in uxorem*, & viciſſim, *Accipiam te in virum*. Vel per arrham & munera quæ dantur in pignus futuri conjugii; vel per annulum quo fides obligatur; vel per juramentum quo magis quidem firmatur promiſſio, ſed intra limites tantùm promiſſionis de futuro. Neque enim jurata Sponſalia vim habent contractus conjugalis, etiamſi fiant præſente Parocho, quia Matrimonium fieri debet per verba de præſenti, quæ conſenſum actu præſentem exprimant. Unde Alexander III. *De ſponſalibus*, cap. *De illis*. Sponſalia jurejurando firmata per nuptias cum alia perſona contractas diſſolvi docet; quod certè non fieret, ſi illa vim habuiſſent veri Matrimonii. *Decret. p. 1422.*

II. contrahuntur conditionatè, ſi nempe aliqua conditio apponatur, quæ vel licita eſt & honeſta, vel illicita & turpis; vel contrà ſubſtantiam Matrimonii, vel non. Certum eſt Spoſalia ſub conditione turpi contraria bonis Matrimonii nulla eſſe ac irrita: ſub alia verò conditione turpi, valere in foro externo, ubi conditio illa habetur pro non adjecta, in foro autem interno non valeret; ſi promiſſio à conditione penderet. Sponſalia ſub

condi-

conditione honeſta non obligant, niſi adimpleta conditione. Vide quæ de his ſuprà diximus.

Quæres 4. à quibus, & coram quibus iniri debeant Sponſalia, & qua ætate.

Reſp. 1. ab iis dumtaxat contrahi poſſe Sponſalia, qui habiles ſunt ad contrahendum Matrimonium; aliàs eſſet promiſſio de re iniqua & illicita. *Pontius L. 12. c. 5. n. 304*

Reſp. 2. poſſe ab impuberibus contrahi Sponſalia, non item Matrimonium; quia ſic jura determinant. Ratio eſt, quia ad vim Sponſalium ſufficit ut quis cognoſcat id ad quod debito tempore ſe obligat; at id poſſunt impuberes. Ad Matrimonium verò de præſenti contrahendum, præter cognitionem ac deliberationem requiritur ætas idonea, quæ non præſumitur eſſe ante pubertatem: unde Matrimonium ab impuberibus de præſenti contractum, in pura Sponſalia reſolvitur c. *Tuæ nobis*. *De deſponſatione impuberum*, & c. unico ejuſdem tituli in Sexto. Cùm ergo in capite 2. *De deſponſatione impuberum*, dicitur propter urgentiſſimam neceſſitatem, ut pote pro bono patriæ, poſſe impuberes conjungi, intelligendum eſt de conjunctione quoad habitationem ſine copula, non quoad vinculum; aut ſaltem dicendum Jus canonicum ea in re aliquando variaſſe. Vide Pontium L. 12. c. 5. n. 3. *Pubertas in viris an. 14. in fem. 12. Decret. p. 1457. Sext. p. 601.*

Reſp. 3. ſtando in ſolo jure naturali, eam ætatem ſufficere ad Sponſalia, in qua contrahentes & cognitionis & deliberationis ſunt capaces: cùm verò certum ſit, ante ſeptem annos multos eſſe in quibus, ut dicitur, malitia ſupplet ætatem, quique ideo cognoſcere poſſunt vim promiſſionis qua ſe obſtringunt, ideo jure ipſo naturali poſſunt valere Sponſalia ante ſeptennium celebrata. Nihilominus Jure canonico ſeptennium determinatum eſt, c. *Litteras*, cap. *Acceſſit*, cap. *Ad diſſolvendum*. *De deſponſatione impuberum*. *Decret. p. 1447. 1448. 1456.*

Reſp. 4. poſſe parentes pro filiis inire Sponalia. *Porro*, inquit Jus canonicum c. 1. paragrapho ultimo, *De ſponſalibus impuberum*, in Sexto, *ex ſponſalibus quæ parentes pro filiis puberibus, vel impuberibus plerumque contrahunt, ipſi filii, ſi expreſsè conſenſerint, vel tacitè, ut ſi præſentes fuerint nec contradixerint, obligantur. Et eſt idem ſi filii tempore ſponſaliorum abſentes, & etiam ignorantes, eadem ſponſalia, tacitè vel expreſsè, poſt ſcientes ratificaverint.* Non poſſunt autem impuberes à Sponſalibus reſilire, niſi cùm ad ætatem pubertatis pervenerint. *Sext. p. 601. n. 30.*

Reſp. denique, nullam à jure communi, aut à Concilio Tridentino præſcriptam fuiſſe ſolemnitatem ac formam ad Sponſalia celebranda, nec ideo abſolutè neceſſe eſſe, ut coram Parocho ac teſtibus celebrentur. Quiſque uſum Eccleſiæ in qua vivit, ſequatur.

Quæres 5. quos effectus producant Sponſalia.

Reſp. 1. ex Sponſalibus jure ipſo naturali obligationem mutuam oriri, qua fit ut non poſſit unus ſine peccato mortali (ob gravitatem materiæ) reſilire. Ita communiter Theologi poſt S. Thomam in 4. diſt. 27. q. 2. art. 1. ad 2. *Ex tali promiſſione*, inquit, *obligatur unus alii ad Matrimonium contrahendum, & peccat mortaliter non ſolvens promiſſum, niſi legitimum impedimentum interveniat; & ſecundùm hoc etiam Eccleſia cogit, injungendo pœnitentiam pro peccato: tamen in foro contentioſo non compellitur, quia Matrimonia coacta conſueverunt malos exitus habere.* Affert eò loci ſanctus Doctor diverſam agendi rationem Juris civilis & canonici in præſenti argumento. Nam Jure civili, adversùs eum qui ſpopondit nulla competit actio; *T. 10. p. 478.*

nec

nec poſſe cogi, qui Matrimonium dumtaxat promiſit, declaravit ac ſtatuit Senatus Pariſienſis die undecima Aprilis ann. 1645. damno tamen, ſi quod fuit, compenſato: Jure autem canonico per cenſuram eccleſiaſticam cogi poteſt, ſi nullum habeat legitimum impedimentum. Ita ſtatuit Alexander III. cap. *Ex litteris*. *De ſponſalibus & Matrimonio*. *Quia prædicto viro*, inquit, *periculum eſt contra ſuum juramentum venire, fraternitati tuæ mandamus, quatenus . . . . eum eccleſiaſtica cenſura compellas, ut ipſam, niſi rationabilis cauſa obſtiterit, in uxorem recipiat, & maritali affectione pertractet*, quod intelligi quoque debet, etiamſi alia Sponſalia cum ſecunda, addito juramento, contraxiſſet, hæc enim nulla ſunt; nec juramentum poteſt eſſe vinculum iniquitatis. Rarò tamen, nec niſi cautione ſumma debet Judex eccleſiaſticus per cenſuram cogere ad contrahendum Matrimonium quod fuit promiſſum; ac monitione potius, quàm pœna, compellere debet, propter graviſſima pericula quæ ex Matrimonio coacto ſequi poſſunt. Ita S. Pontifex Lucius III. cap. *Requiſivit*. *De ſponſalibus*. *Cùm*, inquit, *libera debeant eſſe Matrimonia, monenda eſt potius mulier quæ renuit, quàm cogenda, cùm coactiones difficiles ſoleant exitus frequenter habere*. Et verò ex mox citato Alexandro III. cogendus eſt *qui renuit, niſi rationabilis cauſa obſtiterit*: at ubi quis adduci non poteſt ut liberè ac ſponte contrahat cum ea cui promiſit Matrimonium, certè videtur cauſa rationabilis ne compellatur; periculum ſcilicet rixarum, contentionum ac inimicitiarum, ex quibus vitam amariſſimam à conjugibus trahi neceſſe foret. Quòd ſi arrhæ & aliqua munera data fuiſſent, reſtitui debent ab eo qui reſilit; ac impenſæ, ſi quæ factæ ſunt, reparari.

Decret. p. 1426. n. 20.

Ibid. 5. 1431. n. 40.

Reſp. 2. ex Sponſalibus oriri impedimentum canonicum quod dicitur publicæ honeſtatis, quo ſponſus & ſponſa inhabiles ſunt ad contrahendum cum alterutrius conſanguineis aut affinibus, niſi accedente diſpenſatione. Cap. *Ad audientiam*, cap. *Sponſam*. Lib. 4. tit. 1. *De ſponſalibus & Matrimoniis*. Et cap. 3. *De reform.* Seſſ. 24. Conc. Trid. impedimentum iſtud reſtringit ad primum conſanguinitatis & affinitatis gradum, cùm antea extenderetur ad quartum.

Quæres 6. an Sponſalia invalida inducant impedimentum publicæ honeſtatis.

Reſp. jure veteri inducebant, ut patet ex cap. unico *De ſponſalibus*, in Sexto. L. 4. tit. 1. *De ſponſalibus*, jure autem novo non inducunt. Ita Conc. Trid. Seſſ. 24. c. 3. de reform. decernit, *Juſtitiæ publicæ honeſtatis impedimentum, ubi ſponſalia quacunque ratione valida non erunt, ſancta Synodus prorſus tollit: ubi autem valida fuerint; primum gradum non excedant*.

Utrum verò poſt Conc. Trid. Matrimonia clandeſtina vim habeant Sponſalium, ſicut Matrimonia ab impuberibus contracta; ex cap. *Tuæ nobis*. L. 4. tit. *De ſponſalibus impuberum*, atque ex iis oriatur impedimentum publicæ honeſtatis, quæſtio eſt Ad quam Fagnanus in cap. *Ad audientiam*. L. 4. tit. *De ſponſalibus & Matrimonio*, reſpondet 1. ex ſententia Congregationis Cardinalium ejuſmodi Matrimonia non reſolvi in Matrimonia de futuro. 2. fusè probat ejuſmodi Matrimoniis, quamvis irritis & nullis, oriri impedimentum publicæ honeſtatis, maximè ſi non fuerint prorſus occulta: quemadmodum, inquit, ex Matrimonio per Religioſum aut Presbyterum contracto, licèt nullo & irrito, naſcitur impedimentum publicæ honeſtatis.

Quæ-

Digitized by Google

Quæres 7. an Sponſalia, accedente carnali copula, tranſeant in verum Matrimonium.

Reſp. 1. poſt receptum Concilii Trid. ſtatutum, quo declarantur nulla eſſe Matrimonia clandeſtina facta ſine præſentia Parochi & teſtium, nullum relinqui dubitandi locum, quin Sponſalia in caſu adducto vim non habeant veri Matrimonii: promiſſio enim vim traditionis ſeu donationis non habet; neceſſe verò eſt, ut Matrimonium per verba de præſenti contrahatur coram Parocho & teſtibus. Ita Concilium V. Mediolanenſe ſub S. Carolo titulo de Matrimonio. *Si*, inquit, *ætate jam legitima & Parocho præſente, teſtibus duobus adhibitis, & notariis item, jurati ſpoponderunt ſe Matrimonium inituros, ac deinde non contracto legitimè per verba de præſenti Matrimonio, copulationem inter ſe inierunt, eorum Matrimonium nullum ab Epiſcopo declaretur ac decernatur*. Poſt Concilium Tridentinum non amplius rata ſunt præſumpta Matrimonia per copulam conſummata. *To. 11. Conc. p. 697. C.*

At verò ante decretum Tridentinum, cùm nondum irrita erant Matrimonia clandeſtina, imò & poſt Concilium, in iis locis, in quibus receptum non eſt, nec viget tale decretum, Sponſalia, accedente carnali copula, præſumuntur in verum tranſire Matrimonium, non quidem vi præcisè promiſſionis ſponſalitiæ, ſed vi conſenſus de præſenti qui præſumitur acceſſiſſe, cùm ſponſus & ſponſa affectu maritali vivunt inter ſe. Ita ſtatuerat Gregorius IX. ſucceſſor Honorii III.

Quæres 8. quot modis ſolvi poſſint Sponſalia rata & valida. An. 1241

Reſp. pluribus modis poſſe diſſolvi, qui his duobus verſibus comprehenduntur apud Hoſtienſem.

Diſſenſus, crimen, fuga, tempus, & Ordo, ſecundò.
Morbus, & affinis, vox publica, cùmque reclamant.

I. Diſſolvuntur Sponſalia ex mutuo conſenſu: contractus quippe ille non eſt natura ſua indiſſolubilis, ſicut conjugalis; & ideo per eaſdem cauſas poteſt diſſolvi, per quas naſcitur, cap. *Præterea. De ſponſalibus*. Diſſenſus porro ille debet aliqua rationabili cauſa inniti; aliàs culpa non vacaret. *Quia*, inquit S. Thom. in Supplem. q. 43. art. 1. ad 2. *ex tali promiſſione unus alteri ad Matrimonium contrahendum obligatur, & peccat mortaliter non ſolvens promiſſum, niſi legitimum impedimentum interveniat; & ſecundùm hoc Eccleſia cogit, injungendo pœnitentiam pro peccato. Tamen in foro contentioſo non compellitur, quia Matrimonia coacta conſueverunt malos exitus habere; niſi fortè juramentum intervenerit, quia tunc cogendus eſt qui promiſit, ut quidam dicunt, quamvis aliis non videatur propter cauſam prædictam*. Hæc poſterior ſententia magis accedit ad mentem Alexandri III. cap. *Ex litteris. De ſponſalibus*, & Lucii III. cap. *Requiſivit*, eodem titulo, ubi ſtatuunt imponi quidem debere pœnitentiam à Sponſalibus ſine legitima cauſa reſilienti: nihilominus, etiamſi juramentum præceſſerit, non cogendum, quia coacta conjugia difficiles habent exitus.

II. propter crimen fornicationis poſt Sponſalia commiſſum, c. *Quemadmodum. De Jure jurando*. Idque in gratiam innocentis conceditur, qui tamen ſi reſilire nolit, ſtat vis & obligatio Sponſaliorum. S. Antoninus 3. parte titulo 3. id extendit ad fornicationem ſpiritualem, ſcilicet hæreſim vel infidelitatem.

III. per

III. per diuturnam ſponſi abſentiam, ſi nempe mutato domicilio fuit in aliam patriam, inſcia & inconſulta ſponſa; atque Jure civili ſtatuitur, ut ſi ſponſus intra Provinciam abſuerit, per biennium expectetur; ſi verò extra Provinciam, per triennium. Lege ſecunda Codice *De repudio.*

IV. ſi elapſum fuerit præfixum tempus Matrimonio celebrando, cap. *Sicut*, Extra. *De ſponſalibus.*

V. per ſuſceptionem ſacrorum Ordinum. *De voto*, in Sexto, cap. unico. Item & per Profeſſionem Religionis, cap. *Commiſſum.*

VI. per ſubſequens Matrimonium cum altero contractum, cap. 1. *De ſponſa duorum*, cap. *Sicut*, cap. *Si interveniens.*

VII. per morbum ſupervenientem aut gravem infirmitatem vel deformitatem, v. g. lepram, paralyſim, mutilationem &c. cap. *Quemadmodum*, & cap. *Litteras. De conjugio leproſorum.*

VIII. per affinitatem accedentem poſt Sponſalia, ſive carnalis illa ſit, v. g. ſi ſponſus carnaliter cognovit ſororem ſuæ ſponſæ; ſive ſpiritalis, c. *Fraternitati*, cap. *Veniens.* Extra. *De cognatione ſpirituali.*

IX. ſi per vocem ſeu famam publicam innoteſcat eſſe inter ſponſum & ſponſam aliquod impedimentum.

X. cùm adversùs pacta ſponſalia reclamant, qui ea ante pubertatis annos inierant, cap. *De illis. De ſponſalibus impuberum.* Pariter ſi non adimpleatur aliqua conditio ſub qua Sponſalia inita fuerant, iſta diſſolvuntur, cap. *Super per eo. De conſanguinitate & affinitate.* Vel cùm cognoſcitur, quæ latebat antea, ſponſi aut ſponſæ indoles difficilis ac moroſa, c. *Veniens.*

Quæres 9. an Sponſalia ſolvantur per ſimplex votum caſtitatis.

Reſpondet S. Antoninus 3. parte titulo 1. cap. 18. ſub diſtinctione: vel enim votum illud præceſſit, vel ſequitur Sponſalia. Si præceſſit, nulla ſunt Sponſalia, etiam juramento firmata, *cùm furet facere*, ait ſanctus Doctor, *contra id quod voverat*, quod certè juramentum illicitum eſt. Si verò ſequitur, non diſſolvit Sponſalia, ſed ſubſiſtit in eo qui vovit obligatio, aut votum implendi per ſolemnem Religionis profeſſionem, aut contrahendi Matrimonium. Ibid. ſanctus Doctor duas præſcribit regulas, ex quibus ſolvi facilè poterunt difficultates quæ exurgunt ex duplici obligatione incompoſſibili. Prima eſt, ut quoties contrahuntur duo vincula æqualis potentiæ incompoſſibilia, primum præjudicat ſecundo: altera regula eſt, ut ſi duo vincula non paris potentiæ incompoſſibilia contrahuntur, fortius repellit minùs forte. V. g. ſi quis poſt Sponſalia, vel Ordines ſacros ſuſcipiat, vel profiteatur Religionem, haud dubiè magis obſtringit vinculum Ordinis ſacri, vel Profeſſionis religioſæ, quàm Spoſaliorum.

Quæres 1. quæ pęna debeatur Spoſalia diſſolventi ſine cauſa legitima.

Reſp. cenſura eccleſiaſtica cogi illum poſſe: Jure autem civili nulla datur in eum actio ad celebrandum Matrimonium; ſed tantùm ad damnum, ſi quod fuit, compenſandum, & reſtituenda, ſi quæ data ſunt, munera.

Quæres denique, an neceſſe ſit celebrationi Matrimonii præmitti Spoſalia.

Reſp. 1. Sponſalia neceſſaria non eſſe ut ratum & firmum ſit Matrimonium; nulla quippe communi lege Eccleſiæ talis neceſſitas aſtruitur.

Reſp. 2. pium ac laudabilem eſſe uſum Sponſaliorum, tùm ut futuri conjuges ad rei gravitatem ſeriò attendant; tùm ut præparent ſe ad gratiam Sacra-

Sacramenti; tùm ut concedatur tempus adimplendi conditiones in contractu enuntiatas. S. Auguſtinus L. 8. Confeſſ. cap. 3. aliam adducit rationem: *Inſtitutum eſt*, inquit, *ut jam pactæ ſponſæ non tradantur ſtatim, ne vilem habeat maritus datam, quam non ſuſpiravit ſponſus dilatam.* *T. 1. p. 147. F.*

ARTICULUS II.

De proclamationibus bannorum, ſeu publicis denuntiationibus.

QUæres 1. quid ſignificetur nomine bannorum.

Reſp. bannum vocem eſſe germanicam, quæ ſignificat edictum ſeu publicam proclamationem. Ita Gloſſarium vetus editum ad calcem Hiſtoriæ Aglicanæ Matthæi Pariſienſis. Proclamatio verò hìc nihil aliud eſt, quàm publica denuntiatio ſeu declaratio Matrimonii futuri inter tales perſonas.

Quæres 2. quæ ſit origo & antiquitas denuntiationum quæ ſolent præmitti celebrationi Matrimonii.

Reſp. 1. originem illam repetendam eſſe ab antiqua conſuetudine Chriſtianorum, qui cùm de ineundo conjugio deliberabant, Epiſcopos & Sacerdotes conſulebant, atque ex eorum arbitrio vota ſua moderabantur, ne fortè imprudenter Hæretico, vel Judæo, aut cuipiam apoſtatæ implicarentur. Morem hunc indicat S. Ignatius Martyr in Epiſtola ad Polycarpum. Ad illum pariter refert doctiſſimus & illuſtriſſimus Albaſpinæus, quod ſcribit Tertullianus Lib. 2. ad uxorem cap. 9. Eccleſiam ſcilicet *conciliare* Matrimonium &c. *P. 171. G.*

Reſp. 2. denuntiationes illas in Eccleſia antiquas eſſe. Nonnulli à Tertulliano ipſo deſignatas fuiſſe arbitrantur loco mox citato, ubi ſic ait: *Unde ſufficiamus ad enarrandam fælicitatem ejus Matrimonii, quod Eccleſia conciliat, & confirmat oblatio, & obſignat benedictio, Angeli renuntiant, pater rato habet?* Quo in loco per *Angelos*, Sacerdotes; & per verbum iſtud, *renuntiant*, publicas in Eccleſia futuri Matrimonii denuntiationes intelligunt. Alii verò per Angelos, cœleſtes intelligunt ſpiritus, qui orationibus Chriſtianorum & incruento altaris ſacrificio, quo nuptias confirmari dicit Tertullianus, interſunt, quique renuntiant, hoc eſt, ratum habent & obſignant ſic initum, ut oportet, Matrimonium. Et verò videtur Tertullianus loqui de renuntiatione quæ ſequitur Matrimonium jam ratum & obſignatum: at talis profectò non ea eſt, de qua hìc loquimur, denuntiatio, quæ antecedit, non ſequitur Matrimonii celebrationem.

In multis Eccleſiis pervetuſtum eſſe uſum proclamationum ſeu denuntiationum, præſertim in noſtra Gallicana, patet ex Conſtitutionibus Odonis Epiſcopi Pariſienſis ann. 1207. & ex Reſcripto Innocentii III. ad Epiſcopum Bellovacenſem, ubi mentionem facit publicationis Bannorum; & in Concilio Bituricenſi an. 1286. cap. 2. *Diſtrictè inhibemus*, inquiunt Patres, *ne ante ætatem legitimam maſculus vel femina Matrimonium contrahant, & niſi in facie Eccleſiæ, atque bannis priùs editis juxta morem*. Concilium Lateranenſe IV. ſub Innocentio III. ann. 1215. cap. 51. apertè ſignificat, uſum illum, quem publica & generali lege confirmat, novum non eſſe, ſed jamdiu in quibuſdam locis obſervatum. *Edit. Toloſ. p. 453. T. 11. Conc. p. 1248. ibid. p. 201. E.*

Quæ-

Quæres 3. quæ ſit denuntiationum neceſſitas: an præcepti tantûm, an etiam Sacramenti; ita ut nullum ſit & planè irritum Matrimonium ſine præmiſſis denuntiationibus celebratum.

Reſp. 1. certum eſſe apud omnes, denuntiationes illas ex præcepto Eccleſiæ eſſe neceſſarias. Ita ſtatuit Concilium Lateranenſe IV. an. 1215. cap.
Ibid. p. 51. cujus hæc verba ſunt: *Specialem quorumdam locorum conſuetudinem ad*
204. A. *alia generaliter prorogando, ſtatuimus, ut cùm Matrimonia fuerint contrahenda, in Eccleſiis per Presbyteros publicè proponantur, competenti termino præfinito, ut infra illum, qui voluerit & valuerit, legitimum impedimentum opponat. Et ipſi Presbyteri nihilominus inveſtigent, utrum aliquod impedimentum obſiſtat. Cùm autem probabilis apparuerit conjectura contra copulam contrahendam, contractus interdicatur expreſsè, donec quid fieri debeat ſuper eo manifeſtis conſtiterit documentis.*

Hanc Lateranenſis Concilii diſciplinam ubique receptam non fuiſſe teſtatur Dominicus Soto in 4. diſt. 28. q. 1. art. 2. præſertim verò in Hiſpania. *In multis*, inquit, *Eccleſiis Hiſpaniæ, quorum princeps eſt Toletana, & ſecundùm eam aliæ, hujuſmodi ritus abolevit ab uſu, ubi ob eorum* (bannorum) *defectum non æſtimantur clandeſtina Matrimonia, ſed ſolùm ob defectum teſtium.* Rationem ſubjicit ibidem, *quòd nempe per banna, quibus impedimenta caveri curantur, obſtacula potius objicerentur, ne fierent.*

Abuſum correxit Synodus Trid. Seſſ. 24. de reformatione Matrimonii cap. 1. ubi jubet præmitti futuro Matrimonio publicas in Eccleſia denun-
Tom. 14. tiationes. *Sacri*, inquit, *Concilii Lateranenſis ſub Innocentio III. celebrati*
Conc. p. *veſtigiis inhærendo, præcipit* (ſancta Synodus) *ut in poſterum antequam*
876. C. *Matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus feſtivis in Eccleſia inter Miſſarum ſolemnia publicè denuntietur, inter quos Matrimonium ſit contrahendum: quibus denuntiationibus factis, ſi nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem Matrimonii in facie Eccleſiæ procedatur . . . . . . Quòd ſi aliquando probabilis fuerit ſuſpicio, Matrimonium malitioſè impediri poſſe, ſi tot præceſſerint denuntiationes, tunc vel una tantùm denuntiatio fiat, vel ſaltem Parocho & duobus vel tribus teſtibus præſentibus Matrimonium celebretur. Deinde ante illius conſummationem denuntiationes in Eccleſia fiant, ut ſi aliqua ſubſunt impedimenta, faciliùs detegantur; niſi Ordinarius ipſe expedire judicaverit, ut prædictæ denuntiationes remittantur, quod illius prudentiæ & judicio ſancta Synodus relinquit.*

Hanc Concilii diſciplinam ultro acceptavit & ſuam fecit Gallia. Rex enim Chriſtianiſſimus Henricus III. an. 1579. in Edicto Bleſenſi art. 40. ſic
Edictū jubet. *Ad occurrendum abuſibus & damnis, quæ ex Matrimoniis clandeſtinis*
Bleſenſe art. *oriuntur, decrevimus & decernimus, quòd ſubditi noſtri cujuſcunque ſtatus,*
40. *qualitatis, & conditionis exiſtant, contrahere validè non poterunt Matrimonium, ſine publicis bannorum proclamationibus factis tribus diverſis diebus feſtis cum competenti temporis intervallo, à quibus diſpenſatio obtineri non poterit, niſi poſt factam primam proclamationem, & hoc tantùm ob urgentem & legitimam cauſam, & ad ſupplicationem precipuorum ex conſanguineis eorum qui contrahere volunt.* Confirmatum fuit iſtud caput art. 25. Edicti Melodunenſis an. 1580. & variis aliis Regum noſtrorum Edictis, Henrici IV.

ann.

an. *1606.* art. 12. Ludovici XIII. an. *1629.* & *1639.* & Ludovici XIV. anno *1697.* Ex quibus omnibus facile eſt inferre, non poſſe ſine gravi culpa prætermitti publicas illas denuntiationes quas tam ſtrictò jure præcipit utraque auctoritas, Eccleſiaſtica & Regia.

Concilium Provinciale Narbonenſe ann. 1551. Can. 53. de Sacramento Matrimonii, excommunicandos decernit, qui, nulla obtenta diſpenſatione, clam ſine præviis denuntiationibus Matrimonium inire attentaverint. *T. 15. Conc. p. 29.*

Reſp. 2. publicas illas denuntiationes non pertinere ad ſubſtantiam Matrimonii; ſiquidem abſque illis, ex cauſa legitima, poteſt celebrari Matrimonium ex Conc. Trid. mox citato. Quin Judices ipſi ſæculares nonnullos interdum compellunt ad Matrimonium, omiſſis illis proclamationibus, ſtatim contrahendum, referente clariſſimo Domino Louet in ſuis Arreſtis Littera M. pag. *46.* Tomi 2.

Neque obſtat quòd proclamatiònes illæ ſint inſtitutæ ad hoc ne clandeſtinum ſit Matrimonium, quod ex Decreto Tridentino nullum eſt & invalidum. Namque declaravit quidem Concilium, nullum eſſe Matrimonium clandeſtinum, ſed non declaravit tunc verè clandeſtinum eſſe, adeoque nullum, cùm omiſſæ ſunt denuntiationes: ***ſiquidem clandeſtinum Matrimonium illud jure cenſendum eſt***, ait Dominicus Soto in 4. diſt. 28. q. 1. art. 2. ***quod clam Eccleſia fit, hoc eſt, ipſa neſciente, ut pote ſine Parocho & teſtibus: banna enim, quamvis ad majorem cautelam fuerint adjecta, non ſunt uſque adeo neceſſaria.*** *P. 706. col. 2.* Sola ergo clandeſtinitas orta ex defectu præſentiæ Parochi & teſtium, irritat & nullum facit conjugium: non clandeſtinitas orta ex ſolo defectu proclamationum bannorum.

Neque obſtat 2. quòd tùm Edicto Bleſenſi articulo 40. citato, tùm Edicto Ludovici XIII. anni *1629.* articulo *39.* declarentur Matrimonia ***non validè contrahi*** abſque præviis illis bannorum proclamationibus. Namque 1. reſpondent nonnulli, iſtud, ***non validè***, adjectum fuiſſe ab iis qui Edicta concinnarunt; quòd fortè in ea eſſent privata ſententia, Concilium Tridentinum nullum declaraſſe Matrimonium, ut pote clandeſtinum, propter defectum illarum proclamationum: qua in re Conciliì mentem non videntur aſſecuti. Ita porro cenſuiſſe nonnullos Juris utriuſque peritos, refert Fevretius Lib. 5. de abuſu cap. 2. n. 20. & 21. 2. Reſpondent alii, clauſulam hanc, ***non validè***, referri dumtaxat ad effectus civiles Matrimonii, de quibus ſtatuere ad Principes pertinet, non verò ad ipſam Sacramenti ſubſtantiam, niſi aliunde aliquod foret dirimens impedimentum. ***Ex illa regia Bleſenſi lege***, ait D. Chopin citatus à Fevretio, ***negarunt mariti hæredes conjugi ſuperſtiti bonorum communicationem, quæ patrio more ei competiſſet, quia clam nulliſque præconiis eccleſiaſticis Matrimonium initum fuerat.*** Et ſtatim poſtea: ***Lege ſeu Principe connubium vetante, neque dos ſequetur, neque donatio propter nuptias, aut legitima fortunarum ſocietas intelligitur, ſuper quo plurima Senatus conſulta facta ſunt.*** Fuit autem in ea opinione D. Chopin, defectu præconiorum eccleſiaſticorum ſeu publicationis bannorum, Matrimonium eſſe verè clandeſtinum, & conſequenter nullum. Eandem clauſulam, ***non validè*** contractum Matrimonium, eodem modo quoad effectus civiles interpretatur ipſe Fevretius loco citato. Ita pariter Auctor qui collegit probationes Libertatum Eccleſiæ Gallicanæ Tomo 2. pag. *967.* Ita clariſſimus ipſe

Chopin. Mornac. *T. 2. p. 43.*

Ib. p. 44.

ipſe D. Louet in ſuis Arreſtis Littera M. pag. 49. Tomi 2. Multa quoque eodem in loco indicat Senatus conſulta, quæ Matrimonium verè clandeſtinum, adeoque nullum & invalidè contractum declarant, propter defectum proclamationis bannorum. Verùm obſervari debet, non ſolùm hunc defectum in ejuſmodi Matrimoniis notari, ſed aut defectum præſentiæ proprii Parochi, aut defectum libertatis, interveniente raptu, ex quo duplici capite oritur impedimentum dirimens. Ita denique reſponſum fuit Regis nomine anno 1630. Clero Gallicano, qui poſtulaverat dictæ clauſulæ in Edicto Ludovici XIII. inſertæ interpretationem. 3. Alii reſpondent iſtud, *invalidè contrahere non poſſunt*, cadere in ipſum Matrimonium, quatenus clandeſtinum eſt; in defectum verò proclamationum, quatenus eſt veluti certum ſignum Matrimonii clam contracti.

Quæres 4. à quibus, quo in loco, quo tempore, & quoties fieri debeant bannorum proclamationes.

Reſp. ad primum, debere fieri à proprio Parocho utriuſque contrahentis. Ratio aperta eſt: cùm enim illæ denuntiationes in hunc finem ſint inſtitutæ, ut ſi quod eſt impedimentum, detegatur, ordo poſtulat ut fiant in Parochia utriuſque contrahentis, ex qua haberi poteſt notitia illius impedimenti. Ita S. Carolus Actorum parte 4. Ita Rituale Romanum & Pariſienſe.

Proprius autem Parochus ille eſt in cujus Parochia contrahentes commorantur à certo quodam ſpatio temporis. Rex noſter Chriſtianiſſimus Edicto ſuo anni 1697. tempus illud determinavit ad ſex menſes, pro iis qui in eadem Diœceſi ab una ad aliam Parochiam tranſmigrant; ad annum verò pro iis qui ab una ad aliam Diœceſim tranſeunt, niſi fortè licentiam habeant ſcripto datam à proprio ſuo Epiſcopo Diœceſano, vel Parocho, Matrimonium, ubi voluerint, contrahendi. Eodem Edicto jubet Rex, ut ſi filii familias ſub poteſtate patris conſtituti voluerint inire Matrimonium, debeat priùs Parochus conſenſum parentum exploratum habere, quàm denuntiet futurum illud Matrimonium; atque ut denuntiationes fiant in Parochia tùm parentum, tùm filii, ſi fortè eadem non fuerit.

Obſervat Fevretius L. 5. c. 2. apparitorem quemdam regium, cùm attentaſſet, recuſante Parocho, proclamationes bannorum publicè ad fores Eccleſiæ facere, ſeverè mulctatum ac punitum fuiſſe Decreto Senatus Pariſienſis die 12. Martii anni 1614.

Reſp. ad ſecundum & tertium, proclamationes illas fieri debere in Eccleſia, tribus diebus feſtis, & intra Miſſarum ſolemnia, ait Conc. Trid. antea laudatum. Eam ſcilicet Officii eccleſiaſtici partem ſelegit, & iis diebus in quibus frequentior eſt populus, unde faciliùs detegi poteſt, ſi quod eſt, impedimentum. Refert citato mox loco Fevretius, improbatum fuiſſe à Senatu Pariſienſi an. 1608. die 28. Februarii quemdam Parochum, quòd poſt Veſperas unam feciſſet bannorum proclamationem, obtenta duorum aliorum diſpenſatione.

Reſp. ad quartam, denuntiationes illas debere fieri tribus diebus feſtis continuis; ita tamen ut aliquod ſit intervallum. *Competenti termino præfinito*, ait Concilium Lateranenſe; *ſeu competenti temporis intervallo*, ait Edictum Bleſenſe, ut nempe ſit mora temporis ſufficiens impedimentis detegendis. *Si tres dies feſti ſe immediatè ſequantur*, ait Rituale Pariſienſe Illuſtriſſimi

Domi-

Domini Franciſci de Gondy, hac in parte renovatum & confirmatum ab Eminent. Card. de Noailles Archiepiſcopo Pariſienſi, *nullo alio interjecto, non debent intra illud triduum fieri omnes denuntiationes; ſed oportet intra primam & ſecundam, vel inter ſecundam & tertiam diem unam ſaltem intercedere, ne brevitate temporis eludantur qui aliquod impedimentum revelare tenentur. Si verò*, pergit idem Rituale, ſicut & Romanum, *infra duos menſes* (Rituale Eminent. Card. Noallii ſex aſſignat) *poſt factas denuntiationes, Matrimonium non contrahatur, denuntiationes omnes repetantur, perinde ac ſi nullæ factæ fuiſſent.*

Concilium Provinciale Narbonenſe ann. 1551. Can. 53. vult ut Matrimonium celebretur tribus dumtaxat diebus poſt ultimam denuntiationem. S. Carolus Borromæus in Concilio Mediolanenſi III. prohibet ne eadem die qua facta eſt ultima denuntiatio, celebretur Matrimonium, niſi impetrata ab Epiſcopo facultate. T. 15. Conc. p. 28.

Quæres 5. quis ſit illarum denuntiationum finis.

Reſp. ex jam dictis manifeſtum eſſe, denuntiationum finem hunc eſſe, ut ſi quod ſit impedimentum inter futuros conjuges, innoteſcat; & ita variis occurratur malis & incommodis quæ oriuntur ex Matrimoniis inordinatè contractis.

Quæres 6. an qui novit aliquod eſſe impedimentum inter eos quorum futurum denuntiatur Matrimonium, teneatur illud revelare, & cui.

Reſp. vel impedimentum eſt publicum, & tale ut probari poſſit; vel occultum proveniens ex peccato, aut alio ex capite, quod non poteſt probari. Rurſus, qui contrahere deſiderant Matrimonium, vel ſunt in bona fide, planè ignorantes impedimentum quo ligantur; vel illud cognoſcunt. Si publicum ſit quod probari poſſit, omnes conſentiunt debere revelari ab eo qui illud novit, Epiſcopo vel Parocho; aliàs fruſtra eſſet lex Eccleſiæ quæ jubet eas denuntiationes fieri. Si verò impedimentum illud ſit occultum & ab uno dumtaxat cognitum, quod proinde probari non poteſt, & aliunde contrahentes ſunt in bona fide, varia eſt Theologorum ſententia. Pontius Lib. 5. cap. 34. negat illum teneri in conſcientia ad revelandum. E contra affirmat Sanchez L. 3. diſput. 13. n. 2. his momentis ductus. 1. quia hæc denuntiatio non tendit ad punitionem criminis admiſſi, ſed ad vitandum peccatum; ergo quamvis denuntians probare nequeat, neque ejus teſtimonium ſufficeret ad impediendum, tenetur denuntiare, quia aperiret Prælato viam, ut diligenter inquirat de impedimentis, & curet ut contrahentes tùm monitionibus, tùm aliis modis à contrahendo avertat. 2. quia in aliis rebus ideo non tenetur unus teſtis denuntiare quod probare nequit, quia ejus teſtimonium non ſufficit ut illi malo conſulatur: hoc autem in præſenti caſu locum non habet, cùm unus ſaltem teſtis ſufficiat ad impediendum Matrimonium. 3. quia quivis tenetur Superiori præcipienti detegere peccatum inferens tertio damnum, teſte S. Thoma 2. 2. q. 70. art. 1. ad 2. ſed in hoc caſu, ſi impedimentum non detegatur, ſequitur grave damnum tertio ob nullitatem Matrimonii; ergo manifeſtandum eſt. Ita Sanchez. Nihilominus Pontius loco indicato his argumentis reſpondet, ac exiſtimat, cùm impedimentum occultum eſt, & uni dumtaxat cognitum, nec poteſt probari; vel cùm contrahentes ſunt in bona fide, aut ſi in mala, nulla ſpes eſt eos à contrahendo receſſuros, multò magis cùm impedimentum eſt à peccato occulto, non teneri, qui novit illud, Superiori declarare. P. 224.

N 2 Quod

Digitized by Google

Quod verò ipſos ſpectat contrahentes, ſi illi conſcii ſibi ſint alicujus impedimenti dirimentis, quamtumvis ſit occultum & ortum ex peccato, tenentur veritatem dicere, etiamſi ſequatur infamia; aut à Matrimonio contrahendo deſiſtere: quia etſi nullus debeat rogatus, etiam ſub juramento, crimen ſuum manifeſtare, quando proceditur ad pœnam, niſi contra ipſum fuerit ſemiplena probatio, (nullus etenim debet eſſe primus teſtis contra ſeipſum) tamen quando Judex procedit ad cognitionem impedimenti Matrimonii, vel electionis, vel Ordinis, quiſque tenetur Judici impedimentum detegere, quia inde ſequerentur damna contra religionem, vel caſtitatem, vel juſtitiam, ſi quis illegitimè vel contraheret, vel eligeretur, vel ordinaretur: Matrimonium enim vel electio nulla eſſent, & Ordinatio irrita, eo modo quo jura irritam dicunt; quæ certè damna tenetur unuſquiſque quantùm in ſe eſt avertere. Facile autem eſt ea declinare, ſi qui alicujus impedimenti ſibi ſunt conſcii, nec Matrimonium contrahant, nec accedant ad ſacros Ordines, vel electionem non acceptent.

Quæres 7. quomodo gerere ſe debeat Parochus, cùm vel per alium, vel per ſeipſum, ſive publica, ſive occulta per confeſſionem ſacramentalem via, novit aliquod impedimentum, aut cùm ſit oppoſitio futuro conjugio.

Reſp. 1. Parochum, qui ſolus per confeſſionem ſacramentalem novit aliquod impedimentum, non poſſe denegare petentibus nuptialem benedictionem, ſed tantùm in foro conſcientiæ diſſuadere nuptias, donec petita fuerit & obtenta diſpenſatio. Ratio eſt, quia Sacerdos uti non poteſt ad actus exteriores notitia per confeſſionem ſacramentalem comparata: quæ enim hac via novit, perinde ſunt ac ſi non cognoviſſet.

Reſp. 2. Parochum, qui ſolus extra confeſſionem novit impedimentum quod non poteſt probare, non poſſe pariter Matrimonium petentibus denegare. Ratio eſt, quia cùm ſit judex, non poteſt eſſe teſtis.

Reſp. 3. Parochum, qui novit impedimentum ex teſtimonio & oppoſitione aliorum, non poſſe ulteriùs procedere, neque in denuntiationibus perficiendis, ſi nondum ſunt perfectæ, neque in celebrando conjugio, donec ſublata ſit oppoſitio, & fuerit impetrata diſpenſatio ab impedimento.

Quæres 8. an, & quibus in caſibus, & quorum auctoritate dari poſſit diſpenſatio à publicis denuntiationibus.

Reſp. 1. ad ſolos Epiſcopos pertinere facultatem diſpenſandi à proclamationibus bannorum, quia Conc. Trid. hoc permittit prudentiæ & judicio *Ordinariorum*, quo certe nomine Epiſcopos intelligit. Ita Concilium
T. 15. Mediolanenſe II. ann. 1569. tit. 1. Decreto 26. *Eas autem*, inquit, *denun-*
Conc. p. *tiationes ne ulla quidem ex parte remittere ei;* (Parochis) *liceat, niſi pro-*
348. E. *prii Epiſcopi conceſſu, idque cauſis jure permiſſis*. Et Concilium Rothoma-
Ibid. p. 819. B. genſe ann. 1581. *Vel omnino*, inquit, *vel ex parte remitti poſſunt, pro ſolius*
Ibid. p. *Ordinarii judicio*. Item ſtatuunt Concilia Aquenſe ann. 1585. Toloſanum
1138. D. ann. 1590. Narbonenſe ann. 1609. circa quod conſulta Congregatio Car-
1198. B. 1595. B. dinalium ſic reſpondit: *Non permittitur hæc facultas Commendatario, licet ejus Abbatia jura Epiſcopalia habeat, cujus Abbas appellatione Ordinarii venit, juxta Gloſſam in caput Finali. De officiis ordinandorum, in Sexto. Dixit enim ſanctiſſimus noſter, quòd Ordinarius hic non intelligitur*

niſi

niſi Epiſcopus: tamen Cardinali Farneſio Commendatario Farfenſis Monaſterii fuit permiſſum, non autem eius Vicario.

Dubitant nonnulli, an per Ordinarium, non tantùm Epiſcopus, ſed & ipſius Vicarius generalis debeat intelligi, ita ut jure ipſo per Conc. Trid. conceſſo poſſit diſpenſare. Affirmat Sanchez L. 3. diſput. 7. n. 10. cum hac tamen limitatione, niſi Epiſcopus ſpecialiter ſibi facultatem hanc reſervaverit. Negat verò Pontius L. 5. c. 31. n. 5. At facile eſt rem totam componere, ſi dicatur poſſe Epiſcopum jus illud ſibi reſervare, & etiam concedere ſuo Vicario generali. *Matrimoniales denuntiationes*, ait Concilium Narbonenſe an. 1609. *ſolus Epiſcopus, vel ejus in ſpiritualibus Vicarius generalis ex cauſa benè nota remittat; Officiales verò ſuper illis diſpenſare non attentabunt, cùm illud illis prohibitum ſit, prout præſenti decreto prohibemus.*

Reſp. 2. nonniſi gravi de cauſa debere Epiſcopos diſpenſare à proclamationibus bannorum. Conc. Trid. loco antea citato, iſtam dumtaxat expreſſit, *quando probabilis eſt ſuſpicio Matrimonium malitioſè impediendum*. Verùm cùm rem totam permittat prudentiæ & judicio Epiſcoporum, alias cauſas non excluſit. Et certè nonnullæ occurrunt interdum ita graves, ut non ſine periculo ac ſcandalo præmitterentur denuntiationes. V. g. cùm aliqui tanquam verè conjugati jam à longo tempore ſimul habitant, & pro veris conjugibus habentur, inter quos tamen eſt aliquod impedimentum dirimens: præſtat eo in caſu clam & ſecretò ſine denuntiationibus renovari conſenſum coram Parocho. Si obſervaretur quod ſapienter jubet Edictum Bleſenſe, ut nempe ad ſupplicationem proximorum è conſanguineis eorum qui contrahere volunt, concederentur diſpenſationes à publicatione bannorum, multis haud dubiè incommodis occurreretur, ac cautè omnino præcaverentur Matrimonia filiorum familias inſciis, aut invitis parentibus facta.

ARTICULUS III.

An parentum conſenſus abſolutè ſit neceſſarius ut filii familias validè contrahant Matrimonium.

QUæſtio eſt utrum parentum conſenſus ſit neceſſarius, jure tùm naturali, tùm divino, tùm eccleſiaſtico, tùm civili, ut filii familiares licitè & validè Matrimonium contrahant.

An jure naturali & divino Matrimonium filiorum familias ſine conſenſu parentum nullum ſit, irritum, & illicitum.

Novatores Lutherani & Calviniſtæ non tantùm illicitum, ſed etiam nullum & irritum exiſtimant jure naturali ac divino Matrimonium quod filii familias, ſuis parentibus inſciis vel invitis, contrahunt.

Lutherus in Sermone de Matrimonio cum diſtinctione loquitur. Vel enim nata eſt proles ex conjugio ſic contracto, vel nondum nata eſt. Si primum, firmum ſubſiſtit Matrimonium; ſi poſterius, erit in poteſtate parentum illud confirmare vel irritare. Ad quæ poſtrema verba reſpexiſſe videntur Patres Tridentini Seſſ. 24. de reformatione Matrimonii cap. 1. ubi ana- *T. 12. Conc. p. 876. B.*

themate damnant eos *qui dicunt parentes poſſe rata vel irrita facere Matrimonia filiorum ſuorum facta ſine ſuo conſenſu.*

Calvinus Lib. 4. Inſtitutionis c. 19. paragr. ultimo, inter leges quas Catholici *partim*, ut ipſe ait, *in Deum impias, partim in homines iniquiſſimas*
P. 548. *ſanxerunt*, hanc reponit, *quòd conjugia inter adoleſcentulos, parentum injuſſu contracta, firma rataque maneant.*

Præiverat Eraſmus in Colloquio de Matrimonio, ubi ſic loquitur: *Definiunt quidam Matrimonium eſſe ratum, quod inſciis, aut etiam invitis parentibus inter puerum & puellam per verba de præſenti contractum eſt: atqui iſtud dogma nec naturæ ſenſus approbat, nec veterum leges, nec Moyſes, nec evangelica aut apoſtolica doctrina.*

Catholici concordi ſententia docent. 1. jure naturali ac divino irrita non eſſe Matrimonia defectu conſenſus parentum. 2. illicita tamen eſſe ut plurimum, cùm ſine juſta & rationabili cauſa, filii, non rogato priùs & obtento ſuorum parentum beneplacito, contrahunt; adeoque peccare illos graviter contra honorem ac reverentiam quam omni jure naturali, divino, eccleſiaſtico & civili tenentur parentibus exhibere: uno verbo, jus naturale ac divinum prohibet quidem, ſed irrita non reddit Matrimonia filiorum facta ſine conſenſu parentum. Itaque ſit

CONCLUSIO.

Nec jure naturali, nec jure divino poſitivo, irritum eſt ac invalidum Matrimonium à filiis contractum inſciis vel invitis parentibus: graviter tamen peccant filii qui ſine cauſa legitima ſic contrahunt.

Tres ſunt Concluſionis partes.

Prima pars de jure naturali, probatur. Tùm quia ſi una audiatur natura, ſolus contrahentium conſenſus videbitur ſufficiens ad firmum & ratum Matrimonium: nullorum quippe res hìc magis agitur, quàm contrahentium; igitur eorum conſenſum non videtur jus naturale tanquam omnino neceſſarium exigere. Aliàs, nequidem filii emancipati, nequidem viduæ ipſæ poſſent, ſine conſenſu parentum, validè contrahere Matrimonium, ſi jure ipſo naturali conſenſus ille ſit neceſſarius: atqui tamen Jure canonico & civili (quod naturæ haud dubiè non adverſatur) filii emancipati validè contrahunt, etſi reluctante patre; de vidua dixit Apoſtolus 1. Cor. 7. *Cui vult nubat, tantùm in Domino.* **Tùm quia**, inquit Eſtius in 4. diſt. 28. paragr. 1. *in iis diſponendis & con-*
P. 369. *ſtituendis quæ ad ſtatum vitæ totius pertinent, cujuſmodi ſunt Matrimonium,*
col. 1. D. *& continentia perpetua, & vita monaſtica, liberum unumquemque eſſe convenit, ac ſoli Deo ſubjectum. Quæ ſanè libertas multùm minueretur, ſi ex conſenſu parentum conjugia liberorum dependerent.*

Secunda pars, jure etiam divino poſitivo non irritari Matrimonia filiorum ſine conſenſu parentum facta, patet exemplis Scripturæ. Gen. 26. *Eſau duxit uxores duas*, quæ ambæ offenderant animum Iſaaci & Rebeccæ. Rurſus c. 28. accepit tertiam contra eorumdem parentum ſuorum voluntatem; nec tamen legimus ab Iſaac infirmata fuiſſe hæc conjugia. Gen. 29. & 30. Jacob unam quidem uxorem juxta conſilium parentum; ſed alias tres, & præſertim duas ancil-

ancillas, duxit parentibus omnino inſciis. Tobias quoque, cap.7. Libri qui ejus nomine inſcribitur, uxorem duxit in aliena regione, ignorantibus parentibus. Illa verò conjugia jure naturali & divino irrita fuiſſe, propter defectum conſenſus parentum, nullibi affirmat Hiſtoria ſacra, nullibi ſtatuit lex divina; & quidquid Novatores proferunt ad commendationem obedientiæ quam filii parentibus exhibere tenentur, non aliò tendit, quàm ut efficiatur debere reipſa filios in ducendis uxoribus parentes conſulere, atque illicitum eſſe conjugium ſi illis inconſultis contrahatur. Accedit auctoritas Conc. Trid. Seſſ. 24. de reform. c. 1. ubi eos anathemate ferit, ***qui falsò affirmant Matrimonia à filiis familias ſine conſenſu parentum contracta, irrita eſſe, & parentes ea rata vel irrita facere poſſe.***

Probatur tertia pars Concluſionis. 1. manifeſta ratione ducta ex obedientia, honore, reverentia, animi gratitudine quam filii parentibus exhibere in omnibus omni jure tenentur; ſed in re potiſſimùm, unde pendet totum vitæ inſtitutum, familiarum pax, regnorum optima conſtitutio, fœlix conjugiorum exitus: tale eſſe Matrimonium nullus ibit inficias. Atque hinc tanta ſollicitudine & ſub tam gravi pœna cavent Leges civiles, ne filii ſuis inconſultis parentibus uxores ſibi aſſumant. Apud nos Gallos Regum noſtrorum Edictis ac Declarationibus cautum eſt, ne filii ante trigeſimum, filiæ verò ante vigeſimum quintum ætatis annum inſciis aut non conſentientibus parentibus Matrimonium contrahant. Quòd ſi parentes adhuc poſt hanc *T. 1. p. 311.* ætatem renuant, tenentur filii obſequioſa & reverenti denuntiatione ipſis ſuam de contrahendo conjugio voluntatem declarare; qua facta, pœnæ exhæredationis non ſubjacent. 2. Id evincunt ſanctorum exempla in Scripturis. Gen. 24. Iſaac accepit uxorem quam pater ei dedit, & Rebecca uxor ipſius conſilium patris ſui ea in re ſequuta eſt: de qua re diſputans S. Ambroſius L. 1. de Abraham c. ultimo, multa ad hoc propoſitum adducit, & inter alia laudat verſus Euripidis, qui virginem ſic loquentem inducit: ***Sponſalium quidem meorum pater meus curam ſubibit: hoc enim non eſt meum.*** Atque inde eſt quòd Exodi 34. & Deuter. 7. mandatum de filiis Matrimonio conjungendis, ad parentes potius quàm ad filios dirigitur, ***Filiam tuam non dabis filio ejus; nec filiam illius accipies filio tuo,*** ait ſacer Contextus. Et Iſaac apertè juſſit filio ſuo Jacob, ne acciperet uxorem de filiabus Palæſtinorum, ſed aliquam inter filias Laban, quod ille obſequendo fecit, Gen. 28. Quorſum verò iſta, niſi ut intelligamus parentum eſſe providere ſuis filiis, de uxore ducenda, nec poſſe filios ſine gravi culpa ſuis parentibus hac in parte non obſequi.

Neque hinc inferas, poſſe filium cogi à patre ad hanc ducendam uxorem. Namque

Reſpondet Bellarminus, de Matrimonio cap. 19. tribus modis intelligi poſſe filium à patre cogi ad Matrimonium. *T. 7. p. 534. A.* 1. ut planè diſſentientem & invitum pater ad nuptias adigat: at iſtud fieri non poteſt; quòd ſi fieret, nullum eſſet Matrimonium, defectu liberi conſenſus. 2. ut filium aſſentiri cogat injecto metu mortis, aut alio gravi cadente in virum conſtantem; & hoc pariter non licet patri, propter eandem rationem. 3. ut filium ad aſſentiendum inducat auctoritate paterna imperando, ita ut de nolente fiat volens, de reluctante conſentiens: qua certè ratione poteſt pater filium adducere ad contrahendum cum tali muliere Matrimonium.

Dixi in Concluſione, peccare filios qui ſine juſta & legitima cauſa Matrimonium contrahunt ſine conſenſu parentum petito & obtento: fieri quippe poteſt, & aliquandò contingit, eos non peccare, ſi nempe parentes rogati conſenſum ſuum denegent ſine cauſa juſta & rationabili; cui incommodo proviſum fuit Edictis Regum noſtrorum: jubent enim ut filii poſt trigeſimum, filiæ verò poſt vigeſimum quintum ætatis annum ſcripto poſtulent conſenſum ſuorum parentum, quem ſi iſti moroſiùs denegaverint, nulla allegata ſufficienti cauſa, filii & licitè & validè nuptias celebrant, nec in poteſtate parentum relinquitur hoſce filios exhæredandi. Vide apud Eſtium in 4. diſt. 28. paragr. 5. varias cauſas quæ filios à culpa poſſunt excuſare, cùm Matrimonium contrahunt non expectato parentum conſenſu. P. 372.

Eadem autem ratio eſt viduarum: tùm quia ſtatus viduitatis non iſto gaudet privilegio, ut eximatur à debita parentibus reverentia, pietate, gratitudine; tùm quia ſic ſtatutum eſt Declaratione Ludovici XIII. art. 2. ann. 1639. cujus hæc verba ſunt. *Declaravimus & declaramus, viduas, filios & filias vigeſimo quinto anno minores, qui Matrimonium contra quod regio Edicto ann.* 1556. *& Bleſenſis ordinationis art.* 41. 42. 43. *&* 44. *definitum eſt, hoc eſt ſine parentum conſenſu contraxerint, ipſo facto privatos & deſtitutos ſimul, & parvulos qui ex illis naſcuntur, indignos & incapaces fore in poſterum omni jure hæreditatis & ſucceſſionis patris, matris, avorum, & quorumlibet conſanguineorum.* Si pater Matrimonio filii conſentiat, reluctante matre, quid facto eſt opus? Reſp. reverentia, quæ matri debetur, exigit ut ad annum uſque trigeſimum à contrahendo filius abſtineat.

Quæres, an eadem ratio ſit tutorum & curatorum, ac planè neceſſarius ſit eorum conſenſus.

Reſp. eandem fermè eſſe, quamquam cum aliquo diſcrimine. 1. quòd ultra annum vigeſimum quintum non protendatur tutorum auctoritas. 2. quia non poſſunt pro ſua voluntate pupillorum nuptiis obſiſtere; ſed oppoſitionis, ſi quam habent, cauſam gravem afferre tenentur. Ratio primæ partis eſt, quia regiis Edictis requiritur tutorum conſenſus in Matrimoniis pupillorum. Ratio verò ſecundæ partis eſt, quòd tutores omni jure excidunt anno vigeſimo quinto ætatis ſuorum pupillorum.

Dices 1. Extat lex divina Exodi 22. & Deuter. 22. ut ſi quis virginem corruperit, det patri ejus certum numerum ſiclorum, & eam uxorem habeat, ſi pater voluerit; vel non habeat, ſi noluerit. Et Numer. 30. ſi puella voverit aliquid, poteſt pater votum illud irritare; ergo multò magis irritare poterit conjugium ſe inconſulto vel invito contractum.

Reſp. ad primum, his in locis ſermonem non eſſe de conjugio jam contracto, quaſi pater illud, ſi velit, reſcindere poſſit; ſed de contrahendo cauſa ſtupri præcedentis, ſi modò pater voluerit. Qui enim ſeduxit virginem, tenetur in pœnam criminis, eam habere uxorem; ſi tamen & illa & parentes ejus conſenſerint: neque enim ſeducta aut parentes ejus compelli poſſunt, ſicut ſeductor.

Ad ſecundum reſpondet Bellarminus, de Matr. cap. 20. legem illam debere intelligi, de filiabus quæ nondum pervenerunt ad annos pubertatis, quæ proinde nihil vovere aut promittere poſſunt, niſi ſub beneplacito paterno: cui divinæ legi conſonat canonica, Cauſa 20. q. 2. cap. *Puella*, ubi dicitur: *Si* T. 3. p. 535. D.

puella

Digitized by Google

puella ante duodecimum ætatis annum ſponte ſua velamen ſibi ſacrum aſſumpſerit, poſſunt ſtatim parentes vel tutores id factum irritum facere, ſi voluerint. Si verò in fortiori ætate adoleſcentula, vel adoleſcens ſervire Deo elegerit, non eſt poteſtas parentibus probibendi. Grat. p. 1123.

Eſtius in 4. diſt. 28. paragr. 3. reſpondet, legem Scripturæ adductam *loqui de votis quæ pertinent ad victum & cultum domeſticum, velut de jejunando, vel certis cibis utendo, vel à certis abſtinendo, in quibus liberi, dum ſunt in ædibus paternis, ſubſunt regimini parentum; non autem de iis quæ pertinent ad ſtatum vitæ totius, cujuſmodi ſunt conjugium & perpetua continentia, in quibus liberi parentibus non ſunt ſubjecti.* Ita Eſtius. P. 371. col. 1. B.

Dices 2. Voluntas filiorum jure ipſo naturali in voluntate parentum continetur; ergo jure naturali nulla ſunt & irrita filiorum ſine conſenſu parentum conjugia.

Reſp. diſt. ant. antequam filii perfecti judicii tempus attigerint, concedo: cùm attigerint, ſubdiſtinguo: in iis quæ ſpectant bonorum paternorum uſum, curam, diſpenſationem, ac diſciplinam domeſticam, concedo: in iis quæ ſpectant proprium ſuum ac perſonalem ſtatum, qualis eſt ſtatus vel Religionis, vel Matrimonii, nego.

An jure eccleſiaſtico nullum ſit & irritum Matrimonium inſciis vel invitis parentibus contractum.

Quæſtionis ſtatus, ac variæ ſententiæ & interpretationes Decreti Tridentini Seſſ. 24. cap. 1. referuntur.

Controverſiæ præſentis hic ſenſus eſt, an legibus eccleſiaſticis antiquis, an recentioribus, quæ præceſſerunt, vel ſequutæ ſaltem ſunt Concilium Tridentinum, nullum & iritum declaretur Matrimonium defectu conſenſus paterni. Circa quam celebrem controverſiam non una eſt omnium tùm Theologorum, tùm Canoniſtarum ſententia.

I. Maxima pars Theologorum Scholæ negat ullis Eccleſiæ legibus, ſive antiquis ſive recentioribus, irritari Matrimonia filiorum familias ex ſolo defectu conſenſus parentum; atque plurima Eccleſiæ ſtatuta, quibus certum eſt hujuſmodi Matrimonia improbari, ac graviter notari, interpretantur illi duobus modis. 1. de illicito, non autem de invalido Matrimonio. 2. illud illegitimum appellari dicunt in foro externo Eccleſiæ, non verò in foro interno & conſcientiæ; quia nempe, ut plurimùm, ejuſmodi Matrimonia contrahuntur ſecretò ſine præſentia Epiſcopi vel Sacerdotis, adeoque ſine benedictione Eccleſiæ: unde fit ut in foro externo pro nullis & illegitimis habeantur; de occultis enim non judicat Eccleſia. *Quapropter*, ait Maldonatus, de Matrimonio 2. parte pag. 442. *quidquid legimus in antiquis Canonibus contra iſta Matrimonia, quæ fiunt inſciis aut invitis parentibus, interpretari debemus in foro eccleſiaſtico, non in foro conſcientiæ.* Idem reſpondent Bellarminus, de Matrimonio cap. 20. in reſponſione ad quartam objectionem. Eſtius in 4. diſt. 27. paragr. 2. Iſambertus noſter, de Sacramento Matrimonii diſput. 7. art. 10. & omnes ferè alii Scholæ Magiſtri, quibus perſuaſum eſt Concilium Trid. Seſſ. 24. de reformatione Matrimonii cap.

Digitized by Google

cap. 1. novam non invexiſſe, ſed antiquam renovaſſe ac confirmaſſe doctrinam & diſciplinam. Iis accedunt Canoniſtæ nonnulli, Covarruvias parte 2. de Matrimonio c. 3. paragr. 8. n. 1. Jacobus Cujacius L. 3. obſervationum c. 5. Connanus Lib. 8. &c.

II. Sunt inter recentiores Theologiæ & Juris canonici Doctores, qui exiſtimant primis Eccleſiæ temporibus, ad ſæculum uſque circiter duodecimum, eccleſiaſtico Canone non tantùm illicita, ſed etiam irrita & nulla declarata fuiſſe Matrimonia, de quibus hic ſermo eſt. Ita Ferdinandus de Mendoza in notis ad Canonem 54. Conc. Eliberitani; Baſilius Pontius Lib. 2. de Matrim. c. 1. num. 5. & ex noſtris Gerbaſius in Tractatu gallicè ſcripto de Matrimonio 3. parte, à pag. 454. uſque ad pag. 496. Poſt duodecimum verò ſæculum, leges illas in deſuetudinem abiiſſe, ita ut quo tempore celebrata fuit Tridentina Synodus, cujus prima Seſſio habita eſt an. 1545. & ultima an. 1463. ubique rata eſſent ac valida ejuſmodi Matrimonia, quam diſciplinam publico ac ſolemni decreto confirmavit mox dicta Synodus Seſſ. 24. de reformatione Matrimonii cap. 1. anathemate damnatis iis qui ſecus dicerent.

Diu multùmque de re noſtra diſputatum fuiſſe inter Patres Tridentinos narrat Pallavicinus L. 22. Hiſtoriæ Conc. Trid. cap. 4. atque ad poſtulatio- T. 1. p. 613. & ſeq. nem Gallorum decretum, *quod ad limam ſæpius fuerat revocatum*, ſic conceptum primò fuiſſe ait, *ut Synodus irrita faceret ea Matrimonia, quæ contraherentur à filiis familias ante annum decimum octavum completum, & à filiabus ante decimum ſextum completum, abſque genitorum conſenſu.* Tandem poſt multas ex utraque parte contentiones, die decima Novembris anni 1563. rejecta prima idæa, decretum emiſſum eſt quale jàm extat his verbis expreſſum.

T. 14. Conc. p. 876. A. *Tametſi dubitandum non eſt, clandeſtina Matrimonia, libero contrahentium conſenſu facta, rata & vera eſſe Matrimonia, quamdiu Eccleſia ea irrita non fecit; & proinde jure damnandi ſint illi, ut eos ſancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera ac rata eſſe negant, quique falsò affirmant, Matrimonia à filiis familias ſine conſenſu parentum contracta, irrita eſſe, & parentes ea rata vel irrita facere poſſe; nihilominus ſancta Dei Eccleſia ex juſtiſſimis cauſis illa ſemper deteſtata eſt, atque prohibuit.*

Amplam diſputandi ſegetem ſuppeditat hæc decreti forma, paulò, ut videtur, implicata & obſcura.

Quæres 1. an quod eo decreto ſtatuitur, non tantùm futura, ſed etiam præterita ſpectet filiorum familias Matrimonia: hoc eſt, declarentur quidem antea non valuiſſe, ſed in poſterum valida fore.

Quæritur 2. an hæc poſtrema decreti verba, *nihilominus ſancta Dei Eccleſia ex juſtiſſimis cauſis illa ſemper deteſtata eſt*, referantur pariter & ad Matrimonia clandeſtina, & ad ea quæ ſine parentum conſenſu facta ſunt. Ratio dubitandi eſt, quòd videatur ridiculum & abſurdum, fingere Synodum deteſtari ea ipſa Matrimonia, quæ tamen declarat eſſe rata & firma: atqui declarat rata & firma eſſe Matrimonia filiorum familias ſine conſenſu parentum facta; verba igitur decreti laudata non alia videntur ſpectare conjugia, quàm clandeſtina & occulta.

Quæritur 3. utrum prædicto decreto voluerit Synodus dogma dumtaxat propo-

proponere ac definire adversùs Lutheranos & Calviniſtas, affirmantes ipſo jure naturali & divino poſſe parentes filiorum ſuorum Matrimonia rata vel irrita facere; an verò præter dogma, voluerit generalem diſciplinæ reformationem inducere: hoc eſt, & abrogare veteres Canones, qui irritabant Matrimonia filiorum ſine conſenſu parentum facta, & confirmare diſciplinam, quæ à duodecimo ſæculo ad ætatem uſque Synodi Tridentinæ invaluerat, per quam ſcilicet dicta Matrimonia rata & firma habebantur.

Narrat Pallavicinus antea citatus, agitatum inter Patres fuiſſe, utrum præſens de Matrimonio filiorum familias argumentum; inter Canones doctrinam ſpectantes eſſet referendum: an inter capita reformationis & diſciplinæ.

Quantùm ad primam quæſtionem, reſpondemus, ex varia loquendi ratione Concilii manifeſtum videri, illud de clandeſtinis Matrimoniis tùm præteritis, tùm futuris ſtatuiſſe hoc modo: nempe præterita valuiſſe, quamdiu Eccleſia ea irrita non fecit; in poſterum verò, vi ſui decreti, non amplius valitura. De Matrimoniis verò quæ fiunt inſciis vel invitis parentibus, tantùm pro futuro ſtatuit, nempe non eſſe in poteſtate parentum ea rata vel irrita facere, intactis iis quæ ad ſuam uſque ætatem contracta fuerant, ſive rata fuiſſent, ſive irrita, pro vario Eccleſiarum & Regnorum uſu, qui qualiſve fuerit, in ſuſpenſo relinquit Synodus, futuro dumtaxat proſpiciens.

Quantùm ad ſecundam quæſtionem, Eſtius in 4. diſt. 28. paragr. 3. in reſponſione ad poſtremum, exiſtimat iſta decreti verba, *nihilominus ſancta Dei Eccleſia illa ſemper deteſtata eſt atque prohibuit*, referenda dumtaxat eſſe ad Matrimonia clandeſtina, non verò ad illa quæ fiunt ſine conſenſu parentum: particula enim iſta, *nihilominus*, relationem dicit ad iſtam, *tametſi*, quam ſtatim ab initio decreti adhibet Concilium loquendo de Matrimoniis clandeſtinis; ita ut intra parentheſim legi debeant, quæ Synodus dicit de Matrimoniis filiorum familias factis ſine parentum conſenſu. Hanc Eſtii conjecturam confirmat ratio dubitandi antea propoſita. *P. 378. col. 2.*

Paulò difficilior eſt ac majoris momenti tertia quæſtio, circa quam diſcordes ſunt ſententiæ.

I. Nonnulli exiſtimant decretum Tridentinum ſolos dumtaxat ſpectare Novatores, atque adversùs eos definire dogma iſtud certum, Jure ſcilicet naturali ac divino non poſſe parentes rata vel irrita facere Matrimonia filiorum ſuorum: de privatis autem Eccleſiarum vel Regnorum legibus quæ vel rata, vel irrita declarant Matrimonia filiorum familias ſine conſenſu parentum contracta, nihil omnino ſtatuiſſe, ſed eas in eo ipſo reliquiſſe ſtatu, in quo erant; unde inferunt nullum illatum fuiſſe præjudicium legibus Imperii Gallicani, tùm veteribus, tùm poſtremis, quibus irritantur dicta Matrimonia.

II. Alii econtra volunt Concilium de Novatorum errore proſcribendo ne cogitaſſe quidem, ſicut neque de improbandis Catholicis qui ſentiunt Matrimonia invitis parentibus contracta vel aliquando irrita fuiſſe, vel deinceps irritari poſſe, ubi contra leges illa irritantes contrahuntur. Igitur, ſi eos audiamus, hæc una fuit Concilii mens, ut anathema diceret adversùs eos, quibus irrita & nulla videbantur ea Matrimonia, quæ jam ab aliquot ſæculis ante Conc. Trid. rata & valida habebantur, nihil de aliis, quæ in poſterum contrahuntur, ſtatuendo.

III.

III. Alii putant, decréto Tridentino non tantùm dogma contineri adverſus Novatores, ſed etiam generalem diſciplinam ſeu reformationem Matrimonii; ac proinde iis in locis in quibus receptum eſt Concilium Tridentinum, valere ac rata eſſe Matrimonia quæ filii familias contrahunt ſuis inſciis aut invitis parentibus, neque poſſe in contrarium leges ferri. De legibus verò Gallicani Imperii hanc in rem ſtatutis, varii variè ſentiunt. Nonnulli negant extare de facto apud nos leges aliquas quæ irritent tale Matrimonium, ac poteſtatem faciant convolandi ad alias nuptias: alii extare quidem leges illas agnoſcunt, ſed nullum ajunt per illas declarari Matrimonium, quoad effectus dumtaxat civiles, non verò quantùm ad fœdus ac vinculum conjugale. Alii denique planè nullum & irritum putant declarari per illas leges Matrimonium de quo agimus; ſed decretum Tridentinum, quod contrarium eſt, apud nos hac in parte receptum non fuiſſe. Creſcit & implicatur magis nodus iſte, ex altera controverſia circa poteſtatem Principum in ſtatuendis impedimentis Matrimonium irritantibus: ſi enim poſſunt Principes ejuſmodi impedimenta ſtatuere, etiam non conſentiente Eccleſia; ergo poſſunt defectum conſenſus paterni, tanquam conditionem irritantem Matrimonium apponere, quidquid in contrarium ſtatuerit Synodus Tridentina; atque inde periculum certum & evidens graviſſimi diſſidii inter leges utriuſque fori, eccleſiaſtici & civilis, quod Deus avertat. Si verò dixeris, id juris non habere Principes in Matrimonium, quod Sacramentum eſt, timendum ne tanquam reus violatæ & imminutæ regiæ auctoritatis traducaris. En præſentis argumenti anguſtiæ.

Duo autem in præſentiarum ſufficiat nobis determinaſſe circa ſenſum tùm antiquarum legum Eccleſiæ, tùm decreti Tridentini.

I. an antiquis Eccleſiæ legibus nullum & irritum fuerit Matrimonium, defectu conſenſus paterni.

III. an decretum Tridentinum non tantùm dogma contineat adversùs Novatores, ſed etiam generalem diſciplinæ reformationem, qua ſtatuit irrita non eſſe Matrimonia filiorum familias ex ſolo defectu conſenſus parentum. Itaque ſit

PRIMA CONCLUSIO.

Antiquis Eccleſiæ Canonibus nulla & irrita videntur fuiſſe Matrimonia filiorum, defectu conſenſus parentum.

Probatur 1. ex S. Baſilio Epiſtolæ ad Amphilochium Can. 42. *Quæ*, inquit, *ſine iis qui habent poteſtatem, fiunt Matrimonia, ſunt fornicationes. Nec ergo vivente patre, nec domino, ii qui conveniunt ſunt ab accuſatione liberi, donec coniugio domini annuerint: tunc enim accipit firmitatem coniugium.* Et Can. 40. dixerat, *eorum qui ſunt in alterius poteſtate, pacta conventa firmi nihil habere.* Clara iſta profectò videntur, nec de illicito tantùm, ſed etiam invalido & nullo Matrimonio debent intelligi, *quod diſſolvitur, nec conſiſtere poteſt*, ajunt in hunc S. Baſilii Canonem Interpretes Balſamon & Zonaras, qui duodecimo floruerunt Eccleſiæ ſæculo. Et certè tam clara & diſerta viſa ſunt S. Doctoris verba, ut Eſtius in 4. diſt. 27. paragr. 3. non aliam promptiorem ſolutionem adinvenire potuerit, quàm negan-

Edit. vet. T. 2. p. 772.

Ibid.

Bals. p. 978.

negando dictam Epiſtolam genuinum eſſe S. Baſilii fœtum: quæ certè in re reclamant quotquot ſunt inter veteres & recentiores criticæ periti, & Juris Canonici Orientalis interpretes. Neque ipſe Arcudius, vir Græcus, tale aliquid ſcribere auſus eſt, ſed agnoſcit candidè ita reipſa ſenſiſſe Baſilium, *propter leges civiles*, inquit, *quæ nondum erant caſtigatæ à Jure canonico*. (L. de Matrim. c. 4.) Eandem S. Doctoris auctoritatem ſibi opponens Sanchez Lib. 7. diſput. 21. n. 10. *Non invenio*, inquit, *commodam ſolutionem, ſed verè D. Baſilius in ea fuit ſententia.* P. 494. col. 1. A. T. 2. p. 84.

Neque ab ea auctoritate ſeſe feliciùs expediunt, qui dicunt ea Matrimonia irrita & infirma vocari à S. Baſilio, non quidem in foro conſcientiæ, ſed in foro dumtaxat externo Eccleſiæ; quia nempe cùm ſint ſecreta & occulta, pro nullis ſeu non factis habentur ab Eccleſia quæ non judicat de occultis. Namque 1. ejuſmodi Matrimonia non damnat ſanctus Doctor, propter defectum præſentiæ Epiſcopi aut Sacerdotis, quo propriè clandeſtina redduntur, ſed propter defectum conſenſus paterni: multa quippe celebrari poſſe Matrimonia in facie Eccleſiæ, quibus tamen non accedat parentum conſenſus, res eſt per ſe manifeſta. 2. Matrimonium quod eccleſiaſtica lege nullum & irritum declaratur in foro externo, nullum quoque eſt in foro conſcientiæ; niſi volueris, quod eſſet abſurdum & erroneum, legibus eccleſiaſticis non obſtringi conſcientiam.

Hanc fuiſſe Eccleſiæ Græcæ ſententiam demonſtrare promptum foret, tùm ex Photio Epiſtola 5. ubi diſſoluto propter defectum conſenſus paterni conjugio, ad aliud licentiam dari teſtatur: tùm ex Leunclavio Juris Orientalis Collectore Tomo 1. L. 3. pag. 205. ubi varias refert in rem noſtram Leges, utraque auctoritate eccleſiaſtica & civili firmatas; & Tomo 2. pag. 23. & 101.

Probatur 2. eandem in Latina Eccleſia viguiſſe diſciplinam, multis teſtimoniis quæ refert Pontius L. 2. de Matrimonio c. 1.

Tertullianus L. 2. ad uxorem c. 9. *Nec in terris*, ait, *filii ſine conſenſu patrum ritè & jure nubunt.* P. 172. A.

S. Ambroſius L. 1. de Abraham cap. ultimo, *Conſulitur puella*, inquit, *non de ſponſalibus; illa enim expectat judicium parentum.* T. 1. p. 311. n. 91.

Evariſtus S. P. in Epiſtola ad omnes Africæ Epiſcopos (quæ tametſi peritorum judicio ſuppoſititia ſit, & nono Eccleſiæ ſæculo ſcripta, diſciplinam hujus ætatis ſaltem repræſentat.) Evariſtus, inquam, aut alius quilibet hujus Epiſtolæ parens ſic loquitur cap. 2. *Similiter cuſtoditum & traditum habemus, ut uxor legitimè viro jungatur; aliter enim legitimum (ut à patribus accepimus, & à ſanctis Apoſtolis eorumque ſucceſſoribus traditum invenimus) non ſit conjugium, niſi ab his qui ſuper ipſam feminam dominationem videntur habere, & à quibus cuſtoditur, uxor petatur, & à parentibus aut propinquioribus ſponſetur . . . . . Ita peracta legitima ſcitote eſſe connubia; aliter verò præſumpta, non conjugia, ſed aut adulteria, aut contubernia, aut ſtupra, vel fornicationes potius quàm legitima conjugia eſſe non dubitate, etiamſi voluntas propria ſuffragata fuerit, & vota ſuccurrerint legitima.* Gratianus & alii vulgò legunt, *niſi voluntas propria ſuffragata fuerit.* Tom. 1. Conc. p. 534.

Verùm Pontius Lib. 2. cap. 1. obſervat longè meliùs à Contio, juxta veterem codicem, legi, *etiamſi*, loco, *niſi*, quæ lectio ſenſum reddit faciliorem, & cum iis quæ præcedunt, magis cohærentem. Nam, ut ſcitè ait Pon- *Le Conte dans ſes remarques ſur l' Ordonnance d' Henri II.*

Pontius, ſi ita ſcripſit Evariſtus, ut in vulgatis codicibus nunc legitur, *quid opus tot verbis exaggeraſſe voluntatem parentum, eamque ſolemnitatem in nuptiis filiorum deſiderari, ſi eorum ſola tandem voluntas ſufficeret?*

Tom. I. Cap. p. 1119. Iſtud Evariſti (ut jactabatur) Decretum ſuum fecit Carolus Magnus Capitularium Lib. 7. cap. 463. quod totum ex verbis citatæ Epiſtolæ componitur. *Taliter*, inquit, *& Deo placebunt, & filios non ſpurios, ſed legitimos atque hæreditabiles generabunt*. Nemo verò neſcit, Capitula illa non tantùm regia, ſed etiam eccleſiaſtica auctoritate fuiſſe confirmata, apud Gallos præſertim: ut plurimùm enim aut excerpta ſunt ex Canonibus Eccleſiæ, aut ipſa Eccleſia ea approbando ſua fecit.

T. 14. Conc. p. 542. A. Patres Concilii Colonienſis an. 1536. cap. 43. 7. partis optant renovari Canonem Evariſti S. P. *Optandum*, inquiunt, *ut Canon Evariſti Pontificis Concilio generali renovetur, tollanturque illa clandeſtina Matrimonia quæ invitis parentibus ac propinquis, veneris potius, quàm Dei cauſa contrahuntur. Interea verò, donec Eccleſia de hoc proſpiciat, ſi non irrita, prohibita ſaltem ſint, & pœnæ canonicæ, hoc eſt, excommunicationi, contrahentes, & qui his ope & conſilio adfuerint, ſubjaceant*. Ex quo Concilii teſtimonio habes. 1. illius ætate, jam collapſa veteri diſciplina, irrita non fuiſſe Matrimonia invitis parentibus facta. 2. optare Patres illos ut renovetur Canon Evariſti S. P. atque à Concilio generali irritentur dicta Matrimonia: quo ſuo voto manifeſtè declarant, ſe Pontificis decretum intelligere non de illicito dumtaxat, ſed etiam de invalido Matrimonio.

Grat. p. 1607. n. 40. Gratianus cauſa 32. q. 2. c. 12. videtur in eundem ſenſum intellexiſſe Decretum Evariſti, quod laudat. *Cùm dicitur*, inquit, *paterno arbitrio junctæ viris, datur intelligi quòd paternus conſenſus deſideretur in nuptiis, nec ſine eo legitimæ nuptiæ habeantur, juxta illud Evariſti Papæ, Non aliter ſit legitimum conjugium, niſi à parentibus tradatur*.

Occurrunt hìc benè multa alia in rem eandem SS. Pontificum ſtatuta.

S. Leonis Epiſtola 92. ad Ruſticum c. 4. & refertur à Burchardo L. 9. c. 2. Ivone parte 8. c. 140. Gratiano cauſa 30. q. 5. c. 4.

An. 1191 Cœleſtini, aut potius Clementis III. & refertur à Gratiano cauſa 35. qu. 6. c. *Videtur*. Jubet ibi S. P. ut in cauſis de confirmando vel infirmando Matrimonio, audiatur potiſſimùm teſtimonium parentum. *Qui enim*, inquit, *meliùs recipi debent, quàm illi qui meliùs ſciunt, & quorum eſt intereſſe? ita ut ſi non interfuerint, & conſenſum non adhibuerint, ſecundùm leges nullum ſit Matrimonium*.

Grat. p. 1854. n. 20.

An. 864. Nicolai I. in reſponſione ad Bulgaros cap. 3. ubi ait: *Conjugia conſenſu eorum qui contrahunt, & eorum in quorum poteſtate ſunt, celebrantur*. Fruſtra reponet quiſpiam, hoc in ipſo loco Nicolaum affirmare, *ſecundùm leges ſolum eorum conſenſum ſufficere, de quorum conjunctionibus agitur*. Ita eſt: verùm agit dumtaxat de iis quæ ex parte contrahentium abſolutè ſunt neceſſaria, non de aliis quaſi externis; ſolus autem eorum conſenſus neceſſarius eſt ut ratum ſit Matrimonium, non verò coitus: ſtatim quippe ex S. Joanne Chryſoſtomo effatum illud adducit, *Matrimonium non facit coitus, ſed voluntas*, quo certè effato apertè indicat, ſe ex parte contrahentium ſolum exigere conſenſum; non omiſſis tamen aliis quæ Canone eccleſiaſtico requiruntur.

Tom. 8. Conc. p. 517. C. D.

Ale-

Digitized by Google

Alexandri II. cujus decretum refert Yvoparte 9. cap. 37. Arguit S. Pon- An. 1071
tifex juvenem quemdam, qui juramento obſtrinxerat ſeſe ad nuptias cum P. 299.
ſua concubina, aliunde ſibi cognata, celebrandas; eumque triplicis flagitii col. 1.
eſſe reum oſtendit, adulterii nempe, inceſtus, & perjurii: *Perjurii quidem,*
ait, *quia quòd obſervare legaliter non potuit ſine judicio parentum, vel ju-
dicum, temerè jurare præſumpſit.*

Idem ſancitum à pluribus Conciliis legimus, Aurelianenſi IV. an. 541. Can.
22. Pariſienſi an. 557. Can. 6. Turonenſi II. Can. 20. Compendienſi ann. 757.
Can. 4. Meldenſi an. 845. Can. 64. & 65.

Scio Theologos inſignes benè multos hactenus citata teſtimonia interpre- *Tom. 5.*
tari de illicito dumtaxat, non autem de invalido Matrimonio. Verùm diffi- *Conc. p.*
cile admodum eſt in hunc ſenſum inflectere verba quibus illa exprimuntur: 385. 817
neque enim aliis uti potuiſſent, ſi data opera nullum & irritum voluiſſent 860.
deſignare Matrimonium, quàm iſtis, *nihil firmi habet; eſt fornicaria vel* *Tom. 6.*
adultera conjunctio; eſt præſumptum Matrimonium; irritum, nullum, illegiti- *Conc. p.* 1695.
mum. Quamquam autem adverſariis daremus, ſenſum, quem volunt, ver- *Tom. 7.*
bis aliquorum circumponi poſſe, non dicent, opinor, noſtrum alienum eſſe *Conc. p.*
ac diſtortum, qui tam ſponte fluit ex recepta verborum ſignificatione; præ- 1839.
ſertim cùm ea in re nullum patiatur detrimentum doctrina catholica.

At, inquiet aliquis, nonne caput eſt doctrinæ catholicæ adversùs Lutheranos & Calviniſtas definitum, defectu conſenſus paterni non irritari filiorum Matrimonia? Nonne Novatores illi gloriari meritò poſſunt tot noſtrorum ſuffragiis, ſi re vera docuerunt quod nos ipſis affingimus? Deinde verò ſi ſupponamus hanc fuiſſe antiquorum ſententiam & Traditionem, neceſſe eſt aſſeramus Patres Tridentinos à veteri doctrina & Traditione receſſiſſe, & novam omnino induxiſſe, cùm anathemate percellunt eos qui dicunt *Matrimonia à filiis familias ſine conſenſu parentum contracta irrita eſſe*, quo certè anathemate damnantur quotquot hìc in contrariam ſententiam adduximus. Duplex autem illud graviſſimum incommodum cautè declinant Theologi, qui Veterum dicta intelligunt de illicito, non de invalido Matrimonio.

Reſp. nullum eſſe & ad evanidum terrorem effictũ duplex illud incommodũ.

Primum quidem. Namque Novatores ita neceſſarium dicebant parentum conſenſum, ut vellent jure naturali ac divino poſſe parentes ad arbitrium rata vel irrita facere ſuorum filiorum Matrimonia: iſtud verò dogma nuſquam deprehendes apud eos Catholicos Scriptores quos hìc laudavimus. Docent illi quidem, defectu conſenſus parentum irritari filiorum nuptias, non quidem jure divino ac naturali, quaſi aliter ſtatui non poſſet, ſed jure dumtaxat eccleſiaſtico, optimis quidem rationibus innixo, (maximè verò propter præcavenda clandeſtina conjugia) ſed quæ tamen ſunt hujuſmodi, ut aliis temporum circumſtantiis & opportunitatibus cedere debeant, ſicut de facto contigit: immeritò igitur Novatores præſidio noſtrorum gloriarentur.

Secundum incommodum evaneſcit pariter. Namque Concilium Trid. à ſententia Veterum recedere meritò potuit in iis quæ diſciplinam & œconomiam ſpectant, ſicut revera receſſit, vel cùm declaravit nulla impoſterum futura Matrimonia clandeſtina, quæ aliàs valuerant; vel cùm aliqua impedimenta circa Matrimonium aut ſuſtulit omnino, aut coarctavit. Id enim

juris

T. 11. juris habuit ſemper Eccleſia, *ut ſecundùm varietatem temporum*, ait Conc.
Conc. p. Lateran. IV. Can. 50. *ſtatuta quandoque varientur humana, præſertim cùm ur-*
201. A. *gens neceſſitas vel evidens utilitas id expoſcit*. Porro noſtra quæſtio, quo
ſenſu in Concluſione exprimitur, an nempe lege *eccleſiaſtica irritentur conju-
gia filiorum defectu conſenſus parentum*, tota eſt diſciplinæ, quæ mutationi
eſt obnoxia: quamquam ſub alio reſpectu, *an ſcilicet jure naturali ac divino
poſſint parentes rata vel irrita facere filiorum ſuorum Matrimonia*, quod conten-
dunt Novatores, ad doctrinam ſeu dogma pertineat, quod conſtans eſt ac
immutabile. Potuit igitur Synodus Tridentina, illæſa, quæ Veteribus debe-
tur, reverentia, ab iis recedere, novamque legem ac diſciplinam, quam ab
aliquot annis invaluiſſe intellexerat, confirmare, declarando nimirum ex ſo-
lo defectu conſenſus parentum non irritari filiorum conjugia.

Ita quippe jam ſtatutum fuerat ab Innocentio III. in cap. *Tuæ frater-*
An. 1216. *nitatis. De Sponſalibus*. Lucio III. in Epiſt. ad Burgenſem Epiſcopum in cap.
Decret. *Cùm cauſam De raptoribus*. Ita contrarium uſum inductum fuiſſe teſtabantur
p. 1438. & 1429. Patres Concilii Colonienſis ann. 1536. cap. 43. ſeptimæ partis, & Conci-
T. 14. lii Moguntini an. 1549. capitulo 49. Ita, referente Pallavicino Lib. 22. Hiſt.
Conc. p. Conc. Trid. n. 22. Carolus V. in Decreto Auguſtano edixerat, *Quoniam pote-*
541. & *ſtas paterna cedit de jure huic conjunctioni ſacramentali inter conjuges, au-*
p. 650. *diendi non ſunt ii qui nunc volunt ut diſſolvantur Matrimonia contracta à*
T. 3. p. *filiis familias, ubi non adſit conſenſus parentum. Nihil hic à nobis detrahitur*
624. *obedientiæ filiorum debitæ patribus; ſed nolumus ut patres abutantur poteſtate
ſua in præpediendis, præcidendiſve Matrimoniis*. Ex his facilè intelligis, jam
Idem E- ætate Tridentini Concilii priorem diſciplinam, de qua Concluſio noſtra, pau-
ſtius in latim collapſam & immutatam fuiſſe, à duodecimo circiter ſæculo: quam
4. d. 28. diſciplinæ immutationem, in re de qua agimus, retinendam eſſe ac confirman-
parag. 5. dam optimis ducti rationibus, quas exponit Pallavicinus L. 21. c. 4. cenſuerunt
Tridentini Patres.

Obſerva obiter, ſecundum illud incommodum quod hìc objicitur, nullum quoque eſſe in ſententia eorum Theologorum qui putant decretum Tridentinum ſolos ſpectare Novatores, omnino intactis legibus Regnorum vel Eccleſiarum quæ irritant Matrimonia filiorum abſque conſenſu parentum facta, de qua opinione dicendum ſecunda Concluſione.

SECUNDA CONCLUSIO.

Concilium Tridentinum Seſſ. 24. de reformatione Matrimonii c. 1. declarat Matrimonia filiorum familias ſine conſenſu parentum contracta, irrita non eſſe, & parentes ea rata vel irrita facere non poſſe.

Probatur Concluſio ex verbis Concilii antea relatis, quæ omnino aperta ſunt ac manifeſta. Vide apud Pallavicinum L. 22. c. 4. & apud Eſtium in 4. diſt. 28. paragr. 5. varias cauſas & rationes quibus Concilium motum fuit ut declararet rata & valida habenda eſſe hujuſmodi Matrimonia ſine conſenſu parentum contracta. Neque probabile videtur, quod nonnulli arbitrantur, hocce Decreto Concilium nequidem de errore Novatorum cogitaſſe; nullibi etenim, quàm in hoc decreto, errorem illum perſtringit.

TER-

Digitized by Google

TERTIA CONCLUSIO.

Nulla ſatis firma ratione oſtenditur citato Conc. Tident. decreto unicè dogma definiri adverſus Navatores, ut volunt nonnulli: immò longè veriſimiliùs videtur, per illud generalem diſciplinam & reformationem circa Matrimonium invehi, quæ obligat & vim legis habet in iis omnibus locis in quibus viget decretum Tridentinum.

Probatur I. Si dogma unicè definire voluiſſent Patres Trid. quare, ut aſſolent, inter Canones definitionem non collocaſſent?

II. Iis verbis decretum concipitur, quibus non magis dogma, quàm diſciplinæ reformatio exprimitur.

III. Duplex erat in Concilio controverſiæ caput: alterum ſpectabat dogma fidei; an ſcilicet Matrimonia filiorumfamilias ſine conſenſu parentum contracta, jure divino & naturali eſſent irrita, ſicuti contendebant Novatores: alterum pertinebat ad diſciplinam; utrum ſcilicet expediret nova lege hujuſmodi Matrimonia reddere irrita, ſicut præ cæteris Oratores Galli Regis Chriſtianiſſimi nomine ſolemniter poſtularunt: unde admodum probabile eſt, decreto Trid. non unicè dogma definiri, ſed & diſciplinam generalem circa Matrimonium induci. Id ipſum non obſcurè indicat Pallavicinus Lib. Hiſt. Conc. Trid. 22. cap. nu. 2.

Probatur 4. Cùm decretum iis verbis conceptum ſit, quæ non magis dogma exprimant, quàm diſciplinæ reformationem, ut jam diximus, non ſatis intelligitur quo jure ad unum potius, quàm ad aliud ſignificandum trahatur, non ſine violentia textui illata. Eſto igitur hoc decreto dogma contineatur contra Lutheranos, non repugnamus: at diſciplinæ reformationem etiam induci contendimus circa Matrimonia quæ fiunt & ſine conſenſu parentum, & ſine præſentia Parochi ac teſtium; cum hoc tamen diſcrimine, quòd priora rata & valida declarentur, poſteriora verò nulla & irrita. T. 3. pag. 613.

Denique, quis ſibi facilè perſuadeat Concilium de præteritis Matrimoniis aſſerendis unicè cogitaſſe, quibus remedium nullum prodeſſe tunc poterat; & futuris non providiſſe, quæ tamen reformatione potiſſimùm indigebant, & quibus remedium afferre oportebat?

Probatur 5. Quia non ſatis firma videntur rationum momenta quibus nonnulli moventur, ut aſſerant, decreto Tridentino ſolùm perſtringi Novatorum errorem, intactis & illæſis Eccleſiarum ac Regnorum legibus circa Matrimonia filiorumfamilias contracta parentibus inſciis vel invitis.

Prima ratio eſt, quòd Concilium Colonienſe celebratum an. 1536. hoc eſt novem annis ante Tridentinum, cap. 43. antea citato, exoptat ut Matrimonia clandeſtina, quæ fiunt ſine conſenſu parentum, irrita declarentur, juxta Canonem Evariſti S. P. cujus Concilii votis quaſi annuentes Tridentini Patres, in prima decreti idea, qualem refert Pallavicinus L. 22. cap. 4. n. 3. hujuſmodi Matrimonia nulla & irrita fore declaraverant, non quidem ad ſenſum Novatorum, ut per ſe manifeſtum eſt, ſed

ſed appoſitè ad veteres Eccleſiæ leges. At veriſimile non videtur, inquiunt, tam citò Patres Tridentinos, mutata ſua priori ſententia, ad planè oppoſitam defeciſſe.

Verùm facile eſt reponere. 1. votum Concilii Colonienſis ſpectare potiſſimùm Matrimonia clandeſtina, quæ optaret eſſe irrita, quemadmodum ea reipſa irrita fecit Synodus Tridentina. 2. Conſenſum parentum ab eodem Concilio non deſiderari, tanquam eſſentialem conditionem, ſed in ſignum & argumentum Matrimonii publici, non clandeſtini. 3. Ipſa ætate Conc. Trid. anno ſcilicet 1549. Concilium Moguntinum cap. 36. expreſsè ait, *Matrimonia*
T. 14. *etiam ſine conſenſu parentum legitimè inita, non debere reſcindi .... nec à*
Conc. p. 680. C. *parentibus reſcindi poſſe*, quæ ſanè multùm diſtant ab ea quæ Colonienſi Concilio affingitur ſententia. 4. Licèt hoc fuerit hujus Concilii, ſicut & aliorum quàm plurium, votum, ut nempe irrita declararentur Matrimonia filiorum, defectu conſenſus paterni, an conſequens eſt debuiſſe Patres Tridentinos huic voto ac deſiderio cedere? minimè profectò. Narrat Pallavicinus L. 22. c. 9. n. 5.
P. 663. plusquàm quinquaginta Patres, inter quos eminebat Cardinalis Simoneta Se-
& ſeq. dis Apoſtolicæ Legatus, cenſuiſſe non eſſe irritanda Matrimonia clandeſtina. An eorum ſententiam ſequuta eſt Synodus? imò planè oppoſitam. 5. Eorum dumtaxat decretorum haberi debet ratio, quæ in publico ac ſolemni Patrum conſeſſu à majori parte approbantur & acceptantur: quæ enim in privatis conſeſſibus præformantur, variis ſubinde mutationibus obnoxia ſunt, nec vim legis priùs obtinent, quàm ultimam manum in publica Seſſione acceperint. Et certè in eo ipſo decreto, quale primùm conceptum fuit, & quo declarantur nulla Matrimonia filiorum facta ſine conſenſu parentum, in hoc ipſo, inquam, decreto, nulla extabat mentio præſentiæ Parochi neceſſariæ ad validam Matrimonii celebrationem, quam tamen neceſſariam eſſe declarat decretum, quale jam extat; mirum igitur videri non debet, quòd mutata priori forma decreti, ac neglecta privata Theologorum, qui huic concinnandæ operam dederant, ſententia, Synodus in oppoſitam abjerit. *Solerti quippe*
P. 626. *diligentia effectum eſt*, ait Pallavicinus jam citato L. 22. c. 4. n. 26. *ut & ſubtiliori ſtudio tanta quæſtio agitaretur, & ut in decreto pars utilis rei propoſitæ ſejungeretur à noxia.*

Secunda ratio hæc eſt. Cardinalis Lotharingius cæterique Oratores Galli, Regis Chriſtianiſſimi nomine ſolemniter à Patribus Tridentinis poſtularunt, referente eodem Hiſtorico Lib. 22. c. 1. n. 16. *ut redderentur irrita matrimonia*
P. 598. *contracta à filiis abſque parentum conſenſu, utpote plerumque noxia, familiis indecora, & odiorum potius, quàm amoris fomes inter conjuges.* At ſi intellexiſſent illi dicto decreto contrariam invehi diſciplinam, credibile ne eſt eos tam facilè toleraſſe, & non reclamaſſe contra tale ſtatutum? Atqui tamen reclamaſſe eos & interceſſiſſe hiſtoria proditum non habemus.

Verùm mirum videri non debet quòd ſiluerint, & non reclamaverint Oratores Galli, victi haud dubiè pondere rationum, quibus prævaluerat contraria ſententia; ſed præſertim quòd obtinuiſſent præcipuam votorum ſuorum partem, nempe præmittendas eſſe bannorum denuntiationes, ac irrita fore Matrimonia clandeſtina: ex quo certè facile eſt parentibus moram & obicem injicere filiorum ſuorum nuptiis, ſi, ut oportet, hæc diſciplina obſervetur, & occurrere aliis incommodis quę ex Matrimoniis filiorum indebitè contractis enaſcuntur.

Tertia

Digitized by Google

Tertia ratio eſt, quòd veriſimile non ſit voluiſſe Patres Tridentinos, hoc ſuo decreto damnare Græcos qui verſantur in ſententia, & praxi omnino contraria; maximè cùm in eorundem gratiam, ne fortè offenderentur, mutaverint decretum, quod primò formatum fuerat cum anathemate, adverſus eos qui dicerent Matrimonium diſſolvi per adulterium, ſicut antea nos ipſi narravimus ex Pallavicino L. 22. cap. 4.

Verùm nec firmior videtur iſta ratio. Tùm quia idcirco ſuum decretum de ſolutione Matrimonii propter adulterium, in gratiam Græcorum mutavit Synodus, quòd Oratores Veneti interceſſiſſent, & periculum timebatur alicujus graviſſimæ diſſenſionis; nihil verò tale occurrit in præſenti negotio. Tùm quia cùm decretum, de quo jam loquimur, ſpectet diſciplinam, non dogma, (niſi ſaltem reſpectu erroris Novatorum, à quo Græci videntur alieni) eos tantùm obſtringit, qui reformationem diſciplinæ per Concilium indictam hac in parte acceptarunt, non alios.

Quarta ratio eſt, probabile non videri voluiſſe Patres ſuo decreto damnare & improbare tot antiquas & Eccleſiarum, & Principum Chriſtianorum leges, quibus irritant Matrimonia de quibus hìc ſermo eſt.

Verùm jam obſervavimus, decretum Tridentinum de præteritis Matrimoniis hujuſmodi nihil ſtatuere, ſed futuris dumtaxat providere: cùm verò mutatur diſciplina, non cenſetur propterea vetus damnari, ſed nova tantùm induci; utraque verò optimis rationibus innixa, variis temporum circumſtantiis accommodatur, atque ea ratione in poſterum nulla fore declaravit Matrimonia clandeſtina, quæ antea valuerant. Ita pariter ſuſtulit Eccleſia uſum calicis pro Laicis, licèt per duodecim ſæcula in uſu fuiſſet: non quidem damnata nec improbata priori diſciplina, quæ ſuo tempori congruebat; ſed mutata dumtaxat, quòd amplius eam non exigerent poſteriorem temporum mores. Ita pariter de præſenti noſtro decreto judicandum.

Quinta ratio eſt, quòd Synodus pęnam anathematis imponat tantùm, cùm agitur de dogmate adverſus errores Novatorum: porro in decreto quod expendimus, anathemate damnantur qui affirmant, Matrimonia à filiis familias contracta ſine parentum conſenſu, eſſe irrita; ergo decretum illud ſpectat dumtaxat errorem Novatorum, non verò ſententiam aliorum, qui exiſtimant variis Eccleſiarum ac Regnorum legibus irritari talia conjugia.

Verùm hæc ratio ſupponit falſum, nempe pœnam anathematis imponi dumtaxat in materia doctrinæ, non verò diſciplinæ. Namque hoc ipſo Decreto quod expendimus, anathemate damnantur, qui negant Matrimonia clandeſtina vera ac rata eſſe, quandiu Eccleſia ea non fecit irrita: atqui iſtud ad reformationem diſciplinæ pertinere, non ad doctrinam fidei contra Novatores, non negabit quiſquis apud Pallavicinum legerit, pluſquam quinquaginta Patres, pręeunte ipſo Simoneta à Sedis Apoſtolicę Legato, improbaſſe decretum de clandeſtinis Matrimoniis irritandis, quos in dogma peccaſſe nemo dixerit. Pariter Seſſ. 21. Can. 2. anathema dicitur iis, qui negant Eccleſiam juſtis cauſis & ratiouibus adductam fuiſſe, ut Laicos ſub ſpecie tantùm panis communicaret; & Seſſ. 24. c. 6. excommunicationis pœna, quæ ab anathemate non differt, decernitur in raptores; & Seſſ. 25. c. 9. in eos qui duello pugnant. At

L. 23. c. 9. n. 5.

nemo non intelligit, ea ſpectare diſciplinam; quamquam etiam dogma includatur in Canone qui ſpectat communionem ſub unica ſpecie, de quo argumento aliàs. Imò, & in quolibet Eccleſiæ ſtatuto generalem diſciplinæ ac morum reformationem ſpectante, nonnihil involvitur quod pertinet ad dogma, ipſa ſcilicet auctoritas Eccleſiæ in ejuſmodi legibus condendis ſuprema, cui refragari nefas.

Sexta denique ratio petitur ex variis, & graviſſimis incommodis, quæ ſequuntur ex Matrimoniis quæ filii familias contrahunt ſuis invitis vel inſciis parentibus: veriſimile porro non eſt, Eccleſiam ſuo decreto voluiſſe tam noxia & periculoſa conjugia approbare.

Verùm rurſus falsò ſupponitur, Synodum hujuſmodi conjugia approbare: imò maximè ea improbat, tanquam illicita, contraria tùm reverentiæ quam filii ſuis parentibus debent, tùm legibus Eccleſiæ & Principum, tùm familiarum honori, paci & tranquillitati Regnorum. At aliud eſt talia conjugia rejicere tanquam nulla & irrita, ſolo defectu conſenſus paterni; & aliud ea tanquam illicita prohibere: iſtud ſtatuit Synodus, non illud; non quòd ignoraverit ea incommoda & mala quæ ſequi inde poſſunt, ſed quòd, conſiderata temporum poſteriorum ratione, timuerit longè majora & graviora, ſi reſcinderentur & irritarentur talia Matrimonia.

Tertia denique pars Concluſionis, nempe decretum Tridentinum, de quo hìc agimus, obligare dumtaxat in iis locis in quibus receptum ac promulgatum eſt,

Probatur ex eodem cap. 1. Seſſ. 24. de reformatione. In fine quippe dicitur: *Decernit inſuper Synodus, ut hujuſmodi decretum in unaquaque Parochia ſuum robur poſt triginta dies habere incipiat, à die primæ publicationis in eadem Parochia factæ, numerandos*. Mens igitur Concilii videtur eſſe, ut ſi nec promulgatum, nec receptum aliquibus in locis fuit iſtud decretum, non obliget. T. 14. Conc. p. 877. C.

An jure civili ac Principum Edictis nullum & irritum ſit Matrimonium, quod filiifamilias contrahunt ſuis parentibus inſciis, vel invitis.

Quæſtio moveri poteſt vel de antiquo jure Romanorum, vel de jure Gallorum, quod quidem ad nos ſpectat propiùs, & ſcire maximè noſtrum intereſt. Jam paulò ſuperiùs expoſuimus varias noſtrorum eam in rem ſententias. Sit itaque.

PRIMA CONCLUSIO.

Antiquo civili jure Romano videntur nulla & irrita fuiſſe Matrimonia filiorumfamilias ſine parentum conſenſu contracta.

Ed. Par. 1628. p. 418. Probatur Codicis Juſtiniani L. 5. tit. 4. *De nuptiis*. Lege *Nec filium*, duodecima. *Nec filium quidem familias*, inquit, *ad uxorem ducendam cogi legum diſciplina permittit. Igitur ſicut deſideras, obſervatis Juris præceptis, ſociare conjugio tuo, quam volueris, non impedieris; ita tamen ut contrahendis nuptiis patris tui conſenſus accedat.*

Eodem titulo Lege 20. *In conjunctione*, ſic loquitur Imperator. *In conjunctione filiarum in ſacris poſitarum, patris expectetur arbitrium. Sed ſi ſui juris puella ſit, intra quintum, & vigeſimum annum conſtituta, ipſius quoque aſſenſus exploretur.* P. 419.

Et Libro 9. titulo 13. *Quicunque*, ait Juſtinianus, *uxorem ducere voluerit, ſive ingenuam, ſive libertinam, ſecundùm noſtras leges, & antiquam conſuetudinem, parentes, vel alios quos decet, petat, ut cum eorum voluntate fiat legitimum conjugium.* P. 832.

Idem Imperator in ſuis Inſtitutionibus L. 1. tit. 10. *De nuptiis.* Sic rurſus ſtatuit: *Juſtas autem nuptias inter ſe cives Romani contrahunt, qui ſecundùm præcepta legum coeunt: maſculi quidem pubères, feminæ autem viri potentes; ſive patres familias ſint, ſive filii familias: dum tamen, ſi filii familias ſunt, conſenſum habeant parentum, quorum in poteſtate ſunt. Nam hoc fieri debere, & civilis, & naturalis ratio ſuadet, in tantùm ut juſſus parentis præcedere debeat.* Ed.Par. 628.p.7.

Has & ſimiles Leges ſic interpretantur inſignes aliqui Juriſconſulti, ut velint per eas dumtaxat prohiberi, tanquam illicitas, non verò irritari tanquam nullas, nuptias quæ celebrantur à filiis contra parentum voluntatem. *Juſtæ non ſunt fateor*, ait Cujacius in Librum 35. Pauli, *contractæ tamen non diſſolvuntur*. Unde Godefridus in ſuis notis ad Legem *Filius*. Digeſtis. *De ritu nuptiarum*, addit civiles eas leges eſſe imperfectas, ut quæ nuptias ſine conſenſu parentum fieri prohibeant, contractas tamen non diſſolvant. *Sicut*, inquit, *Cincia lex imperfecta dicitur, quòd ſupra centum donare vetet, donatum tamen non diſſolvat; ſimile eſt Edictum Henrici II. vetat enim hujuſmodi nuptias & punit, non tamen eas reſcindit.* Nituntur potiſſimùm hi Juriſconſulti, auctoritate Pauli veteris Juris interpretis, excerpta ex Libro ipſius 2. Sententiarum titulo 14. ubi ſic ait: *Eorum qui in poteſtate patris ſunt, ſine voluntate ejus Matrimonia jure non contrahuntur, ſed contracta non ſolvuntur: contemplatio enim publicæ utilitatis privatorum commodis præfertur.* T. 1.p. 1313. D. Digeſt. p. 722.

Verùm huic interpretationi locum non relinquunt, tùm Juſtinianus ipſe, tùm alii Juris interpretes.

Juſtinianus Inſtitutionum L. 1. tit. 10. *De nuptiis. Si adverſus ea*, inquit, *quæ diximus aliqui coierint, nec vir, nec uxor, nec nuptiæ, nec matrimonium, nec dos intelligitur. Itaque ii qui ex eo coitu naſcuntur, in poteſtate patris non ſunt, (quantùm ad patriam poteſtatem pertinet) quales ſunt ii quos mater vulgò concepit. Nam nec hi patrem habere intelliguntur, cùm & his etiam pater incertus eſt, unde ſolent ſpurii appellari.* Hæc certè non illicitum modò, ſed etiam irritum & nullum exprimunt Matrimonium. Pag. 8.

Juriſconſulti veteres, quorum ſententias in Libros Digeſtorum conferri voluit Juſtinianus, in eundem ſenſum leges illas interpretantur Lib. 23. Digeſtorum titulo 2. *De ritu nuptiarum*, in cujus fronte hæc legitur Pauli ſententia, longè diverſa ab ea quam ex ipſo referunt Cujacius & Godefridus. *Nuptiæ*, inquit, *conſiſtere non poſſunt, niſi conſentiant omnes qui coeunt, quorumque in poteſtate ſunt.* Digeſt. Edit. Pariſ. 1628. p. 717. n. 2.

Ulpianus pariter eodem titulo, *Si nepos*, inquit, *uxorem velit ducere avo furente, omnimodo patris auctoritas erit neceſſaria; ſed ſi pater furit, avus ſapiat, ſufficit avi voluntas*. Iſta verò loquendi ratio, *nuptiæ conſiſtere non poſſunt*, nullas haud dubiè ſeu irritas declarat, maximè ſi attendamus ad ſummam auctoritatem qua Jure Romano fruebantur patres erga filios. *Jus autem poteſtatis*, inquit Juſtinianus in ſuis Inſtitutionibus, titulo *De patria poteſta-* Digeſt. p. 718. l. 9. Pag. 7.

 teſta-

teſtate, quod in liberos habemus, proprium eſt Civium Romanorum: nulli enim alii ſunt homines, qui talem in liberos habeant poteſtatem, qualem nos habemus.

Ex his inferes, ſententiam quam Cujacius, & Godefridus ex Paulo referunt, vel non eſſe Pauli, ſed Aniani qui juſſu Alarici Regis Gothorum Codicem Theodoſianum notis illuſtravit, in quibus, quod uſus ſui temporis ferebat, inſeruit; vel eam exponendam eſſe ad mentem legis quam tulit Alexander Imperator, nempe nuptias hujuſmodi non diſſolvi, ſi pater ſubinde conſenſerit, aut ſaltem non contradixerit.

SECUNDA CONCLUSIO.

Legibus Regum noſtrorum, ſub graviſſimis pœnis prohibentur, ac declarantur nulla & irrita quantùm ad effectus civiles, Matrimonia quæ filii familias contrahunt, ſuis inſciis vel invitis parentibus.

Manifeſta erit Concluſio, ex legibus Regum noſtrorum mox referendis.

TERTIA CONCLUSIO.

Legibus & Edictis Regum noſtrorum non declarantur irrita & nulla, quantùm ad rationem Sacramenti & vinculi, Matrimonia filiorum, ex ſolo defectu conſenſus parentum.

Probatur Concluſio, percurrendo leges eas quibus Reges noſtri ſapienter celebrandorum conjugiorum formam præſcribunt. Talia ſunt præſertim Edicta Henrici II. an. 1556. ſeptem annis ante decretum Tridentinum; Henrici III. in Comitiis Bleſenſibus an. 579. annis poſt decretum Tridentinum ſexdecim, articulo 40. & 41. Henrici IV. an. 1606. Ludovici XIII. an. 1629. & 1639. & Ludovici XIV. an. 1697. menſe Martio, & die 15. Junii anni ejuſdem. Atqui his Edictis non declarantur nulla & irrita, quantum ad rationem Sacramenti & vinculi, Matrimonia filiorum, ex ſolo defectu conſenſus paterni.

Henricus II. Edicto ſuo ait quidem, filios qui in contemptum obedientiæ & reverentiæ quam ſuis parentibus debent, iis inſciis vel invitis Matrimonium contraxerint, poſſe à paterna hæreditate excludi, ac privari iis omnibus bonis & emolumentis quæ ex tali Matrimonio percepiſſent: at illud omnino nullum eſſe ac irritum, adeoque diſſolvendum, facta licentia convolandi ad alias nuptias, ne verbo quidem inſinuat.

Henricus III. in Edicto Bleſenſi articulo 40. declarat quidem *invalidè contractum Matrimonium &c.* at contextum Edicti attentè legenti patebit, invaliditatem hanc non decerni propter defectum præcisè conſenſus parentum, ſed propter defectum proclamationis bannorum, ex quo præſumatur clandeſtinum eſſe Matrimonium, quod quidem non tantùm civili, ſed etiam ſacra & eccleſiaſtica auctoritate jam irritaverat Concilium Tridentinum. In fine ejuſdem articuli 40. ſeverè prohibet Rex omnibus Parochis, Vicariis &c. ne filios familias Matrimonio priùs con-

jungant,

Digitized by Google

jungant, quàm certiores facti ſint de conſenſu parentum illorum, ſub pœna raptoribus & eorum fautoribus debita: ſi autem contractum fuerit tale Matrimooium abſque conſenſu parentum, Rex ibi non declarat eſſe nullum, neque conſequenter ſolvendum, ſed tantùm articulo 41. imperat *ut conſtitutiones antea factæ contra filios familias qui abſque patris, matris, tutoris, & curatoris conſenſu Matrimonia contraxerint, accuratè ſerventur; ea etiam quæ eo in caſu exhæredationem permittunt*. Alludit articulus iſte ad Edictum Henrici II. nec tale conjugium irritum declarat ex ſolo defectu conſenſus parentum, ſed pœnam tantùm ſic contrahentibus imponit. Articulo verò 42. decernitur pœna capitis in eos *qui Matrimonii obtentu, aut quovis alio prætextu, non conſentientibus parentibus, filium aut filiam minorem viginti quinque annis ſubornaverint, non obſtante conſenſu, quem illi minores poſtea dederint*. Iſtud igitur, *invalidè contractum*, in Edicto Bleſenſi ſpectat dumtaxat Matrimonium aut clam, aut in raptu contractum: quo duplici in caſu, nullum revera eſt; clandeſtinitas enim & raptus duo ſunt impedimenta quæ Matrimonium impediunt contrahendum, & diſſolvunt contractum, lege tùm eccleſiaſtica, tùm civili. Non cadit verò hæc dicta clauſula, *invalidè contractum*, præcisè aut in defectum proclamationis bannorum, aut in defectum conſenſus parentum, niſi ſaltem tanquam in ſignum certum clandeſtini conjugii. Illuſtriſſimus vir D. Servinus quondam Advocatus Catholicus, in cauſa quam die 22. Julii an. 1601. coram Senatu Pariſienſi peroravit, obſervat, ante Edictum Bleſenſe Senatum Pariſienſem nuſquam declaraſſe Matrimonia filiorum ſine conſenſu parentum, nulla & irrita *quoad fœdus & Sacramentum*: at poſt Edictum illud nulla & invalida ſæpius declarata eſſe; quòd nempe hoc Edicto jus & auctoritatem apud nos habuerit Decretum Tridentinum circa reformationem Matrimonii, quo duplex ſtatuitur conditio irritans Matrimonium, clandeſtinitas ſcilicet, & raptus. Cùm igitur Senatus Pariſienſis nulla declarat Matrimonia facta ſine voluntate parentum, ipſum quidem conſenſus paterni defectum non aſſignat tanquam conditionem in ſe irritantem, ſed eum habet velut ſignum certum Matrimonii aut clam, aut in raptu contracti; adeoque nullitatem & invaliditatem repetit vel ex clandeſtinitate, vel ex raptu ſaltem ſeductionis.

Hunc eſſe ſenſum Edicti Bleſenſis manifeſtè colligitur ex Edicto Henrici IV. an. 1606. articulo 12. ubi confirmans Edictum illud Bleſenſe, hanc ipſius clauſulam *invalidè contracta Matrimonia*, interpretatur de iis Matrimoniis quæ non celebrantur coram Eccleſia, cum forma & ſolemnitate requiſita, hoc eſt, de verè clandeſtinis: *Volumus*, ait Rex, *ut cauſæ matrimoniales pertineant ad notitiam & juriſdictionem Judicum eccleſiaſticorum, ea conditione quòd tenebuntur obſervare Edictum Bleſenſe, præſertim quadrageſimum ejus articulum, atque juxta ipſum nulla & invalidè contracta declarare Matrimonia, quæ coram Eccleſia cum forma & ſolemnitate requiſita celebrata non fuerint; quandoquidem pœna hæc per Concilia indicta eſt ac decreta*. Quo in textu duo obſerva. Primum: pœnam nullitatis ſeu invaliditatis, quam ſtatuit Edictum Bleſenſe, & quam renovat & confirmat Edictum Henrici IV. pœnam, inquam, illam, interprete Henrico IV. cadere in Matrimonia clandeſtina, quæ non celebrantur *coram Eccleſia cum forma & ſolemnitate requiſita*.

 Secun-

Secundum: pœnam hanc à Conciliis, maximè verò à Tridentino, indictam & decretam: at certum eſt, pœnam hanc non decerni à Concilio Tridentino in Matrimonia quibus tantùm deeſt conſenſus paternus, ſed in ea quæ vel clam, vel in raptu celebrantur; ergo neque Bleſenſe, neque Henrici IV. Edictum hanc pœnam decernit propter ſolum defectum conſenſus parentum, ſed propterea quòd Matrimonium non ſit coram Eccleſia ut oportet celebratum.

Ludovicus XIII. duplex emiſit Edictum circa Matrimonia; unum an. 1629 in cujus 39. articulo ſic jubet: *Statutum Bleſenſe de Matrimoniis clandeſtinis ad amuſſim ſervabitur; & illi addendo volumus omnia Matrimonia contra dicti ſtatuti tenorem contracta, declarari invalidè contracta: obligabunturque Judices eccleſiaſtici, cauſas matrimoniales convenienter huic articulo dijudicare.*

Alterum Edictum eſt anni 1639. in cujus articulo 1. Rex ſimpliciter ait: *Volumus quadrageſimum ſtatuti Bleſenſis articulum de Matrimoniis clandeſtinis accuratè ſervari.*

Si id unum dixiſſet Rex Chriſtianiſſimus, nempe juxta ſtatutum Bleſenſe Matrimonia clandeſtina nulla & invalidè contracta declaranda eſſe, ſolliciti multùm non eſſemus in his vocibus, *invalidè contracta*, exponendis; certum quippe eſt, vi Decreti Tridentini & ſtatuti Bleſenſis, nulla eſſe ac planè irrita Matrimonia clandeſtina.

Verùm cùm indefinitè Rex pronuntiavit ſtatuto *addendo*, *velle ſe ut omnia Matrimonia contra ejus tenorem facta declarentur invalidè contracta*, maximam Theologis creavit difficultatem, quòd nempe ſequi inde videretur Matrimonia filiorum familias ſine conſenſu parentum, irrita eſſe declaranda, contra expreſſam Concilii Tridentini doctrinam atque ſententiam.

Clariſſimus D. Lovet in ſuis Arreſtis littera M. pag. 49. Tomi 2. ait nullum ſibi videri abſurdum & incommodum, ſi idem Matrimonium dicatur & ſit invalidum in foro civili, quod ratum ſit & verum Sacramentum in foro conſcientiæ & Eccleſiæ. Sed pace ipſius dixerim, graviſſimum foret illud malum quod ex tali pugna ſuboriretur: pax enim atque concordia inter utramque auctoritatem fovenda ſemper, quantùm fieri poteſt.

Propter hanc (ut videbatur) pugnam atque diſcordiam regii Edicti cum Decreto Tridentino, Auctor inauſpicatus Libelli, cui titulus, *Optatus Gallus*, præſagiebat futurum quoddam in Galliis noſtris ſchiſma: at Illuſtriſſimus Habertus Doctor Sorbonicus & Vabrenſis Epiſcopus, adverſus Auctorem hunc lucubrationem edidit, *De juſtitia Edicti connubialis Ludovici XIII.* ubi vanum ac puerilem eſſe oſtendit metum ſchiſmatis; aitque, *nullo unquam Regum noſtrorum Edicto Matrimonia filiorum familias invalida & nulla eſſe, abſque conſenſu parentum, tutorumve, conſtitutum fuiſſe; etſi*, inquit Habertus, *hic error multis impoſuerit. Prohibita quidem ſunt*, pergit ille, *ſed invalida & nulla eſſe haud unquam definitum: unde etiam deceſſorum ſuorum veſtigiis inſiſtens Rex Chriſtianiſſimus Ludovicus XIII. ea iterum prohibuit, ac auſteriùs interdixit: invalida tamen & nulla eſſe contra Tridentinæ Synodi decretum, & Theologorum unanimem etiam in Regno ſuo ſententiam, minimè ſanxit.* Hæc Habertus.

Ex quibus inferre licet, aut Regem Chriſtianiſſimum de ſolis clandeſtinis Matrimoniis loqui voluiſſe; aut ſi voluit pœnam nullitatis & invaliditatis decernere, etiam in Matrimonia quæ fiunt ſine conſenſu parentum, dicen-

dicendum; aut Regem poſtmodum rei difficultate perſpecta, ab ea ſui Edicti clauſula receſſiſſe; ſiquidem Habertus, qui ex profeſſo Edictum illud vindicavit adversùs Optatum Gallum, expreſsè affirmat per illud non declarari nulla & invalida dicta Matrimonia: aut Regem de ſolis Matrimoniis clandeſtinis locutum fuiſſe, atque defectum conſenſus paterni ſpectaſſe velut certum clandeſtini conjugii argumentum: vel denique clauſulam iſtam, *invalidè contractum Matrimonium*, exponendam eſſe non de vinculo & Sacramenti ratione, ſed de civilibus effectibus.

Et verò cùm iſta clauſula Edicti regii Clero Gallicano moleſtiam ac difficultatem creaſſet, anno 1629. in Comitiis generalibus Pariſiis congregatus ſuppliciter Regem rogavit ut Edictum hoc ſuum vellet interpretari. Ita refertur Tomo 5. Commentariorum Cleri Gallicani. *Rex humillimè ſupplicatur, ut conſiderare non pigeat, quantum ſit momentum in hoc articulo, qui eget expoſitione ad duarum difficultatum elucidationem. Prima eſt, ut non aliter intelligantur hæ voces*, validè *aut* invalidè *contractum matrimonium, quàm per relationem ad contractum civilem, & nullatenus ad contractum ſpiritualem Sacramenti. Secunda, ut non adſtringantur Eccleſiaſtici ad judicandum ſecundùm hujus Edicti ſimulque Bleſenſis articulos, ſed juxta ſacros Canones, & Eccleſiaſtica Decreta, quæ ſunt unica regula & norma Judicii Eccleſiaſticorum: hi enim nec poſſunt, nec debent juriſdictionem, quam à ſolo Deo collatam habent circa res ſpirituales, ab ipſis Laicis mutuari. Quapropter neceſſe eſt ex ipſo articulo reſecare hæc verba. Et obligabuntur Eccleſiaſtici Judices, in cauſis iſtiuſmodi, matrimonium judicare ad hujus articuli normam.*

Anciens Memoires du Clergè To. 5. p. 677. Nouveaux Memoires T. 5. p. 693.

Ad hanc verò Cleri Gallicani ſupplicem poſtulationem Rex Chriſtianiſſimus per regii ſigilli Cuſtodem Michaelem de Marillac alioſque ſelectos Comites Conſiſtorianos ſic reſpondit: *Commonitio Cleri quod ſpectat ad priorem difficultatem ſic reſoluta fuit, validè aut invalidè contracta matrimonia non eſſe aliter explicanda, quàm per ſolam relationem ad contractum civilem per Laicos judices; altera pariter difficultas, juſta & rationi congrua viſa eſt.*

Hæc porro decretoria explicatio difficultatem omnem & verborum ambiguitatem tollit. Quippe ſi clauſula hæc, *validè aut invalidè*, ſpectat dumtaxat civiles contractus conjugalis effectus, nempe dotem uxoris, jus ad hæreditatem, donationem inter conjuges, prolis legitimationem & alia hujuſmodi, de quibus ſtatuere ad Principes ſine dubio pertinet, ſalva & integra remanet Matrimonii natura quoad fœdus & Sacramenti rationem, ſi nullum aliunde ſit impedimentum dirimens.

Quamvis igitur Regum noſtrorum Edictis prohibeantur ſub pæna exhæredationis, Matrimonia filiorum ſine conſenſu parentum facta, quamvis interdum nulla & invalida declarentur; intelligi iſtud debet, non quoad ſpiritualem Sacramenti contractum, ſed quoad civiles dumtaxat effectus.

At, inquit Recentior aliquis, quem premit iſtud reſponſum Clero Gallicano datum, *auctoritas regiorum ſigillorum Cuſtodis non tanti eſt, ut contra Regis ipſius declarationem & iteratam illius in ſupremis Curiis acceptationem, quidquam antè facere poſſit, quàm Rex ipſe Ordinationis ſuæ ſenſum hunc eſſe palam faciat*. Neſcio an quid abſonum magis ac ridiculum, ne dicam temerarium, reſponderi poſſit: non enim alio, quàm Regis nomine, reſponſum dedit regiorum ſigillorum Cuſtos, non alium legis interpretem conſuluit, quàm

ipſum

ipſum legis auctorem. Quis porro credat Magiſtratum tanti nominis id ſibi aſſumere voluiſſe, ut ex proprio ſuo marte atque arbitrio Clero Gallicano congregato, non rogata priùs Regis ſententia, reſponſum dare voluerit? Adde ſic dictam clauſulam intelligere Juris utriuſque peritos, de quibus mentionem facit Fevretius L. 5. de abuſu cap. 2. Ita Auctor qui collegit probationes Libertatum Eccleſiæ Gallicanæ, Tomo 2. pag. 967. Ita clariſſimus D. Louet loco mox citato, ubi ſic loquitur: *Nullitas Matrimonii proveniens ex defectu conditionum quas requirit articulus* 40. *Bleſenſis Conſtitutionis, nullatenus attingit ipſum Sacramentum, quod nihilominus in iſto Matrimonio exiſtit. Non agitur de Sacramento Matrimonii, aut ejus eſſentialibus ceremoniis; ſed de validitate conventionum matrimonialium, de acceſſoriis Matrimonii, de dotis validitate, & communitate inter virum & uxorem: quæ conventiones non dependent ex Theologicis deciſionibus, ſed ex Edictis in Parlamento verificatis.* Et paulò poſt: *Aliud eſt de Sacramento Matrimonii diſputare, aliud de pactione dotis diſſerere: diſtinctæ ſunt poteſtates.* Hæc clariſſimus D. Louet. Ita pariter Gamachæus noſter, de Matrimonio cap. 15. *Proprio jure*, inquit, *poſſunt Laici Principes ſtatuere de Matrimoniis, quatenus opus fuerit ad ſtatum politicum, & ſervandam inter ſubditos tranquillitatem; exempli cauſa, de dotibus, de jure ſucceſſionis, de mutua donatione inter conjuges, de ſpuriis, illegitimis. Poſſunt etiam ſtatuere ne Matrimonium contrahatur abſque conſenſu parentum, & ante hanc vel illam ætatem, & per actum clandeſtinum &c. taleſque ipſorum leges verè obligant in conſcientia, quando nihil admiſcetur contra rectam rationem aut definitionem Eccleſiæ; ſed interim non habent vim dirimendi inter Chriſtianos, ita ut Matrimonia reddantur invalida* (ſupple quoad fœdus & rationem Sacramenti) *niſi Eccleſiæ probatio & auctoritas acceſſerit.* Hæc Gamachæus.

Denique Ludovicus XIV. in duobus citatis Edictis pœnam quidem exhæredationis permittit in filios qui contrahunt inſciis vel invitis ſuis parentibus: tempus domicilii figit, ætatem contrahentium ſine parentum conſenſu determinat, aliaque hujuſmodi ſapienter providet; verba autem iſta, *validè aut invalidè contracta Matrimonia*, nuſquam uſurpat, ne rurſus locum daret expoſitioni quam Clerus Gallicanus poſtulaverat, occaſione Edicti Ludovici XIII. anni *1629*.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. Cùm Matrimonium declaratur nullum & invalidum quoad temporales effectus & civilem ipſum contractum, conſequenter nullum eſt quoad rationem Sacramenti. Namque contractus civilis eſt materia & quaſi fundamentum Sacramenti: ſublata verò materia, conſequenter tollitur Sacramentum.

Reſp. nego maj. Ad probationem, negant benè multi Theologi, contractum civilem, quatenus civilis eſt, hoc eſt, ſubjacet politicis legibus, ita eſſe materiam Sacramenti, ut cùm nullus & invalidus contractus per legem civilem declaratur, conſequenter nullum ſit Sacramentum: quia, inquiunt, remanet aliunde contrahentium conſenſus, ſeu contractus humanus, qui ſufficiens eſt Sacramenti materia, quando nulla obſtat lex Eccleſiæ, quæ ſola aucto-

auctoritatem ſuam in res ſpirituales, qualia ſunt Sacramenta, poteſt exercere. Rem ita eſſe in Matrimonio quod filii contrahunt ſine voluntate ſuorum parentum, demonſtrant hocce argumento, quòd nempe Rex Chriſtianiſſimus declarat nullum eſſe tale conjugium, quoad contractum dumtaxat civilem: Concilium verò Tridentinum declarat ratum & validum eſſe, procul dubio quoad Sacramentum, de quo uno ſtatuit; ergo Sacramentum eo in caſu non habet pro materia contractum civilem, quatenus civilis eſt, quandoquidem eo in caſu nullus eſt ac irritus; ergo mutuus contrahentium conſenſus, ſeu humanus contractus, tunc eſt ſufficiens Sacramenti materia.

Objicies 2. Matrimonia quæ filii familiàs ſine conſenſu parentum contrahunt ante vigeſimum quintum ætatis annum ita declarantur nulla & irrita, ut ipſis poteſtas fiat ad alias nuptias convolandi; ergo hujuſmodi Matrimonia irrita ſunt, non tantùm quoad civilem contractum ejuſque effectus, ſed etiam quoad fœdus ac vinculum: quod quidem in regiis Edictis declaratur per hæc verba, *non valablement contracté*.

Antecedens probant 1. quia Thuanus, Mezerenus & Caſtellanus in Commentariis ſuis ad annum 1546. referunt eo conſilio conditum fuiſſe Edictum Henrici II. ut contractus quem Franciſcus Monmorantius cum nobili puella Domicella de Pienne per verba de præſenti inſcio patre fecerat, irritus redderetur, non ſolùm quoad civilem contractum ejuſque effectus, ſed etiam quoad ſubſtantiam vinculi conjugalis. Duo autem ſuadere videntur vera eſſe, quæ dicti Scriptores referunt. Primum, inſolita in præteritum Edicti attentio, *Les enfans de famille ayant contracté, & qui contracteront ci-après mariage ...... contre le gré, voluir & conſentement de leurs peres & meres*, quæ verba non tantùm futuro provident, ſed & præteritum tempus reſpiciunt, contra uſum & morem regiarum Conſtitutionum, quæ futura dumtaxat proſpiciunt. Alterum eſt, paulò poſt ab eodem Monmorantio fuiſſe contractum Matrimonium cum vidua Horatii ſecundi Pharneſii filia naturali, priori cum Domina de Pienne declarato nullo.

Probant 2. ex uſu & praxi in ſupremis Gallicani Imperii Curiis probata & recepta, qua conſtat Matrimonia filiorum familiàs ſine conſenſu parentum ante vigeſimum quintum ætatis annum completum inita, nulla, irrita & invalidè contracta declarari, facta etiam utrique parti dimiſſæ poteſtate ad alia, ſi voluerint, vota tranſire; atque interdum injuncta Parochis lege, ſub pœna privationis proventus temporalis, ut nuptialem benedictionem non denegent, ſi fortè alterutra pars cum alio conjungi voluerit. Ex innumeris Areſtis ſeu Senatusconſultis, iſtud palmare, ut putant, ac invictum referunt, de quo poſt Dufreſne Diarii Audientiarum L. 7. Tom. 1. pag. 702. loquitur Iulianus Brodeau, qui Arreſtis à D. Louet collectis multa alia ſuperaddidit. En factum. Quidam nomine Labbe, Pariſinus, egreſſus è domo paterna annos vix natus viginti quatuor, patre inconſulto Matrimonium contraxit: tum poſt annos aliquot, relicta conjuge aliud inconſultis parentibus inivit cum puella quam duobus poſtea annis, cùm trigeſimum ſecundum annum attigiſſet, dimiſit, ut tertium cum Joanna Moreau iniret. Iſtam cum liberis paulò poſt ducit Pariſios ad patrem, à quo benignè receptus, brevì poſt moritur. Illo mortuo liberis tutor creatur avus, qui ut onus recuſet, Matrimonium quodcumque à filio contractum ſe in-

con-

conſulto, nullum & irritum eſſe prætendit. Cauſa in Curiam Pariſienſem delata, perorante Illuſtriſſimo Bignonio Advocato Catholico, ad ejus votum definitum eſt die 13. Aprilis anno 1653. duo priora connubia, ut pote inſcio patre contracta ea ætate, qua nulla ſunt, irrita eſſe; ſolumque tertium quod anno ætatis trigeſimo ſecundo contractum fuerat, firmum ac validum ſtare.

Reſp. diſt. ant. Matrimonia filiorum familias ante vigeſimum quintum ætatis annum ſine conſenſu parentum inita, ſic irritantur, ut fiat poteſtas ad aliud Matrimonium, propter aliam, quàm ſolius defectus conſenſus parentum cauſam, concedo: propter illum ſolum conſenſus defectum, nego. Itaque cùm multiplex eſſe poſſit cauſa & ratio cur nullum & irritum declaretur Matrimonium: cùm aliunde in Senatusconſultis non enuntientur cauſæ ſeu motiva quibus innituntur, liberum eſt opinari Matrimonium idcirco nullum & irritum declarari, ob vitium quoddam eſſentiale quo nullum redditur: v. gr. vel propter clandeſtinitatem, ſeu defectum præſentiæ Parochi ac teſtium; vel propter raptum ſaltem ſeductionis; vel propter impedimentum aliquod aliud dirimens, quo contrahentes ligati erant; vel propter omiſſam bannorum proclamationem, quam nonnulli ex præjudicata opinione eſſentialem putarunt, ne diceretur Matrimonium clandeſtinum. Uno, vel multis ex his motivis haud dubiè ducuntur Judices, quando nullum, quantùm ad ſubſtantiam, declarant Matrimonium; non autem ex ſolo defectu conſenſus parentum, quo illicita quidem ſunt conjugia filiorum, ſed non irrita & nulla, niſi ſaltem ex ſola præſumptione, quia facilè præſumitur filium, qui patre inſcio & inconſulto Matrimonium contrahit, in aliquem defectum Matrimonio eſſentialem impingere: & donec adverſarii probaverint, quod non probabunt, Judices ex ſolo defectu conſenſus parentum irritare quoad ſubſtantiam contractum conjugalem, liberum nobis erit opinari, aliquo vitio eſſentiali laborare Matrimonia quæ reſcinduntur, data licentia partibus dimiſſis ut cum aliis contrahant.

Et verò non deſunt exempla conjugiorum, quæ licèt inſciis vel invitis parentibus contracta, in ſupremis tamen Curiis hujus Regni valida declarata fuere. Hujuſmodi ſunt quæ refert Auctor Diarii Audientiarum pag. 284. Tom. 1. & pag. 177. Tomi 1. Talia pariter ſunt in Collectione Bardet To. 2. pag. 227. & pag. 329. & in Commentariis Banagii in conſuetudinem Normantiæ pag. 31. Tomi 2. Sicut autem adverſæ partis Theologi iſta Arreſta exponere ac interpretari tenentur, ita & nos eadem libertate interpretamur & exponimus ea quæ nobis hìc objiciuntur. Neque videmus quo fundamento nixi fuerint Thuanus, Mezerenus & Caſtellanus, ut, quam fingunt, ideam Henrico II. attribuant, quaſi inſolens foret Legibus ſeu Declarationibus Regum noſtrorum ad præteritum tempus reſpicere, ut ſubditorum ſtatus & conditio figatur. Nonne v. g. Concilium Tridentinum ſtatuendo Matrimonia clandeſtina impoſterum nulla & irrita futura, declaravit etiam ea quæ præceſſerant rata & valida fuiſſe, quamdiu Eccleſia illa toleravit, nec irrita declaravit?

Ex his facilis eſt reſponſio ad duplicem probationem adductam ex conjugio Monmorancii, & Labbe Pariſini. Laboravit haud dubiè utrumque conjugium vitio aliquo eſſentiali, vel clandeſtinitatis, vel raptus, vel abſentiæ proprii Parochi & teſtium.

Obji-

Objicies 3. Non alia de cauſa Matrimonium Judith filiæ Caroli Calvi cum Balduino Comite nullum declaratum fuit, judicio tùm Eccleſiaſtico, tùm civili, quàm quòd ipſi defuiſſet paternus conſenſus.

Reſp. 1. non idem ferendum judicium de Matrimoniis Principum regiæ proſapiæ, ac de cæteris: ſpeciali enim privilegio, ut mox dicemus, per Eccleſiam etiam confirmato, filii Regum noſtrorum invalidè contrahunt, niſi accedente Regis conſenſu & approbatione.

Reſp. 2. Matrimonium Judith cum Balduino nullum fuiſſe propter impedimentum raptus. De illo ſic loquitur Rex ipſe Carolus Calvus Capitularium ſuorum titulo 35. num. 5. *Filiam noſtram Judith viduam*, ait, *ſecundùm leges divinas & mundanas ſub tuitione Eccleſiaſtica & regio mundeburde conſtitutam, Balduinus ſibi furatus eſt in uxorem; quem poſt legale judicium Epiſcopi Regni noſtri excommunicaverunt ſecundùm Canones & definitionem ſancti Gregorii Papæ, qui dicit:* Si quis viduam furatus fuerit, ipſe & conſentientes ei, anathema ſint.

Tom. 2. Cap. p. 166. n. 9. Sauvegarde.

Objicies 4. Matrimonium quod Sereniſſimus Princeps Gaſto Dux Aurelian. ac frater Ludovici XIII. Regis Chriſtianiſſimi contraxit invito Rege ac fratre ſuo ann. 1633. cum Margareta Lotharinga ſorore Caroli Ducis, nullum & irritum declaratum fuit à ſupremo Senatu Pariſienſi ann. 1634. immò & à Clero Gallicano, multiſque ſacræ Facultatis Pariſienſis, qui conſulti fuerant, Doctoribus ann. 1635. quorum reſponſa Legi poſſunt To. 5. Commentariorum Cleri Gallicani. Non alia autem de cauſa irritum declaratum fuit iſtud conjugium, quàm quòd Regis conſenſus non acceſſiſſet.

Reſp. hanc eſſe Regum noſtrorum ſingularem prærogativam, ipſa Eccleſia probante, ut ſine eorum conſenſu non valeant Matrimonia filiorum ſuorum & aliorum regii ſanguinis Principum; eorum præſertim qui jure nativitatis ad ſolium proximè vocantur. De hoc famoſo negotio conſultus Clerus Gallicanus in Comitiis generalibus Pariſiis congregatus an. 1635. 7. Julii, reſpondit, *attenta conſuetudine Gallicani Imperii antiqua, rationi conſentanea, legitimè præſcripta, & Eccleſiaſtica auctoritate munita, dictum matrimonium Seren. Gaſtonis cum Principe Margareta Lotharingha, nullum eſſe ac invalidum*, cui judicio acquievit Sereniſſ. Principis, qui tandem, Rege conſentiente, rurſus coram Archiepiſcopo Pariſienſi ſeptimo Kalendas Junii ann. 1643. cum eadem Principe contraxit in Caſtro Meudonis. Verùm facta hujuſcemodi in exemplum trahi non debent pro cæteris ex vulgo hominibus.

Nouveaux Mèmoires du Clerè, To. 5. à p. 697. uſque ad pag. 709.

Quæres 1. quo ætatis anno poſſint filii familias validè ſaltem contrahere Matrimonium, non petito nec obtento parentum conſenſu, in ſententia illorum qui putant, ſine tali conſenſu invalida eſſe.

Reſp. poſt completum vigeſimum quintum ætatis annum, cùm ſui juris eſſe incipiunt.

Probatur I. quia poſt vigeſimum quintum ætatis annum contracta ſine conſenſu parentum Matrimonia, vix à ſupremis Curiis invalida declarata fuiſſe videmus, niſi eſſentiali aliquo vitio aliunde notata fuiſſent.

II. Matrimonia ex regiis Conſtitutionibus ut plurimùm apud nos irritantur propter raptum ſeductionis, vel clandeſtinitatem: atqui raptus ſeductionis in Matrimoniis quæ filiifamilias poſt annum vigeſimum quintum

com-

completum contrahunt, nullum in Galliis locum habet. *Volumus*, ait Henricus III. Edicti Bleſenſis art. 42. *ut qui filium aut filiam ante annum vigeſimum quintum ſpecie Matrimonii, vel cujuſvis alterius rei ſubornaverit ſine conſenſu & expreſſa voluntate patrum, matrum & tutorum, capite plectatur ſine ſpe veniæ, non obſtante conſenſu, quem dicti filius & filia vigeſimo quinto anno minores raptori ſive ante raptum, ſive in ipſo raptu dederint*. Ludovicus XIII. in Edicto anni 1629. de aliis non loquitur, quàm qui filios & filias, quamdiu fuerint ſub parentum vel tutorum poteſtate, vel rapuerint, vel raptoribus faverint. Porro ſub parentum vel tutorum poteſtate non eſt, qui annum vigeſimum quintum implevit. Idem Rex Declarationis an. 1639. art. 2. pœnas in raptores renovat ac confirmat.

Et verò poteſtas tutorum & curatorum in ordine ad Matrimonia ceſſare videtur poſt annum vigeſimum quintum completum, ex Edicto Bleſenſi & ordinatione ann. 1639. atqui ſi raptus ſeductionis locum haberet poſt annum vigeſimum quintum completum, non deberet ceſſare, ſiquidem tam facilis, imò facilior pupillorum ſub tutoribus & curatoribus, quàm ſub oculis parentum ſeductio; ergo raptus ſeductionis ex regiis Edictis locum non habet poſt annum vigeſimum quintum completum; atque adeo ſi exhæredationis pœna fortè liberi puniantur cùm poſt annum vigeſimum quintum ante trigeſimum contrahunt, haud dubiè non propter ſeductionem, ſed ob alias cauſas v. g. parentum contemptum, pœna hæc ipſis imponitur.

III. Videtur hæc eſſe ſupremarum Regni Curiarum Juriſprudentia; vix enim ulla occurrunt exempla Matrimoniorum, quæ poſt annum vigeſimum quintum à filiis familias contracta ſine conſenſu parentum, ob eum ſolum conſenſus defectum nulla & irrita declarata fuerint: aliud quoddam in eis vitium fuiſſe oportet, propter quod invalida declarata ſunt; v. gr. ſi Matrimonium ante majoritatem, vel clam abſque Parocho & teſtibus, vel cum turpibus & infamibus perſonis contractum fuerit: è contra verò non deſunt exempla Matrimoniorum quæ licèt illicita, & in parentum contemptum contracta poſt annum vigeſimum quintum expletum, valida tamen pronuntiantur. Duo referuntur Tom. 2. Diarii Audient. pag. 284. alterum in cauſa Michaelis Punetis, qui natus annos pluſquam viginti quinque inſcio patre contraxit; alterum in cauſa alia, tacito partium nomine. Aliud exemplum legitur ibidem Tom. 1. pag. 844. in cauſa Antonii Scharon qui Matrimonium junior contraxerat invito patre, natus annos viginti ſex rurſus contraxit. Scilicet cùm ejus vidua poſtulaſſet à patre mariti jam defuncti ut filium ſuum nutrire vellet, avus contra recuſaret, negaretque hunc eſſe legitimum, qui natus fuerat ex Matrimonio cui nuſquam ipſe conſenſerat, cauſa cecidit avus, decretumque eſt Matrimonium eſſe validum, & expenſis avi educandum puerum. Ejuſdem generis eſt, quod laudat Bardet To. 2. pag. 227. in cauſa Heduardi Pierreſeu anno ætatis vigeſimo ſeptimo invito patre contrahentis. Item quòd Banagius Tom. 2. Commentariorum in conſuetudinem Normanniæ pag. 31. in cauſa Magdalenæ Benard quæ annum vigeſimum ſeptimum attigerat.

Reipſa quidem nonnulla in contrarium exempla referuntur, quibus conſtare videtur etiam poſt annum vigeſimum quintum contracta Matrimonia irrita judicata fuiſſe propter defectum conſenſus paterni. Vide Fevretium

L. 5.

L. 5. de abuſu cap. 2. num. 13. pag. 29. ubi refert judicatum eſſe in Curia Pariſienſi die 14. Aug. ann. 1615. Matrimonium ab Audardo Declinchant annos ferre nato triginta cum Antonia de Longueval invitis parentibus contractum, irritum fuiſſe. Idem in cauſa Stephani Charlet & Renatæ Potel ann. 1663. die 17. Junii judicatum fuiſſe narrat Auctor Diarii Audientiarum To. 2. pag. 527. & To. 3. pag. 678. in qua cauſa Stephani Charlet Illuſtriſſimus Dominus Talon Advocatus Catholicus obſervavit, liberos mortuo patre, poſt annum vigeſimum quintum nemine conſulto contrahere poſſe; non poſſe verò eos, quorum pater vivit, niſi ex conſenſu patris, ad annum trigeſimum.

Ad hæc porro exempla reſpondemus, quod jam non ſemel dictum eſt, hujuſmodi conjugiis præter defectum conſenſus paterni, aliud occurriſſe vitium eſſentiale, nimirum aut clandeſtinitatis, aut omiſſionis proclamationum, quæ tunc temporis neceſſariæ cenſebantur ut Matrimonium non reputaretur occultum & clandeſtinum; aut defectus præſentiæ proprii Parochi ac teſtium, aut denique cujuſcunque alterius impedimenti dirimentis.

Quæres 2. an filii familias qui extra Regnum commorantur, iiſdem Regni Legibus teneantur obſtricti, nec poſſint validè contrahere ſine parentum conſenſu.

Reſp. quæſtionem hanc ſemel atque iterum definitam fuiſſe. Primùm quidem anno 1624. cùm viſum fuit Curiæ Pariſienſi Matrimonium filii familias qui nondum attigerat annum vigeſimum, ratum ſtare poſſe, quia in Lotharingia contractum fuerat, quo tempore Edictum Bleſenſe vim Legis in ea Provincia non obtinebat; deinde in cauſa Mariæ Deſchamps & Andreæ Meuble, qui in inſula Martiniacenſi inſciis parentibus contraxerant, illa annos viginti ſeptem nata, hic annos decem & novem. Arreſtum primum legitur To. 1. Diarii Audient. pag. 21. aliud To. 3. pag. 113. in utroque illo exemplo ratio potius habita fuit bonæ ac ſimplicis fidei contrahentium, quàm verborum Legis. Verùm difficultas eſt utrum illi Regni Leges ignorare potuerint aut debuerint, & utrum bonæ fidei his in caſibus locus fuerit. Quapropter in utraque lite, in prima D. Cervin, in ſecunda D. Bignon Advocati Catholici ſuis concluſionibus cenſuerunt irritanda eſſe dicta Matrimonia. Non ita tamen pronuntiavit Senatus Pariſienſis, ſingulari procul dubio de cauſa. In primo exemplo propter mulieris Lotharingæ ſimplicitatem & ingenuitatem, quæ ex bona fide contraxerat, nec in animum ſuum inducebat irritari unquam poſſe Matrimonium quod ſecundùm Provinciæ ſuæ Leges inierat. In ſecundo, quia, ut obſervat Auctor Diarii, Coloniarum in Americanis inſulis formandarum ſollicitos ſe declarare Judices voluerunt.

ARTICULUS IV.

De Matrimonio clandeſtino, ac neceſſitate præſentiæ proprii Parochi ad validam Matrimonii celebrationem.

DE duobus hìc ſigillatim agendum. 1. de Matrimonio clandeſtino. 2. de neceſſitate præſentiæ parochi & teſtium, ut ratum & firmum ſit Matrimonium.

De

De matrimonio clandeſtino.

Quæres 1. quid ſit Matrimonium clandeſtinum.

Reſp. vi nominis illud eſſe, quod clam & occultè contrahitur, nullo teſte per quem comprobari poſſit: unde jure antiquo ante Conc. Trid. Matrimonium vocabatur clandeſtinum, quod ſine teſtibus coram Sacerdote etiam fuerat celebratum.

Quæres 2. quibus de cauſis Matrimonium olim clandeſtinum reputaretur.

Reſp. 1. propter defectum teſtium. 2. propter defectum proclamationis bannorum. 3. propter defectum conſenſus parentum. 4. propter defectum præſentiæ Parochi. 5. propter defectum benedictionis, & aliarum ſolemnitatum quæ ex antiquo more ſolent ab Eccleſia obſervari.

Quæres 3. an poſt Conc. Trid. omnes illi defectus reddant jam Matrimonium verò clandeſtinum, adeoque nullum & irritum.

Reſp. ex Conc. Trid. Seſſ. 24. de reformatione cap. 1. ſolum defectum præſentiæ Parochi & teſtium reddere Matrimonium propriè clandeſtinum, *To. 14. Conc. p. 876. E.* adeoque nullum & irritum. *Qui aliter*, inquit Synodus, *quàm præſente Parocho, vel alio Sacerdote, de ipſius Parochi ſeu Ordinarii licentia, & duobus vel tribus teſtibus matrimonium contrahere attentabunt, eos ſancta Synodus ad ſic contrahendum omnino inhabiles reddit; & hujuſmodi contractus irritos & nullos eſſe decernit, prout eos præſenti decreto irritos facit, & annullat.*

Quæres 4. quibus de cauſis Synodus Tridentina irrita fecerit Matrimonia clandeſtina.

Reſp. ob graviſſima mala & ſcandala quæ ſequuntur ex Matrimoniis clandeſtinis, de qua re gravis & diuturna habita eſt inter Patres Tridentinos diſceptatio. Lege Pallavicinum L. 22. Hiſt. cap. 4. & L. 23. cap. 9. *Cùm* *Ibid. B.* *ſancta Synodus*, ajunt Patres Tridentini Seſſ. 24. cap. 1. mox citato, *gravia peccata perpendat, quæ ex clandeſtinis conjugiis ortum habent, præſertim verò eorum qui in ſtatu damnationis permanent, dum priore uxore, cum qua clam contraxerant, relicta, cùm alia palam contrahunt, & cum ea in perpetuo adulterio vivunt: cui malo cùm ab Eccleſia, quæ de occultis non judicat, ſuccurri non poſſit, niſi efficacius aliquod remedium adhibeatur, idcirco ſacri Lateranenſis Concilii ſub Innocentio III. celebrati veſtigiis inhærendo, præcipit ut in poſterum &c.* Jubet deinde Synodus, ut fiant bannorum proclamationes; ac declarat nullum & irritum Matrimonium, quod aliter contractum fuerit quàm præſente Parocho, & duobus vel tribus teſtibus.

Obſervant Theologi, pugnare clandeſtina conjugia cum triplici bono Matrimonii, fide ſcilicet, prole, & Sacramento. Cum fide quidem, quam facillimè violant, qui ſine arbitris contrahunt: cùm enim nullum exhiberi poteſt contracti Matrimonii inſtrumentum, nulla probatio, facile eſt partibus aut conſenſu mutuo recedere à ſe, aut uni alteram impunè deſerere. Pugnant 2. cum prole, cujus ſtatus & conditio fit incerta & dubia, niſi conſtet certis teſtimoniis eam ex legitimo Matrimonio ſuſceptam fuiſſe. Pugnant 3. cum Sacramento, cujus violatur tùm dignitas, tùm vinculum & nexus: dignitas quidem, cùm neglectis Eccleſiæ legibus, in ſtatu peccati mortalis percipitur; vinculum & nexus, cùm ob defectum teſtium facilè

cilè uxor clam ducta relinquatur, ut alia palam & in facie Eccleſiæ ducatur, quam ſolam eſſe legitimam Eccleſia, quæ de occultis non judicat, errore facti ſibi perſuadet; cum qua nihilominus non poteſt ille, altera vivente, remanere, niſi cum perpetuo adulterii reatu. En graviſſima mala & incommoda Matrimonii clandeſtini, quibus occurrere ſapienter voluit Synodus: ut nihil interim dicam de honore, pace, tranquillitate familiarum ac Regnorum, quæ tota conturbatur per hujuſmodi furtiva & occulta Matrimonia; unde decretum Tridentinum ultrò acceptavit & ſuum fecit hac in parte Gallia noſtra.

Quæres 5. an potuerit Eccleſia irrita facere Matrimonia clandeſtina. Ratio dubitandi eſt, quòd non poſſit Eccleſia mutare ſubſtantias Sacramentorum: ſubſtantia verò Sacramenti Matrimonii, ſeu ejus materia, eſt mutuus contrahentium conſenſus, qui æquè verus eſt in ſe, ſive clam, ſive palam exhibeatur.

Reſp. affirmativè. Tùm quia de facto Matrimonia hujuſmodi irritavit Eccleſia in Concilio Tridentino: tùm quia anathemate damnavit Seſſ. 24. Can. 4. eos qui negant eſſe penes Eccleſiæ poteſtatem ſtatuere impedimenta Matrimonium dirimentia. Neque urget adducta ratio, qua videntur commoti olim fuiſſe nonnulli in Synodo Tridentina Theologi. Eccleſia quippe non mutavit materiam Sacramenti Matrimonii: namque conſenſus conjugum ſemper vera eſt materia hujus Sacramenti à Chriſto inſtituta; verùm poteſt Eccleſia conditiones quaſdam apponere, quæ ſi non obſerventur, inhabiles redduntur perſonæ ad conſenſum illum præbendum in finem Matrimonii: atque hoc non eſt mutare materiam Sacramenti, ſed tantùm impedire ne ponatur. Eo ferè modo quo ſi quis auferret ab aliqua Provincia aut civitate, vel aquam neceſſariam ad Baptiſmum, vel oleum neceſſarium ad Confirmationem, non diceretur ille mutare, ſed auferre & ſubſtrahere dumtaxat Sacramenti materiam. Sed de hoc argumento recurret adhuc dicendi locus.

Quæres 6. an Matrimonium clandeſtinum ſaltem vim habere poſſit Sponſaliorum.

Reſp. negativè: quia perſonæ declarantur inhabiles ad ſic contrahendum, & contractus ipſe nullus eſt.

Quærit Thomas Sanchez L. 3. diſput. 2. an qui jam clandeſtinè contrahunt, incurrant pœnas à Canonibus decretas. Ratio dubitandi eſt, quia pœnæ illæ impoſitæ olim fuerunt, cùm non erat irritum & validum Matrimonium clam contractum; nunc verò poſt Conc. Trid. nullum eſt: pro actu verò nullo & irrito non videtur quis pœnis ſubjiciendus. P. 20.

Quam quæſtionem ut ſolvat, regulam permittit ad diſcernendum quando pœnæ actui impoſitæ incurrantur, licet actus ſit nullus. Aut enim lex conſiderat tantùm factum & animum facientis, non verò juris effectum; & tunc incurruntur pœnæ per actum invalidum, quia attentatur factum, & pravus animus adeſt: aut conſiderat juris effectum; & tunc non incurruntur, cùm actus ille juris effectum ſortitus minimè ſit. Difficultas ergo in eo eſt, an Canones imponentes clandeſtino conjugio pœnam, conſiderent, factum, vel potius juris effectum: circa quod ait triplicem eſſe ſententiam. Primam, eorum qui dicunt ſolum factum & animum pravum conſiderari; & ita incurri pęnas ob clandeſtinum invalidum. Secundam, eorum qui ſic diſtinguunt: ſi

ſermo ſit de excommunicatione ſynodali, eam incurrunt clam contrahentes invalidè; ſecus autem de pœna exhæredationis impoſita. Tertia denique, quam ipſe Sanchez probabiliorem ſequitur, eorum eſt qui negant per Matrimonium clandeſtinum invalidum incurri pœnas illas. Harum opinionum momenta leget, qui voluerit, apud citatum Auctorem.

Quærit Baſilius Pontius Lib. 5. cap. 5. utrum clandeſtinum Matrimonium abſque dolo & fraude contractum vim habeat & obliget in foro conſcientiæ. Ratio dubitandi eſt, quia fine legis, propter quem ſtatuta eſt, ceſſante, ceſſat & ipſa lex: finis autem legis quæ invalidat Matrimonium clandeſtinum, eſt ut fraus & incommoda vitentur; cùm ergo in præſenti caſu nulla ſit fraus, nullum incommodum, videtur hujuſmodi conjugium in conſcientia vim habere.

Reſponſio nihilominus vera & certa eſt, ne quidem in conſcientia vim habere tale conjugium: tùm quia lex Tridentina generalis eſt, quæ obligat in conſcientia: tùm quia non ceſſat ratio propter quam lex lata fuit, nempe fuga doli & fraudis: tùm quia per decretum Tridentinum redduntur perſonæ inhabiles ad ſic contrahendum.

Quærit rurſus cap. 6. an nullo prorſus caſu poſt Tridentinum, in iis locis in quibus receptum fuit, valere poſſit clandeſtinum Matrimonium.

Reſpondet, nullo prorſus caſu valere poſſe, quia lex eſt generalis abſque ulla prorſus exceptione.

Quæres 7. an Matrimonia clandeſtina illicita & irrita fuerint ante Concilium Tridentinum.

Reſp. ad primum, ſemper illicita fuiſſe & contra Eccleſiæ leges, Matrimonia clandeſtina. *Eccleſia Dei*, ait Synodus Trid. loco mox citato, *ex juſtiſſimis cauſis illa ſemper deteſtata eſt atque prohibuit*. Hujus prohibitionis tot ſunt argumenta, quot extant eccleſiaſtici Canones, quibus edicitur ut Matrimonium coram Eccleſia publicè & cum benedictione Sacerdotis celebretur. Legantur ſex priora capita cauſæ 30. q. 5. in quibus Gratianus vetera eam in rem ſtatuta collegit.

Seſſ. 24. c. 1.

Reſp. ad ſecundum, non conſentire inter ſe Theologos. Sunt qui cum Thoma Sanchez Lib. 3. de Matr. diſput. 3. putant Matrimonia clandeſtina ante Concilium Tridentinum irrita nuſquam fuiſſe, idque tanquam de fide à Concilio Tridentino fuiſſe definitum. Econtra Baſilius Pontius Lib. 5. cap. 3. n. 2. & alii non pauci contendunt. 1. per aliquot annorum centurias, primis Eccleſiæ temporibus, nullatenus valuiſſe clandeſtina conjugia. 2. leges illas Eccleſiæ paulatim in deſuetudinem abiiſſe, atque vim habuiſſe ejuſmodi Matrimonia uſque ad Concilium Tridentinum, à quo rurſus invalida & nulla in poſterum futura declarata ſunt. Conſonat hæc opinio cum iis quæ paulò antè diximus de Matrimoniis factis abſque parentum conſenſu.

Verùm quidquid ſit de hac poſtrema ſententia, quæ tota eſt facti, certum nobis videtur. 1. minimè à Concilio Tridentino tanquam de fide fuiſſe definitum, clandeſtina illa Matrimonia olim ſemper rata & valida fuiſſe. Hæc ſunt Concilii verba: *Tametſi dubitandum non eſt, clandeſtina Matrimonia libero contrahentium conſenſu facta, rata & vera eſſe Matrimonia, quamdiu Eccleſia ea irrita non fecit; & proinde jure damnandi ſunt illi, ut eos ſancta Sy-*

T. 14. Conc. p. 876. A.

Hæc Synodus anathemate damnat, qui ea vera & rata eſſe negant . . . nihilominus ſancta Dei Eccleſia ex juſtiſſimis cauſis illa ſemper deteſtata eſt atque prohibuit. Quibus verbis docet Synodus. 1. Matrimonia clandeſtina rata eſſe quamdiu Eccleſia ea irrita non fecit, atque damnandos illos qui negant ea vera ac rata eſſe; quod primum ad doctrinam pertinet: an verò Eccleſia olim Matrimonia hujuſmodi irrita fecerit, quæ quæſtio tota facti eſt, ut vocant Hiſtorici, Synodus non declarat, ſed rem hanc in ſuſpenſo relictam permittit Theologorum diſputationibus. Docet 2. Eccleſiam ſemper deteſtatam eſſe, ac prohibuiſſe Matrimonia. Docet 3. in poſterum ea nulla & irrita fore.

Alterum hìc nobis certum videtur: nempe, nec Concilium Lateranenſe IV. an. 1215. cap. 51. nec Colonienſe an. 1536. nec Moguntinum ann. 1549. irritare Matrimonia clandeſtina. Imò Colonienſe & Moguntinum, quamquam optent ut generali Eccleſiæ Conſtitutione nulla ſint, valere tamen illa nec eſſe irrita declarant, donec acceſſerit generalis Eccleſiæ definitio per quam irritentur.

Neque eſt quòd opponas effatum Jure civili & canonico pariter receptum, nempe, *Quæ contra leges fiunt, pro infectis, hoc eſt, nullis habentur. Quod contra ordinem Eccleſiæ factum eſt*, ait Cœleſtinus S.P. cap. *Videtur*. Cauſa 35. qu. 6. *ratum non haberi, tam humanæ quàm divinæ legis proclamat auctoritas*. Atqui Matrimonia clandeſtina ſemper fuerunt prohibita; ergo & nulla. Grat. p. 1863. n. 4.

Namque effatum illud intelligi debet de iis rebus quæ ipſa prohibitione irritantur; non autem de illis quæ ſolummodo tanquam illicitæ prohibentur. Vide Pontium L. 5. c. 3.

De neceſſitate præſentiæ Parochi ac teſtium, ut firmum ſit ac validum Matrimonium.

Quæres 1. quid Concilium Tridentinum ſtatuerit circa neceſſariam Parochi præſentiam in Matrimonio.

Reſp. ita ſtatuiſſe Seſſ. 24. de reformatione Matrimonii cap. 1. *Qui aliter, quàm præſente Parocho, vel alio Sacerdote de ipſius Parochi ſeu Ordinarii licentia, & duobus vel tribus teſtibus Matrimonium contrahere attentabunt, eos ſancta Synodus ad ſic contrahendum omnino inhabiles reddit, & hujuſmodi contractus irritos & nullos eſſe decernit, prout eos præſenti decreto irritos facit & annullat*. To. 14. Conc. p. 876. E.

Quæres 2. quis ſit Parochus cujus præſentia eſt omnino neceſſaria: an originis, ſeu nativitatis eorum qui contrahunt; an loci ubi contrahitur; an domicilii; an viri, an mulieris.

Reſp. eſſe Parochum domicilii. Ille enim ipſe eſt qui debet publicas bannorum denuntiationes proclamare: at iſte eſt Parochus domicilii, qui faciliùs poteſt deprehendere ſi quod eſt impedimentum inter contrahentes: ſive autem ſit viri ſive mulieris Parochus perinde eſt, uſus tamen obtinuit ut celebretur Matrimonium coram Parocho mulieris, de licentia Parochi viri. Ita reſponderunt Cardinales Præfecti interpretationi Concilii Trid. ſicut refertur ad calcem capitis 1. Seſſionis 24. ejuſdem Concilii editionis Lugdunenſis.

P 2 Obſer-

Digitized by Google

Obſervandum autem hìc, quòd etſi ſufficiat ad veritatem ſeu ſubſtantiam Matrimoni, ut celebretur coram Parocho alterutrius contrahentis, peccaret tamen ille Parochus qui contrahentes diverſæ Parochiæ vel Diœceſeos admitteret, non acceptis Literis teſtimonialibus alterius Parochi, quibus certiorem illum faceret proclamaſſe ſe banna promiſſi Matrimonii, nemine contradicente: Parochianum ſuum ad Sacramentum Pœnitentiæ acceſſiſſe, nihilque obſtare quo minùs Sacramentum Matrimonii ipſi conferat.

Quæres 3. an Matrimonium contractum coram proprio Parocho, vel alio Sacerdote de licentia ipſius in aliena Parochia, ſit validum.

Reſp. affirmativè: quia celebratio Matrimonii eſt actus juriſdictionis voluntariæ, quæ poteſt ubique validè exerceri, modò adſint omnia eſſentialiter requiſita. Ita Sanchez L. 3. diſput. 19. Eſtius in 4. diſt. 28. paragr. 7. & alii. Contradicit tamen Baſilius Pontius L. 5. c. 16.

Quæres 4. an valeat Matrimonium celebratum coram proprio Parocho nondum Sacerdote.

Reſp. ex ſententia Cardinalium, qui ea de re conſulti dicuntur ann. 1593. valere; maximè intra ſpatium anni quem Jus concedit Parocho, ut ad ſacerdotium promoveatur. Ita Fagnanus in caput *Quoniam* L. 1. de Conſtitutionibus, Navarra Conſ. 10. tit. de clandeſtina deſponſ. & plures alii apud Barboſam ad Seſſ. 24. Conc. Trid. cap. 1. n. 97. Opinionem hanc tuentur qui exiſtimant Sacerdotem non eſſe miniſtrum hujus Sacramenti.

Verùm quidquid ſit, in praxi conſultius eſt, ut Parochi qui nondum Sacerdotes ſunt, ab hoc officio abſtineant, illudque vel Vicario, vel alteri Sacerdoti committant; quia probabiliſſima eſt ſententia quæ ſtatuit Sacerdotem eſſe miniſtrum Sacramenti hujus, formam eſſentialem eſſe verba ab ipſo prolata.

Quæres 5. an valeat Matrimonium contractum coram Parocho ſuſpenſo, excommunicato, irregulari.

Reſp. circumferri datam eodem an. 1593. Cardinalium reſponſionem, qua dicunt ratum eſſe tale Matrimonium: tùm quia Concilium ſimpliciter exigit Parochi præſentiam; tùm quia nullo Juris decreto irritatur. Sunt tamen quibus aliter videtur, quorum momenta expende apud Pontium L. 5. c. 7. paragr. unico.

Quid, ſi Parochus verum non habet titulum, ſed putativum dumtaxat, & ſit propriè intruſus; an ſtabit contractum coram illo Matrimonium?

Reſp. ſi titulum habeat coloratum, ut ajunt, hoc eſt, ſi ex communi ac publico errore reputetur tanquam verus Parochus, valere contractum eo præſente conjugium; quia error communis facit jus, & Eccleſia his in caſibus ſufficientem dat juriſdictionem ejuſmodi Sacerdoti titulum coloratum habenti, ut munia Parochi obire validè poſſit.

Quæres 6. quænam Parochi præſentia neceſſaria ſit: an phyſica ſufficiat; an moralis exigatur, quæ nempe ſit cum libertate, rationis advertentia, ita ut ſi Parochus vel invitus, vel in alium finem vocatus adeſſet, & conſenſum ſuum ac benedictionem denegaret, nullum foret Matrimonium.

Reſp. 1. Quæcunque ſententia circa miniſtrum Sacramenti Matrimonii ſeligatur, ea debet exigi Parochi præſentia, quæ ad humanum & moralem actum ſufficiat. Si enim aut dormiens, aut neſciens omnino quid fieret,

ret, adeſſet, haud dubiè nequidem idoneus eſſe poſſet teſtis, multò minùs miniſter Sacramenti, in quo debet eſſe intentio faciendi quod facit Eccleſia.

Reſp. 2. in opinione illorum quibus placet contrahentes eſſe miniſtros hujus Sacramenti, Parochum verò eſſe teſtem præcipuum, valere Matrimonium, etiam in ratione Sacramenti, etſi Parochus aut invitus, aut in alium finem vocatus adſuerit, aut benedictionem ſolemnem denegaverit. *Concil. Triden. Lugd. p. 428.* Ita reſpondiſſe feruntur Cardinales die 19. Aug. ann. 1591. Alii verò qui contendunt Parochum veri miniſtri Eccleſiæ parteshic ſuſtinere, & benedictionem eſſe veluti formam eſſentialem Sacramenti, reſpondent eo in caſu ſtare Matrimonium quoad contractum ac vinculum, at non eſſe verum Sacramentum.

Quæres 7. an valeat Matrimonium contractum coram alieno Parocho, propterea quòd proprius Parochus vel palam eſt hæreticus, vel profugus, vel mortuus, nulluſque in locum ejus ſubſtitutus.

Reſpondent iidem Cardinales, irritum eſſe tale Matrimonium, quia eſt contra terminos Concilii Tridentini.

Quæres 8. utrum Matrimonia ſine præſentia Parochi & teſtium contracta, nullo caſu ſint valida.

Reſp. nonnullis in caſibus ea valida eſſe. *Ib. p. 433.*

I. quando contrahuntur ab incolis illarum regionum ubi Concilium non eſt publicatum, aut ubi nunquam fuit receptum: tùm quia Synodus non vult ſuum decretum robur habere niſi poſt 30. dies à die primæ publicationis; tùm quia lex nunquam recepta non obligat.

II. ubi conſtat decretum Concilii eſſe publicatum, vel aliquo tempore in Parochia tanquam decretum Concilii obſervatum; ſed parochialis Eccleſia proprio Parocho caret; itidem Cathedralis caret Epiſcopo atque Capitulo habentibus à Concilio facultatem alium Sacerdotem ad id delegandi, nulluſque alius ibi eſt, qui vices Parochi vel Epiſcopi ſuppleat, Matrimonium valet abſque præſentia Parochi, ſervata tamen in eo, in quo poteſt, forma Concilii, nempe adhibitis ſaltem duobus teſtibus.

III. ſi extent quidem Parochus & Epiſcopus, ſed, nullo conſtituto Vicario, uterque metu Hæreticorum lateat, ita ut verè ignoretur ubi ſit; vel ſi eodem metu à Diœceſi abſit, nec ad alterutrum tutus ſit acceſſus, validum eſt Matrimonium contractum abſque forma Concilii, adhibitis tamen, ut dictum eſt, duobus teſtibus. Hos duos poſteriores caſus ita reſolvit ſacra Cardinalium Congregatio die 19. Jan. an. 1603.

Quæres 9. an irritum ſit Matrimonium in articulo mortis cum concubina contractum ſine præſentia Parochi.

Reſp. eſſe irritum propter eandem cauſam.

Quæres 10. quid ſit ſentiendum de iis Matrimoniis quæ à Catholicis contrahuntur iis in regionibus v. gr. Hollandia, Zelandia &c. ubi non ſunt Parochi.

Reſpondent ad propoſitam difficultatem iidem Cardinales his verbis: *Ib. p. 431* *Ubi hoc decretum Tridentinum nondum eſt publicatum in Parochia, valet Matrimonium contractum abſque obſervatione formæ à Concilio præſcriptæ: publicatio autem decreti facta præſumitur, ubi decretum ipſum fuit aliquo tempore in Parochia tanquam decretum Concilii obſervatum. Hæretici in quorum Parochia*

dictum decretum fuit publicatum, tenentur præſcriptam formam obſervare, & propterea ipſorum Matrimonia abſque forma Concilii, quamvis coram Miniſtro hæretico, vel Magiſtratu loci contracta, ſunt nulla. Si verò Parochia in qua fuit aliquando obſervatum decretum, proprio Parocho careat, & Cathedralis item Epiſcopo & Capitulo habentibus à Concilio facultatem alium Sacerdotem ad id delegandi, nulluſque alius ibi ſit, qui vices Parochi aut Epiſcopi ſuppleat, Matrimonium valet abſque præſentia Parochi, ſervata tamen in eo in quo poteſt, forma Concilii, nempe adhibitis ſaltem duobus teſtibus. Si verò extent quidem Parochus & Epiſcopus, ſed, nullo conſtituto Vicario, uterque metu Hæreticorum lateat, ita ut verè ignoretur ubi ſit, vel eodem metu à Diœceſi abſit, nec ad alterutrum ſit tutus acceſſus, validum eſt Matrimonium contractum abſque Parocho, adhibitis tamen duobus teſtibus. Ita Cardinales.

Quæres 11. quis ſit proprius vagorum, qui nullas habent fixas ſedes, Parochus.

Reſp. de illis ſic ſtatuiſſe Conc. Trid. Seſſ. 14. de reformatione Matrimonii cap. 7. *Multi ſunt*, inquit, *qui vagantur & incertas habent ſedes, &, ut improbi ſunt ingenii, prima uxore relicta, aliam, & plerumque plures, illa vivente, diverſis in locis ducunt: cui morbo cupiens ſancta Synodus occurrere, omnes ad quos ſpectat, paternè monet, ne hoc genus hominum vagantium ad Matrimonium facilè recipiant. Magiſtratus etiam ſæculares hortatur, ut eos ſeverè coerceant: Parochis autem præcipit, ne illorum Matrimoniis interſint, niſi priùs diligentem inquiſitionem fecerint, &, re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint.*

T. 14. Conc. p. 879.

Congregatio Cardinalium cenſuit *Matrimonium contrahi poſſe inter duos alienigenas, & à parvo tempore in aliquo loco habitantes, ſi tamen ſint cogniti, ita ut non ſint de comprehenſis inter vagabundos: proprius autem eorum Parochus eſſe intelligitur, in cujus Parochia habitant eo tempore quo Matrimonium contrahunt.*

Quæres 12. an quando incolæ locorum ubi Tridentinum obligat, divertunt ad loca ubi non obligat; vel è contra, incolæ locorum ubi non obligat, divertunt ad locum ubi obligat, teneantur coram Parocho & teſtibus contrahere.

Pendet quæſtio præſens ex altera, nempe an peregrini teneantur legibus loci per quem tranſeunt; an verò ſui domicilii, dum abſunt. Non teneri ſecluſo ſcandalo, putat Sanchez L. 3. diſput. 18. q. 1. n. 6. Excipit tamen ibid. qu. 3. & 4. ſolemnitatem contractus, quam ait omnino pendere ut ratus ſit, à legibus loci in quo fit; & ita concludit peregrinos qui tranſeunt per illa loca in quibus obligat Conc. Trid. non poſſe validè contrahere ſine Parocho & teſtibus; eos verò, quorum in patria obligat Concilii decretum, ſi tranſeant per ea loca in quibus non obligat, non teneri contrahere coram Parocho & teſtibus: quam ſententiam parum cum præcedente cohærere obſervat Pontius Lib. 5. cap. 7. paragr. 1. Si enim generatim peregrini non tenentur legibus locorum per quæ tranſeunt, quare decreto Tridentino obſtringuntur peregrini tranſeuntes per eam regionem in qua obtinet tale decretum? Unde ſpecialis illa contractuum prærogativa? Itaque cenſet ipſe Pontius, generatim omnes peregrinos teneri legibus regionis per quam tranſeunt, non verò domicilii ſui à quo abſunt; & inde concludit,

dit, peregrinos non poſſe ſine Parocho & teſtibus contrahere Matrimonium, iis in locis in quibus obligat decretum Tridentinum; ſecus verò poſſe ſi non obliget, quamvis ea intentione proprium ſuum domicilium, in quo obligat Tridentinum, deſeruiſſent ut in alium locum tranſmigrarent, in quo ſciunt non obligare tale decretum: quo caſu arbitratur Auctor ille cap. 9. n. 4. fraudem illam ac dolum culpæ non debere imputari. Alii nihilominus Theologi cum Petro Ledeſma, putant tranſmigrationem illam factam in fraudem legis, eo nimirum animo ut lex declinetur proprii domicilii, non poſſe favere tranſmigranti; adeoque nullum ab illo contrahi in dicto caſu Matrimonium ſine Parocho & teſtibus.

Peregrinos verò teneri legibus locorum per quæ tranſeunt, multis probant momentis, imprimis verò auctoritate S. Auguſtini, qui laudat S. Ambroſium. *Cùm*, inquit S. Aug. Epiſt. 36. aliàs 86. *in eadem civitate* (Mediolani) *mater mea mecum eſſet, & . . . illa ſollicitudinem gereret, utrum ſecundùm* T. 2. p. *morem noſtræ civitatis ſibi eſſet ſabbato jejunandum, an Eccleſiæ Mediolanenſis* 81. C. *more prandendum: ut hac eam cunctatione liberarem, interrogavi hoc ſupra dictum hominem Dei* (Ambroſium.) *At ille . . . . Quando hîc ſum, non jejuno ſabbato; quando Romæ ſum, jejuno ſabbato: Et ad quamcumque Eccleſiam veneritis, ejus morem ſervate, ſi pati ſcandalum non vultis, aut facere.* Inde effatum vulgare, D.

Cùm fueris Romæ, Romano vivito more:
Cùm fueris alibi, vivito ſicut ibi.

Quæres 13. an qui coram Parocho & teſtibus Matrimonium contraxit, ſed in ſe nullum, vel propter defectum conſenſus, vel propter impedimentum aliquod dirimens occultum, teneatur poſtea, obtenta diſpenſatione impedimenti, rurſus contrahere coram Parocho & teſtibus. Ratio dubitandi eſt, quòd prius Matrimonium nullum fuit; ergo ut valeat ſecundum, debet celebrari forma per Concilium præſcripta, id eſt, coram Parocho & teſtibus.

Reſp. diſcordes eſſe ea in re Theologos. Pontius L. 5. cap. 6. exiſtimat neceſſe eſſe ut coram Parocho & teſtibus iterum contrahatur, ſive occultum, ſive publicum fuerit impedimentum. E contra negant Navarrus in Summa cap. 22. num. 7. & in nova editione cap. 16. n. 37. ubi aſſerit ſic declaraſſe Pium P. 165. V. Ledeſma q. 45. de Matr. art. 5. Sanchez L. 2. diſput. 37. à num. 3. ubi adductis multis caſibus probat quòd ſi impedimentum ſit occultum, nec poſſit ſine ſcandalo renovari conſenſus coram Parocho, ſufficiat illum clam renovari. Cùm enim Parochi præſentia ſit conditio à Concilio ſtatuta contra Matrimonia clandeſtina, & aliunde Parochus jam præſens fuerit, videtur ceſſare ratio legis; adeoque legem non ſe extendere ad illum caſum. Num. verò 10. idem Auctor ait ſententiam hanc cum corollariis ex ea illatis ſic eſſe intelligendam. 1. dummodo Parochus & teſtes impedimentum illud ignorarent; ſi enim id noſſent, quantumcunque aliàs eſſet occultum, neceſſariò contrahendum rurſus foret coram Parocho & teſtibus: *Quia*, inquit, *cùm ipſis conſtet in foro Eccleſiæ Matrimonium eſſe nullum, non ſunt teſtes valoris, ſed* P. 166. *nullitatis Matrimonii. 2. niſi periculum ſit ut detegatur impedimentum, & probetur in foro externo: tali enim periculo exiſtente, celebrandum iterum eſt coram* Ib. n. 11. *Parocho & teſtibus.*

Refertur eam in rem iſta Cardinalium reſponſio. *Non tenentur iterum coram Parocho ac teſtibus contrahere, qui jam ſemel coram iiſdem contraxere, validè tamen ex defectu conſenſus, vel ob occultum impedimentum dirimens; ſed ſat erit quòd rurſus ſecretè verè conſentiant, impetrata priùs diſpenſatione impedimenti in conſcientia tantùm. Quòd ſi in utroque foro diſpenſationem obtinuerint, debent rurſus publicè contrahere coram Parocho & teſtibus, juxta formam Concilii. Indigent autem in utroque foro diſpenſatione, ſi impedimentum, quod ſecretum erat, innotuiſſet.*

Concil. Triden. Lugd. p. 446.

Quæres 14. quis ſit Ordinarius, de cujus licentia Concilium ait poſſe Matrimonium coram alio Sacerdote à Parocho diſtincto celebrari.

Reſp. eſſe Epiſcopum, ejuſque Vicarium Generalem.

Quæres 15. an præter præſentiam Parochi requirantur teſtes.

Reſp. juxta decretum Tridentinum duos teſtes debere intereſſe celebrationi Matrimonii. Edictum Bleſenſe quatuor exigit; & præterea ut ſint fide digni; quod confirmavit Ludovicus XIV. Edicto ſuo an. 1697. In praxi tamen duo ſufficiunt teſtes, quorum nec ſexum, nec ætatem, nec dotes aſſignavit Synodus; ſed ex pœnis graviſſimis quas ſtatuit Rex noſter adverſùs eos qui falſi teſtimonii convincerentur erga celebrationem Matrimonii, ſatis apertè declaratur, mentem ejus ac voluntatem eſſe, ut teſtes illi viri ſint probatæ vitæ ac fidei.

QUÆSTIO SEPTIMA.

De impedimentis Matrimonii in genere.

DUo ſunt univerſim circa Matrimonium genera impedimentorum. Alia quæ contrahendum impediunt, & ſimpliciter prohibentia; alia verò quæ dirimunt contractum, & dirimentia vocantur. Primi generis impedimenta illicitum dumtaxat; ſecundi verò, & illicitum & nullum efficiunt Matrimonium.

Priuſquam autem de his omnibus ſigillatim agamus, tria ſunt diſcutienda, quæ ſpectant univerſim tùm auctoritatem ſtatuendi impedimenta Matrimonium dirimentia; tùm auctoritatem diſpenſandi ab illis. Tribus igitur Articulis ſequentibus expendemus

I. an Eccleſia poteſtatem habeat ſtatuendi impedimenta Matrimonium dirimentia.

II. an Principes ſæculares eandem auctoritatem habeant.

III. de diſpenſatione ab impedimentis Matrimonii.

ARTICULUS PRIMUS.

An Eccleſia poteſtatem habeat ſtatuendi impedimenta Matrimonium dirimentia.

NEgat Lutherus, ratus cauſas omnes matrimoniales ad ſolos ſpectare Principes ſæculares: unde inter errores Novatorum Concilium Senonenſe ſeu Pariſienſe paulò ante Tridentinum celebratum ann. 1528. hunc articulum recenſet, *Eccleſia non potuit illegitimare aliquas perſonas, ſic*

T. 14. Conc. p. 461.

quòd

quòd non poſſint contrahere Matrimonium. Fluit error iſte ex alio eorumdem Novatorum, qui in Matrimonio nihil niſi purè humanum, politicum, ac civile agnoſcunt: quippe ſi agnoſcerent Matrimonium eſſe Sacramentum, eximere illud non poſſent ab auctoritate & juriſdictione eccleſiaſtica. Quam conſecutionem rectam eſſe ſubodoratus eſt Calvinus Lib. 4. Inſtitutionis cap. 19. paragr. 37. *Ubi enim ſemel*, ait ille, *obtinuere*, (Catholici) P. 548. ſcilicet Matrimonium eſſe Sacramentum, *conjugalium cauſarum cognitionem ad ſe contraxerunt: quippe res ſpiritualis erat profanis Judicibus non attrectanda*.

Novatoribus adhæſit Marcus Antonius de Dominis Spalatenſis Archiepiſcopus & apoſtata Lib. 5. de Republica Chriſtiana cap. 11. quod ita inſcribit, *Matrimonii vinculum & cauſas à propria poteſtate eccleſiaſtica non pendere*. In eo revera incumbit totus, ut oſtendat *contractum ſocietatis* (ſunt ejus verba n. 1.) *inter virum & uxorem, cùm ſit totus humanus & corporalis, & ad effectum naturalem directè initus, ad poteſtatem eccleſiaſticam, quæ tota in ſe ſpiritualis eſt, & ad ſupernaturalia, non poſſe jure divino pertinere*. Deinde n. 22. efficere conatur, ne quidem poſſe Eccleſiam juriſdictionem & auctoritatem exercere in Matrimonium, etſi ſupponeretur eſſe Sacramentum: *quia*, inquit, *ſupernaturalis hæc conditio & ratio Sacramenti ſupervenit Matrimonio jam planè & perfectè in eſſe civilis contractus conſtituto*. In decurſu ejuſdem capitis non diffitetur eſſe aliquas Matrimonii cauſas quæ ad Eccleſiam deferri poſſunt, qualis eſt v. g. controverſia Theologorum circa naturam Matrimonii, an ſit Sacramentum, vel non: pariter cognitio eorum peccatorum quæ conjuges committunt: vel in contrahendo Matrimonio, vel in ejus uſu, propter quæ pœnitentia ipſis imponi debet. En limites intra quos concludit Spalatenſis Eccleſiæ auctoritatem circa Matrimonium; ferre autem leges quæ illud dirimant, ad ſolos pertinere ſæculares Principes, non verò ad Eccleſiam, niſi fortè ex indulgentia Principum, intrepidè ille aſſeverat.

Scripſit Launojus Theologus Pariſienſis Tractatum *de regia in Matrimonium poteſtate*, in quo dum jura Principum vindicat, Eccleſiaſtica lædit, quaſi ſtare ſimul ac conciliari ea non poſſent. Exiſtimat ille, auctoritatem ſtatuendi impedimenta Matrimonium dirimentia, tam proprio & nativo jure pertinere ad ſolos Reges ac Principes ſæculares, ut Eccleſia eam exercere non poſſit, niſi vel uſurpatione, vel indulgentia ſaltem & conceſſione Principum; atque novo & hactenus inaudito figmento contendit ille pag. 293. in Canone Tridentino, quo definitur *poſſe Eccleſiam ſtatuere impedimenta Matrimonium dirimentia*, per Eccleſiam, intelligi debere Reges ac Principes, quorum dumtaxat nomine & auctoritate illa utitur, dum hæc ſtatuit impedimenta.

Adversùs Launojum ſtylum exacuere inter cæteros duo Doctores Sorbonici. Alter in Opere quod inſcripſit, *Obſervationes in Librum Magiſtri Joannis Launoii de regia in Matrimonium poteſtate, ann.* 1678. Infinita penè eo in Opere Launoii errata detegit, obliqua & diſtorta ratiocinia emendat, carpit, ac refellit; auctorum textus ab ipſo interdum depravatos, interpolatos, mutilatos, in ſenſum planè alienum violenter adductos, atque totum ferè ab illo expilatum ac tranſcriptum Spalatenſem, collato utriuſque textu,

Digitized by Google

textu, demonſtrat eruditus Auctor. Alter in Libro cui gallicè titulum fecit, *Traitè du pouvoir de l' Egliſe & des Princes ſur les empechemens du mariage. Pariſiis an. 1697.* ſuppreſſo Launoii nomine, eruditè illum confutat tota priori parte ſuæ Lucubrationis, ubi oſtendit prolatis ex qualibet ætate teſtimoniis, Eccleſiam non precario, ſed proprio ac nativo jure ſemper ſuam auctoritatem exercuiſſe in ſtatuendis impedimentis Matrimonium dirimentibus.

Obſerva duo hìc eſſe extrema vitioſa pariter declinanda. Primum, eorum qui Eccleſiæ totam, Principibus verò nullam concedunt in Matrimonia auctoritatem: alterum verò eorum qui totam Principibus ſic aſſerunt, ut nullam Eccleſiæ relinquant. Suum quippe jus utrique Poteſtati, eccleſiaſticæ ac civili, aſſerendum eſt, certis limitibus circumſcriptum. Cùm enim contractus conjugalis mixtus ſit, atque temporale aliquid, civile & politicum contineat, & aliquid ſpirituale, divinum ac ſacramentale, neceſſe eſt illum utriuſque Poteſtatis ſubjacere legibus; ita ut civilis ad temporalia & civilia, ſpiritualis ad ſpiritualia dumtaxat ſe extendat.

CONCLUSIO.

Eccleſia jus & auctoritatem habet ſtatuendi impedimenta Matrimonium dirimentia.

Probatur 1. exemplo Chriſti & Apoſtoli, qui eorum impedimentorum ſtatuendorum formam & exemplum dedere.

Chriſtus Marci 10. & Lucæ 13. impedimentum quod vocatur ligamen, quo ſit, ut qui uxori eſt alligatus, non poſſit ab ea, quamdiu vivit, ſolvi, & cum altera conjungi, appoſuit. *Omnis*, inquit, *qui dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit, mœchatur; & qui dimiſſam à viro ducit, mœchatur. Mulier*, ait Apoſtolus 1. Corinth. 7. v. 39. *alligata eſt legi, quanto tempore vir ejus vivit.* Et v. 10. jam dixerat: *Iis qui Matrimonio juncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus, uxorem à viro non diſcedere: quòd ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari.*

Idem Apoſtolus ejuſdem Epiſtolæ cap. 7. v. 15. impedimentum, quod dicitur cultus diſparitas, inducit: permittit enim uxori fideli diſcedere ab infideli marito, propter diſparem cultum & religionem; cùm nempè vir ille infidelis non vult pacificè & ſine injuria creatoris habitare cum fideli ſua uxore. *Si infidelis*, inquit, *diſcedit, diſcedat: non enim ſervituti ſubjectus eſt frater aut ſoror in hujuſmodi.* Hanc porro auctoritatem non exercuiſſet, nec ſibi arro-
Joa. 21. v. 17. gaſſet Apoſtolus, niſi intellexiſſet eam à Chriſto Eccleſiæ datam fuiſſe in perſona S. Petri, cùm dixit, *Paſce oves meas.*

Eam enim omnem his verbis conceſſit legum condendarum auctoritatem, quæ neceſſariæ ſunt ad optimum Reipublicæ Chriſtianæ regimen, ad ſanctam & ſpiritualem efformandam ſocietatem, ad mores piè componendos; uno verbo, ad ſalutem æternam aſſequendam. At nemo negaverit, inter leges hujuſmodi, eas infimum locum non habere, quæ ſpectant publicam Sacramentorum adminiſtrationem, nuptiarum ſolemnitatem, & conditiones quibus poſſint Fideles eas licitè & validè celebrare: pendet enim, ut plurimùm, tota vi-

ta vitæ ratio ac æterna ſalus, ex Matrimonio debitè vel indebitè contracto; nec minùs ad Eccleſiam, quàm ad Reges pertinet providere de illa optima contrahendi Matrimonii ratione, ex quo cœlo Fideles acquiruntur, quemadmodum & Regno cives.

Probatur 2. Quia Eccleſia uſu antiquo, continuo & nuſquam interrupto, aut à ſæcularibus Principibus impugnato, ſuam auctoritatem exercuit in Matrimonium, multis identidem aut conſtitutis, aut revocatis impedimentis, prout expedire judicavit; ergo auctoritatem hanc à Chriſto accepit. Conſecutio videtur manifeſta, niſi velis Eccleſiam ignoraſſe limites auctoritatis ſibi à Chriſto conceſſæ, & jus indebitum contra Sponſi ſui voluntatem ſibi uſurpaſſe, quod certè de Eccleſia ſancta, in moribus non minùs quàm in fide errare neſcia, cui ſemper præſens adeſt Spiritus ſanctus, ſuſpicari nefas eſt.

Antecedens verò, quod totum in re facti verſatur, demonſtrare hìc facile eſſet, inductione & enumeratione omnium legum, decretorum, conſtitutionum, quæ ferè innumeræ diverſis temporibus prodierunt in cauſis Matrimonia ſpectantibus: ſed ab illis jam recenſendis abſtinemus, tùm quia eas inferiùs, ubi de ſingulis impedimentis, indicabimus: tùm quia non negant adverſarii, quos impugnamus, multas reipſa fuiſſe ab Eccleſia conditas leges irritantes conjugia; ſed hoc per uſurpationem, inſciis, vel invitis ac reclamantibus Principibus ſæcularibus, aut etiam aliquando ex indulgentia concedentibus, attentatum ab ipſa fuiſſe, protervè ac inverecundè affirmant.

Verùm quàm falſa & putida ſint hæc figmenta, patet. 1. Quia nullus appellari poteſt Princeps Chriſtianus, qui de hac prætenſa uſurpatione conqueſtus fuerit; neque conſignari poteſt tempus, quo primùm incæperit hæc uſurpatio, neque via ſeu medium per quod potuerit Eccleſia pacificè ad eam pervenire. Quod enim ajunt, beneficio falſarum Decretalium hanc ſibi auctoritatem aſſeruiſſe Eccleſiam, fabula eſt: longè etenim ante nonum ſæculum, quo primùm vulgatæ ſunt falſæ illæ SS. Pontificum Decretales Epiſtolæ, Eccleſia leges ſtatuerat Matrimonium irritantes in certis circumſtantiis, ut patet ex Athenagora, Origene, Conciliis Eliberitano, Milevitano, Carthaginenſi, ac SS. Pontificibus Siricio, Innocentio I. Leone, Gregorio Magno &c. 2. Non poteſt aſſignari Princeps ſæcularis qui omnium primus iſtud Eccleſiæ privilegium indulſerit, ut leges ferret circa celebrationem Sacramenti Matrimonii. Edictis quidem ſuis ſæpiſſimè Principes Chriſtiani confirmant, protegunt, executioni demandari jubent leges Eccleſiæ; at poteſtatem illam & jus condendi leges quæ ſpectant Sacramentorum adminiſtrationem, non à Principibus, ſed à Chriſto accepit Eccleſia: quemadmodum & ipſi Principes auctoritatem ſuam in temporalia, non ab Eccleſia, ſed à Deo habent acceptam. 3. Principes ſæculares ſæpiſſimè laudant & commendant canonicas leges circa Matrimonia; ad eas ſua Edicta conformant & accommodant; ad ipſam etiam Eccleſiæ auctoritatem confugiunt, ſi forte diſpenſationem ab aliquo impedimento, quo detinentur, velint obtinere: imò & declarant conceptis verbis, ſe ſolos, Edictis ſuis, attingere civiles Matrimonii effectus; ſupponunt igitur, proprio ac nativo jure Eccleſiam leges ferre circa Matrimonium, quatenus Sacramentum eſt ad effectus purè ſpirituales ordinatum.

Proba-

Digitized by Google

Probatur 3. definitione & praxi Concilii Tridentini.

Seſſ. 24. Can. 3. ſic definit: *Si quis dixerit, eos tantùm conſanguinitatis & affinitatis gradus, qui in Levitico exprimuntur, poſſe impedire Matrimonium contrahendum & dirimere contractum; nec poſſe Eccleſiam in nonnullis illorum diſpenſare, aut conſtituere ut plures impediant & dirimant; anathema ſit.*

Et Can. 4. *Si quis dixerit, Eccleſiam non potuiſſe conſtituere impedimenta*
T. 14. Conc. p. 874. *Matrimonium dirimentia, vel in iis conſtituendis erraſſe; anathema ſit.*

Quod definivit Synodus, praxi & uſu ſuo confirmavit. Namque & Matrimonia clandeſtina irrita & nulla declaravit cap. 1. & impedimentum tùm affinitatis ſpiritualis, tùm publicæ honeſtatis, tùm & illud quod ex illicito concubitu oritur, contraxit, & arctioribus concluſit finibus: impedimentum verò raptus de novo induxit, aut ſaltem penè antiquatum inſtauravit; atque tantùm abeſt ut aliquis Catholicus Princeps contradixerit ac reclama-
Annis ſexdecim poſt Concil. Triden. an. ſcilicet 1579. verit, quaſi alienum jus ſibi uſurpaſſet Eccleſia, quin potius leges illas Eccleſiæ ultro acceptarunt & ſuas fecerunt, præſertim verò Gallia noſtra in famoſo Edicto Bleſenſi. Quin vel hoc in ipſo Reges noſtri Chriſtianiſſimi Eccleſiæ auctoritatem in irritandis certis Matrimoniis agnoverunt, quòd à Concilio Tridentino per Oratores ſuos poſtulaverint, ut vellet irritare Matrimonia filiorum familias ſine conſenſu parentum contracta.

Ante Tridentinam Synodum Lateranenſis IV. Can. 50. aliqua jam ſuſtulerat impedimenta ex affinitate provenientia; atque in præfatione hujus Ca-
To. 11. Conc. p. 201. nonis Patres ajunt, *non debere reprehenſibile judicari, ſi ſecundùm varietatem temporum ſtatuta quandoque varientur humana, præſertim cùm urgens neceſſitas vel evidens utilitas id expoſcit: quoniam ipſe Deus ex iis quæ in veteri Teſtamento ſtatuerat, nonnulla mutavit in novo.*

Inde eſt quòd ſacra Facultas Pariſienſis in Luthero Cenſura ſua damnaverit *ut impiam, poteſtati Eccleſiæ impiè derogativam, & ex damnato Valdenſium errore procedentem, doctrinam quæ denegat Eccleſiæ poteſtatem ſtatuendi impedimenta dirimentia.*

Et in altera Cenſura qua anno 1644. notavit Librum Theophili Brachet, cui titulus erat, *Verax Pacificus*, ait *temerarium eſſe, erroneum, & hæreticum, negare auctoritatem penes Eccleſiam eſſe condendi novas leges, & aliud ſtatuendi, quàm quod Apoſtoli inſtituerunt, circa ea quæ ad regimen eccleſiaſticum, ſive quæ ad cultum divinum, officium & ceremonias pertinent.*

Launojus in omne latus ſe vertit ut Canonem Tridentinum eludat, quo ſe premi intelligit.

Duo reſpondet. Primò, nomine Eccleſiæ in Canone Tridentino intelligendos eſſe Reges ac Principes ſæculares, quorum dumtaxat auctoritate leges condere poteſt Eccleſia Matrimonium irritantes. Secundò, his Canonibus non dogma definiri, ſed diſciplinam tantùm invehi, quæ his in locis non obligat, in quibus recepta non eſt Tridentini Concilii diſciplinæ reformatio.

Primum iſtud Launoii figmentum tam abſurdum eſt, ut nihil magis, tamque alienum à communi Orthodoxorum ſenſu, ut mirum ſit potuiſſe illud in mentem ejus venire. Sic enim vel à puero inſtituti ſumus, ut per Eccleſiam intelligamus ſocietatem Fidelium ſub legitimis Paſtoribus; atque cùm audimus conditas ab Eccleſia leges aliquas, ſtatim animo occurrunt Superio-

perio-

periores ſeu Rectores Eccleſiæ, per quos illa loquitur. An dicet Launojus, Reges ac Principes Superiores eſſe, Rectores, Paſtores Eccleſiæ? An dicet illos Eccleſiæ nomine agere (ſicut agunt Superiores) cùm leges ſtatuunt circa Matrimonium? Imò totis ipſe repugnat viribus, contendens Principes jure ſibi innato ac proprio, non autem ab Eccleſia derivato, leges illas ſtatuere; ergo Eccleſiæ nomine, velit nolit Launojus, non intelliguntur Principes: intelliguntur etenim Superiores ſeu Rectores qui nomine Eccleſiæ agunt; Principes autem, juxta Launojum, ſuo proprio, non Eccleſiæ nomine hìc agunt.

Et certè nomen Eccleſiæ in duplici Canone citato, eo ipſo ſenſu uſurpatur à Patribus Tridentinis, quo uſurpabatur à Luthero adversùs quem editus eſt Canon ille uterque; quo & ab ipſa Synodo ſæpius aliis in locis uſurpatur: atqui cùm negabat Lutherus, eſſe in poteſtate Eccleſiæ ſtatuere impedimenta dirimentia Matrimonium, haud dubiè per Eccleſiam non intelligebat Principes ſæculares, in quibus & quidem ſolis poteſtatem illam agnovit; intelligebat igitur Superiores, Rectores ac Paſtores Eccleſiæ; ergo cùm definivit adversùs ipſum Synodus Tridentina, habere Eccleſiam poteſtatem ſtatuendi ea impedimenta, Eccleſiæ nomine eoſdem intellexit Superiores, Re-
ctores ac Paſtores. Deinde non alio ſenſu uſurpatur à Synodo, aliis in lo- *T. 14.*
cis, nomine Eccleſiæ. V.g. Can. 15. Seſſionis 14. ubi ait, *Claves datas eſſe* *Conc. p.*
Eccleſiæ. Can. 12. Seſſ. 24. ubi anathemate damnantur, *qui negant cauſas ma-* 825.
trimoniales ſpectare ad Judices eccleſiaſticos. Seſſ. 25. in decreto de indulgen- *Ibid. p.*
tiis, ubi ait *poteſtatem conferendi indulgentias à Chriſto Eccleſiæ conceſſam* 875. *Ibid. p.*
fuiſſe, quibus certè in locis, Eccleſiæ nomen ſupponit pro Superioribus ac 917. E.
Paſtoribus, in quibus eſt regendi ac paſcendi oves auctoritas: quo etiam ſenſu uſurpatur à Chriſto Matth. 18. v. 17. cùm ait: *Dic Eccleſiæ: ſi autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus*.

Secunda Launoii reſponſio ſeu evaſio plùs roboris non habet: quaſi verò definitio oppoſita errori Lutheri, & ſub pœna anathematis in Canonibus (quibus dogmata continentur) expreſſa, meram exponeret diſciplinam, non dogma fidei quaſi ad doctrinam non pertineret, noſſe an Eccleſia jus habeat vel non, ſtatuendi impedimenta Matrimonium dirimentia Diſciplinę quidem eſt, hæc vel illa ſtatuere aut tollere impedimenta, prout expedire judicaverit Eccleſia variis temporum rationibus: at ipſamet auctoritas, ſeu poteſtas & jus ea impedimenta ſtatuendi, maximè pertinet ad doctrinam ſeu dogma fidei.

Dices 1. Si poſſet Eccleſia ſtatuere impedimenta quæ Matrimonium dirimerent, poſſet immutare ſubſtantias Sacramentorum, & efficere, ut quæ fuit à Chriſto inſtituta ſufficiens materia Sacramenti, non ſit amplius ſufficiens. V.g. ex inſtitutione Chriſti, mutuus contrahentium conſenſus eſt materia Sacramenti Matrimonii: ſi verò poſſet Eccleſia irritare, aliquibus injectis impedimentis, hunc mutuum conſenſum, poſſet efficere ut non eſſet amplius ſufficiens materia Sacramenti.

Reſp. nego ſequelam antecedentis. Eccleſia enim non mutat ſubſtantiam ſeu materiam Sacramenti Matrimonii, quæ in mutuo conſenſu reponitur; ſed tantùm reddit perſonas inhabiles ad contrahendum. Ita difficultatem hanc (quæ diu Theologos Tridentinos exercuit, ubi de irritandis Matri-

moniis

Digitized by Google

moniis clandeſtinis diſputatum fuit) à Campegio Dominicano ſolutam fuiſſe narrat Pallavicinus: quod illuſtrabat & confirmabat Theologus ille, exemplo illius qui v. g. aquam Baptiſmatis vel auferret, vel inficeret; non enim cenſeretur ille mutare Baptiſmi materiam, ſed eam dumtaxat ſubtrahere & auferre. Pariter cùm Eccleſia injecto aliquo impedimento facit ut mutuus conſenſus in Matrimonium non valeat, non mutat propriè materiam Sacramenti Matrimonii à Chriſto inſtitutam; neque enim efficit aut efficere poteſt ut mutuus ille conſenſus non ſit materia Matrimonii: ſed aufert ſeu ſubtrahit in aliquibus caſibus materiam hanc, cùm nempe declarat aliquas perſonas inhabiles ad exhibendum conſenſum qui ſufficiat ad validè contrahendum. Hanc porro viam explicandi & ſolvendi propoſitam objectionem, quam aperuerat Campegius, amplexi ſunt Patres ipſi Tridentini Seſſ. T. 14. Conc. p. 876. E. 24. de reformatione Matrimonii cap. 1. cùm ajunt: *Qui aliter, quàm præſente Parocho vel alio Sacerdote, de ipſius Parochi ſeu Ordinarii licentia, & duobus vel tribus teſtibus Matrimonium contrahere attentabunt, eos ſancta Synodus ad ſic contrahendum omnino inhabiles reddit, & hujuſmodi contractus irritos & nullos eſſe decernit.*

Dices 2. Matrimonium eſt contractus civilis, aut ſaltem ſupponit, tanquam ſui fundamentum, contractum civilem: atqui pertinet ad ſolos Principes ſæculares ſtatuere de legibus irritantibus civilem contractum.

Reſp. diſt. maj. Matrimonium eſt contractus civilis, ſimul & Sacramentum, concedo: contractus purè & ſimpliciter civilis, nego. Diſt. min. Atqui pertinet ad ſolos Principes ſæculares ſtatuere de legibus irritantibus contractum civilem, qua parte civilis eſt & ſub ea ratione, concedo: qua parte Sacramentum eſt, nego. Sua & Eccleſiæ, & Regibus hìc aſſerenda, non invidenda auctoritas, intra certos, ut antea diximus, limites circumſcripta. Nihil poteſt Eccleſia in contractum civilem, quatenus civilis eſt, ad effectus purè temporales ordinatus; ſicut nihil poſſunt Principes in contractum conjugalem, quatenus Sacramentum eſt, & ad effectus purè ſpirituales tendit: contractum igitur civilem non attingit Eccleſia, niſi quatenus eſt materia Sacramenti Matrimonii, ſepoſitis aliis omnibus quæ civilem politiam, ac effectus purè temporales ac politicos ſpectant.

Inſtabis 1. At inde ſequitur, Eccleſiam habere ſaltem indirectam poteſtatem in temporale; ſiquidem ex lege ipſius irritante Matrimonium, etiam quatenus Sacramentum eſt, neceſſe eſt nullum pariter eſſe contractum civilem.

Reſp. 1. nego antecedens: nego ſcilicet, id ex hoc capite inferri poſſe. Quemadmodum enim malè colligeretur, Principes ſæculares habere indirectam ſaltem auctoritatem in res ſpirituales, eo quòd irritando contractum civilem, nullum conſequenter redditur Sacramentum; ita vice verſa malè infertur, habere Eccleſiam ſaltem indirectam auctoritatem in temporale, eo quòd irritando Sacramentum Matrimonii, irritatur conſequenter contractus civilis. Ratio eſt, quia utraque hæc poteſtas omnino diſtincta eſt, & ad varios fines ex ſeſe proprioque officio ordinatur; eccleſiaſtica, ad ſpirituales; regia, ad temporales; atque per accidens omnino utrique huic auctoritati accidit, ut alius, ab eo quem intendit, ſequatur effectus. Ita per accidens eſt, reſpectu auctoritatis civilis, ut cùm nullum declarat contractum civilem, nullum conſequenter ſit Sacramentum, nempe propter Eccleſiæ leges quæ hac in parte civilibus conſen-

ſentiunt. Pariter per accidens eſt, reſpectu auctoritatis eccleſiaſticæ, ut cùm irritat Sacramentum Matrimonii, conſequenter nullus ſit contractus civilis, iſtud enim inde fit, quòd ita ferant ſimul & ſæculares & Eccleſiæ leges; neque tamen propterea licet inferre, Eccleſiam habere indirectam auctoritatem in temporalia: quemadmodum ex legibus quibus eadem Eccleſia prohibet diebus feſtis opera ſervilia, non benè infertur eam aliquid poſſe in illa temporalia & ſervilia, præcisè ut talia, quamquam propter ipſius prohibitionem ab illis ſit abſtinendum; quia nempe hac ſua lege ſpectat dumtaxat Eccleſia bonum ſpirituale, cultum ſcilicet divinum.

Reſp. 2. conſequens, abſolutè ac metaphyſicè loquendo, poſſe eſſe falſum, ſaltem in ſententia multorum. Namque ſi contingeret, (quod avertat Deus) pugnare invicem legem eccleſiaſticam & civilem circa aliquod impedimentum dirimens, ita ut v.g. civili lege irritaretur & invalidum declararetur Matrimonium, quod eccleſiaſtica lex ratum & validum haberet, eo in caſu ſtaret Matrimonium, quatenus Sacramentum, non ſtaret verò quatenus contractus civilis; atque tunc aſſignandus eſſet pro materia Sacramenti, non contractus civilis, qui nullus ſupponitur eſſe, ſed contractus humanus ſeu naturalis, mutuus ſcilicet contrahentium conſenſus. At tùm pietas Principum, tùm prudentia Eccleſiæ certam nobis ſpem faciunt, nunquam talem futuram eſſe diſcordiam.

Inſtabis 2. Poteſt ne Eccleſia ſuis legibus irritare contractum, quem natura ipſa ſufficientem ac ratum habet?

Reſp. affirmativè. Lex enim eccleſiaſtica & civilis naturalem perficit; atque dictat ipſe naturæ ſenſus, ut legibus Superiorum, quos Deus cæteris præpoſuit, obtemperetur.

Inſtabis 3. Tota Eccleſiæ auctoritas circa Sacramenta in eo dumtaxat verſatur, ut aliquas poſſit leges præſcribere circa eorum adminiſtrationem aut receptionem.

Reſp. ita quidem eſſe: at inter leges illas aliquæ ſunt quibus declaratur invalidè adminiſtrari Sacramentum. Talis eſt lex, quæ nullam & irritam declarat abſolutionem Sacerdotis, qui nec juriſdictionem habet, nec eſt ab Epiſcopo approbatus. Talis pariter eſt lex quæ irritat Matrimonium clandeſtinum &c.

Dices 3. Deus ipſe in Levitico declaravit cum quibus perſonis iniri poſſit conjugium; ergo hoc non reliquit Eccleſiæ poteſtati.

Reſp. nego conſeq. Neque enim omnes gradus conſanguinitatis in Levitico enumerati jam obſervantur, ut ſint impedimenta Matrimonium dirimentia. Et certè Apoſtolus novum impedimentum, diſparitatem ſcilicet cultus, induxit. Etſi igitur aliqua ſint impedimenta juris divini, quale eſt ligamen; & alia juris naturalis, qualis eſt defectus ætatis, impotentia perpetua &c. aliqua tamen jure eccleſiaſtico poſitivo induci poſſe nuſquam prohibuit Chriſtus: è contra permiſit, & ipſe formam ac exemplum dedit.

ARTI-

Digitized by Google

ARTICULUS II.

An Principes ſæculares poteſtatem habeant ſtatuendi impedimenta Matrimonium dirimentia.

Status quæſtionis ac variæ ſententiæ exponuntur.

DUplici ſenſu agitari poteſt præſens controverſia, ſpeculativè nimirum & practicè.

Primò, an Reges & Principes, jure ſibi proprio & innato, abſolutè poſſint, ſecluſo etiam Eccleſiæ conſenſu, ſtatuere impedimenta quædam Matrimonium dirimentia.

Secundò, an ea auctoritate uſi fuerint; aut expediat eos uti in praxi, Eccleſia neſciente, aut non conſentiente.

Quoad primum attinet, nullus Theologus negat ineſſe Principibus jus & auctoritatem condendi leges, quæ civilem ac politicum Matrimonii contractum dirigant ad commune & publicum ſubditorum bonum, pacem, honorem familiarum, fortunarum conſervationem, & alia hujus generis benè multa. *In Matrimonio,* ait Bellarminus Lib. de Matr. cap. 32. *quædam ſunt cauſæ omnino politicæ, ut de dotibus, de ſucceſſionibus, de hæreditatibus &c. Quædam ſunt omnino ſpirituales, ut de partibus Sacramenti, de benedictione ſacerdotali &c. Quædam ſunt partim politicæ, partim ſpirituales, ut de gradibus cognationis, de divortiis, de impedimentis, & aliis quæ ad ipſum contractum Matrimonii pertinent: quatenus enim contractus ille naturalis eſt, materia eſt politica: quatenus idem contractus eſt fundamentum Sacramenti, & res conſcientiæ, ſpiritualis eſt. Et quidem cauſas primi generis non negamus ad politicum Magiſtratum ſimpliciter pertinere; unde etiam quotidie intra Catholicam Eccleſiam coram Judice ſæculari cauſæ illæ aguntur. Cauſas ſecundi generis nemo negare poteſt ad ſolam Eccleſiam pertinere: alioqui quo tempore nulli Principes, nullive Magiſtratus politici Chriſtiani erant, oportuiſſet cauſas omnino ſpirituales ad infidelem Judicem deferre, aut ſine legitimo Judice cauſæ illæ fuiſſent.* Ita Bellarminus. Ante ipſum idem docuerat S. Th. in 4. Sent. diſt. 34. q. 1. art. 1. & L. 4. contra Gentes c. 78.

T. 3. p. 557. B. C.

Quæſtio igitur præſens in eo verſari non poteſt, an Reges & Principes poſſint ſuis Edictis irritare ac dirimere civilem Matrimonii contractum, quantùm nimirum ad effectus civiles, politicos & temporales: namque jus illud ipſis tam innatum eſt ac proprium, ut eo ſpoliari nunquam poſſint.

Quæſtio pariter eſſe non poteſt, an Reges & Principes poſſint ſuis politicis legibus directè & quaſi ex officio dirimere Matrimonium, quatenus Sacramentum eſt, & ad effectus purè ſpirituales ordinatur: temporalis quippe Principum auctoritas, ad res Eccleſiæ ſpirituales; quemadmodum & eccleſiaſtica, ad res Principum temporales non ſe extendit, non tantùm directè, ſed ne indirectè quidem.

Quæſtionis igitur præſentis nodus in eo dumtaxat ſtatui, noſtro quidem judicio, poteſt ac debet, an cùm Principes aliqua ſtatuunt impedimenta quæ dirimunt civilem Matrimonii contractum quoad effectus civiles, politicos & tem-

temporales, conſequenter, (quamquam per accidens reſpectu Principum qui ſpiritualia non attingunt) nullum ſit & irritum Sacramentum Matrimonii, defectu ſcilicet materiæ ſufficientis, puta contractus civilis qui dicitur eſſe fundamentum ſeu materia Sacramenti. Eò igitur tota recedit hujus famoſæ controverſiæ difficultas, an nempe contractus civilis tam neceſſaria ſit Sacramenti Matrimonii materia, ut eo per leges Principum irritato, nulla ſuperſit Sacramenti materia, & conſequenter nullum ſit Sacramentum: an verò irritato ac deficiente illo civili contractu, humanus ſeu naturalis ſufficiat, qui quamdiu nulla obſtat lex Eccleſiæ invalidans & irritans, ſit materia Sacramenti ſufficiens. En præcisè ſtatus, ac nodus præſentis quæſtionis, quæ, ut ſatis compertum eſt, ſua Principibus in Matrimonium jura vendicat & aſſerit, cùm agnoſcit infirmari poſſe, irritari ac dirimi, politicis ſtatutis, civilem Matrimonii contractum.

Circa quæſtionem hanc ſic expoſitam duplex generatim eſt Theologorum ſententia, affirmans una, negans altera.

Prior ſententia contendit, Reges ac Principes jure ſibi proprio ac innato ſtatuere poſſe impedimenta, quæ dirimendo contractum civilem, conſequenter dirimant & nullum efficiant Sacramentum Matrimonii, deficiente ſcilicet materia Sacramenti, ut jam expoſuimus. Sententiam hanc tuetur Launoius in Tractatu quem ſcripſit de regia in Matrimonium poteſtate; in quo, ſi nihil tentaſſet aliud, quàm ut ſuum, ſicut oportet, Regibus jus in Matrimonium aſſereret ac vendicaret, nonniſi laudandus ac commendandus nobis eſſet: verùm cùm Eccleſiam ſpirituali, quo fruitur in res Sacramentorum jure, ſpoliare nititur: cùm jus in matrimonialem contractum purè civilem eſſe ac temporalem; cùm Reges in materiam ipſam Matrimonii, quatenus Sacramentum eſt, auctoritatem ſuam exercere poſſe affirmat, haud dubiè à vero recedit: diſtincta enim eſt utraque poteſtas, eccleſiaſtica & civilis, diſtincti utriuſque fines ac limites, nec una in alterius jura involare debet.

Poſterior ſententia negans duobus præſertim modis defenditur. Sunt qui cum Thoma Sanchez, & aliis quos ipſe laudat L. 7. diſp. 3. num. 2. & 3. exiſtimant poſſe quidem Principes ſæculares, ex genere & natura ſuæ poteſtatis, Matrimonii impedimenta dirimentia ſuis legibus indicere, verùm Eccleſiam poteſtatis hujus uſum ſeu exercitium ſibi reſervaſſe, ac Principibus interdixiſſe. Alii, non tantùm juris & poteſtatis exercitio, ſed ipſa etiam poteſtate privatos eſſe Principes Chriſtianos contendunt: ex quo nimirum Chriſtus Matrimonium ad dignitatem Sacramenti evexit, non amplius ſubjacere illud volunt legibus Principum, ſed unius Eccleſiæ. Ita Pontius L. 6. cap. 2. Galeſius Epiſcopus in Italia, in Opuſculo ea de re conſcripto, & alii nonnulli. Nonnegant illi quidem, penes Reges eſſe leges condere circa Matrimonium, de dotibus v. gr. de ſucceſſionibus, de hæreditatibus, & aliis hujuſce generis; ſed his legibus aut irritari & dirimi poſſe contractum ipſum conjugalem; aut ſaltem eo civiliter irritato, nullum & invalidum conſequenter fieri Sacramentum, negant pugnaciter; rati aut contractum ipſum eſſe materiam Sacramenti, de qua ſtatuere ſolius eſt Eccleſiæ, non principum; aut ſaltem irritato contractu civili, ſupereſſe contractum naturalem & humanum, mutuum ſcilicet conſenſum, qui ſufficiens eſt Sacramenti materia, quamdiu nulla irritatur eccleſiaſtica lege: utroque enim hoc modo rem ex-

Galeſius Evêque de Rubo en Italie.

plicant ac tuentur. Non negant pariter, revera Principes interdum aliqua decreviſſe impedimenta, ſive prohibentia, ſive dirimentia Matrimonium: at contendunt, aut immeritò ſibi jus illud arrogaſſe Principes, utpote à ſe alienum & extraneum; aut ſaltem nonniſi approbante & conſentiente Eccleſia illud exercuiſſe, tanquam vindices ac protectores legum Eccleſiaſticarum.

Quantùm verò ad ſecundum præſentis noſtræ quæſtionis ſenſum, qui praxim & uſum ſpectat, ut initio monuimus, quæſtio non eſt utrum Principes olim aliqua ſtatuerint impedimenta Matrimonium dirimentia: quis enim meritò negaverit? ſed utrum jure ſibi proprio & innato, non ab Eccleſia derivato, uſi fuerint. Negant aliqui, alii verò affirmant. Quæſtio eſt prætereà, an revera ab aliquot ſæculis jure ſuo uſi non fuerint Principes, & expediat ut eo non utantur, niſi concurrente ad idem impedimentum conſtituendum, auctoritate Eccleſiæ: circa quod prædicari ſatis non poteſt Petri Soto inſignis Theologi ſententia Lectione 4. de Matrimonio, adeo feliciter utramque ſimul conciliat auctoritatem, eccleſiaſticam & civilem. Docet ille, poſſe quidem Principes proprio jure ſtatuere de Matrimoniis irritandis vel non; ſed ex ſua pietate ac in Eccleſiam condeſcenſu, ab uſu & exercitio hujus ſuæ poteſtatis à multis jam ſæculis abſtinuiſſe, ut jam nullum cenſeatur Matrimonium illegitimum, quod Eccleſia tale non judicat. *Non debent*, inquit, *Prælati Eccleſiæ gravate ſuſcipere, ſi quod temporali paci viderint neceſſarium, ſæculares Principes ſtatuant; nec eſt quòd illi ſe opponant, ſed permittant potius Matrimonium legibus humanis ordinandum, cùm officium humanum ſit. Quamquam*, pergit, *leges civiles in his omnibus ex pietate certè & voluntate Principum facilè ceſſerint Eccleſiæ, ut jam nullum cenſeatur Matrimonium illegitimum, quod Eccleſia tale non judicat.*

Petrus Soto Lect. 4. de Matrimonio.

His hiſtoricè præmiſſis, duplici Concluſione ſententiam noſtram declarabimus.

PRIMA CONCLUSIO.

Reges ac Principes ſæculares, jure ſibi proprio ac innato, conſtituere poſſunt impedimenta Matrimonium irritantia & dirimentia.

Probatur. 1. ex praxi ipſa & uſu Principum, qui nonnulla diverſis temporibus impedimenta ſtatuerunt Matrimonium dirimentia. Varias hujus rei certas probationes, per ætates ſingulas digeſtas, videre poteris apud Gerbaſium in Libro quem de hoc argumento conſcripſit. Eas hìc non referimus, tùm quòd brevitati conſulimus, tùm quòd uſum illum non negant qui hìc nobis adverſantur Theologi; ſed volunt dumtaxat, Principes, aut uſurpatione jus illud ſibi arrogaſſe, aut ab Eccleſia illud accepiſſe.

Verùm neutrum dici meritò poteſt. Non primum: tùm quia Principibus injurioſum eſt; tùm quia de hac prætenſa uſurpatione nuſquam Eccleſia conqueſta fuit; imò potius leges ac conſtitutiones Principum circa Matrimonia, & poſtulavit, & commendavit ſæpiſſime. Non ſecundum: aſſignari quippe non poteſt, neque tempus quo primùm jus illud Principibus conceſſum fuit, neque Synodus aut S. P. qui conceſſit; aliunde verò eccleſiaſtica conceſſione & indulgentia non indigent Principes in rebus ſuis temporalibus & civilibus ex aucto-

auctoritate ac ſupremo jure ordinandis: civilem autem Matrimonii contractum ad res Principum temporales, publicum Regnorum & familiarum bonum, honorem, tranquillitatem pertinere, nemo tam abſurdus qui negaverit. Quamquam igitur neceſſarium exiſtimemus concurſum eccleſiaſticæ poteſtatis, ut Matrimonium poſſit irritari quoad vinculum, fœdus, & Sacramentum, non idcirco privandi Principes jure quod habent in contractum civilem, quem ſuis etiam legibus irritare poſſunt: an verò eo irritato, conſequenter nullum ſit Sacramentum, etiamſi nulla obſtaret lex Eccleſiæ, altera quæſtio eſt de qua mox.

Probatur 2. ſuffragio SS. Patrum ac SS. Pontificum, qui latas à Principibus circa Matrimonium leges commendarunt & approbarunt, imò & ab illis eas aliquando poſtularunt. Ita Concilium Milevitanum II. poſtquam ſtatuiſſet maritum, qui dimiſerat uxorem ſuam, alteri non poſſe nubere, decrevit ſupplicandum eſſe Imperatorem ut lege ſua idem prohiberet. Et Concilium Lateranenſe I. Càn. 5. legem qua prohibet Matrimonia inter conſanguineos, confirmat auctoritate legis civilis; *quia*, inquit, *& divinæ, & ſæculi leges prohibent.* *Tom. 2. Conc. p. 1541. Can. 17. To. 10. Conc. p. 896. E.*

Ita S. Ambroſius Epiſtola *66.* ad Paternum, & S. Auguſtinus L. 15. de civitate Dei cap. *16.* laudant Theodoſii legem, qua prohibuerat Matrimonia inter conſobrinos. Ita SS. Pontifices, Siricius Epiſtola ad Himerium, S. Leo Epiſtola ad Ruſticum Narbonenſem, Nicolaus I. in reſponſione ad Bulgaros cap. 2. cùm aliqua Matrimonio impedimenta apponunt, legis quoque civilis & Imperatorum nituntur præſidio. Ita ipſe S. Th. agnoſcit Matrimonium aliqua ex parte ſubjacere legi civili, nempe quatenus civilis eſt contractus; ſicut ſubjacet eccleſiaſticæ, quatenus Sacramentum eſt. *Matrimonium*, inquit ſcribens in L. 4. Sent. diſt. 34. qu. 1. art. 1. in reſp. ad 4. *in quantùm eſt in officium naturæ, ſtatuitur jure naturæ; in quantùm eſt in officium communitatis, ſtatuitur jure civili; in quantùm eſt Sacramentum, ſtatuitur jure divino. Et ideo ex qualibet dictarum legum*, (naturæ, humanæ, & divinæ) *poteſt perſona effici ad Matrimonium illegitima.* Et diſt. 40. qu. unica art. 4. in reſponſione ad 2. *Dicendum*, inquit, *quòd Matrimonium non tantùm eſt Sacramentum, ſed etiam eſt in officium. Et ideo magis ſubjacet ordinationi miniſtrorum Eccleſiæ, quàm Baptiſmus qui eſt Sacramentum tantùm: quia ſicut contractus & officia humana determinantur legibus humanis, ita contractus & officia ſpiritualia lege Eccleſiæ.* Vides Angelicum Doctorem ſubjicere legibus utriuſque poteſtatis, eccleſiaſticæ ſcilicet & civilis, contractum conjugalem: eccleſiaſticæ quidem, quatenus Sacramentum eſt; temporali ac civili, quatenus contractus eſt civilis. Utriuſque auctoritatis concurſum exigit non immeritò ſanctus Doctor, ut poſſit Matrimonium infirmari ac dirimi, cùm ad utramque pertineat, quamquam ſub diverſo reſpectu. *Dicendum*, inquit eodem Libro diſt. 42. qu. 2. art. 2. in reſponſione ad quartum, *quòd probibitio legis humanæ non ſufficeret ad impedimentum Matrimonii, niſi interveniret Eccleſiæ auctoritas, quæ idem etiam interdicit.* Idem ſanctus Doctor Libro 4. contra Gentiles cap. 78. ſic loquitur: *Conſiderandum eſt, quòd quando aliquid ad diverſos fines ordinatur, indiget habere diverſa dirigentia in finem, quia finis eſt proportionatus agenti: generatio autem humana ad multa ordinatur, ſcilicet ad perpetuitatem ſpeciei, & ad perpetuitatem alicujus boni politici, puta populi in aliqua civitate: ordinatur*

To. 10. p. 353. col. 1. D. E. *Ib. pag. 590.* *Ib. pag. 609.* *To. 14. p. 790. col. 2. A. B.*

etiam ad perpetuitatem Eccleſiæ, quæ in fidelium ſocietate conſiſtit; unde oportet quòd hujuſmodi generatio à diverſis dirigatur. In quantùm igitur ordinatur ad bonum naturæ, quod eſt perpetuitas ſpeciei, dirigitur in finem à natura inclinante in hunc finem; & ſic dicitur eſſe naturæ officium. In quantùm verò ordinatur ad bonum politicum, ſubjacet ordinationi legis civilis. In quantùm autem ordinatur ad bonum Eccleſiæ, oportet quòd ſubjaceat regimini eccleſiaſtico.

Probatur 3. Quia jus illud ſuum & auctoritatem in Matrimonium quod Calviniſtæ inter nos contrahebant in gradibus prohibitis, non ita pridem exercebant adhuc Reges noſtri Chriſtianiſſimi: cum ipſis nempe diſpenſando, ut in gradibus illis prohibitis contrahere poſſent abſque ulla moleſtia. Ita Edicti Nannetenſis art. 41. cavebatur: ſic enim habet gallicè: *Sa Majeſtè ne veut auſſi que ceux de la dite Religion qui auront ci-devant contractè, ou contracteront ci-après mariages au triers & quart degrè, en puiſſent ètre moleſtès, ni la validitè des dits Contrats revoqueè en doute, ni pareillement la ſucceſſion otèe ni querelèe aux enfans natis ou à naitre d'iceux.*

Probatur 4. ex ipſa uatura Matrimonii, quod cùm civilem includat & ſupponat contractum, huic poteſtati ſubjacet, cujus eſt civilem ac politicum contractum dirigere ac ordinare ad publicum Reipublicæ ac familiarum bonum, honorem, ac tranquillitatem: at iſtud Regum ac Principum ſæcularium proprium maximè eſſe, res eſt per ſe clara & manifeſta.

Neque verò hìc audiendi, qui dicunt Chriſtum à poteſtate & jurifdictione civili Principum ſubduxiſſe Matrimonium, ex quo illud ad dignitatem Sacramenti evexit. Namque ſua inſtitutione nihil Matrimonio detraxit Chriſtus, ſed ſervata ejus natura, qualis erat, dignitatem dumtaxat & efficaciam Sacramenti ei addidit, voluitque in Lege Evangelica, non minùs quàm antea, ſuam Principibus Chriſtianis integram & illæſam ſervari auctoritatem in Matrimonia; neque enim Lex Chriſti Principum auctoritati contraria eſt, imò favet quàm maximè: ſed ante Chriſtum Principes auctoritatem ſuam exercebant in Matrimonium; ergo & poſt Chriſtum.

Probant 5. multi hoc ratiocinio: Quia nempe cùm civilis contractus ſit materia & quaſi fundamentum Sacramenti Matrimonii, & Principes poſſint ſuis legibus irritare civilem contractum, conſequenter irritare poſſunt & invalidum efficere ipſummet Sacramentum Matrimonii.

Verùm, præterquam quod ſupponit iſtud ratiocinium, id quod eſt in quæſtione poſitum, nempe Principes irritare poſſe civilem contractum, quatenus eſt materia Sacramenti, quod ab adverſæ partis Theologis negatur, ac curatum non videtur in rigore dialectico argumentum iſtud, ut mox patebit.

Quæres igitur, quo ſenſu in Concluſione noſtra diximus, habere Principes auctoritatem ſtatuendi impedimenta Matrimonium dirimentia: an Matrimonium quatenus eſt dumtaxat contractus civilis; an verò etiam quatenùs eſt Sacramentum.

Reſp. 1. certum eſſe poſſe Principes directè ex officio, ac natura ſuæ dignitatis, in civilem contractum Matrimonii auctoritatem ſuam exercere, illum irritando & invalidum declarando.

Reſp. 2. neque directè, neque indirectè quidquam poſſe Principes in Matrimonium, quatenus res eſt ſpiritualis, divina, Sacramentum.

Caput igitur quæſtionis eò unicè devolvitur, ſicut jam monuimus, utrum

per

per accidens & præter intentionem ſæcularis poteſtatis, ſequatur nullum eſſe Sacramentum Matrimonii, quando contractus ejus civilis lege civili irritus & invalidus declaratur. Affirmant quotquot aſſerunt civilem contractum ita eſſe materiam neceſſariam Sacramenti Matrimonii, ut eo ſubducto, neceſſe ſit nullum eſſe Sacramentum, defectu ſcilicet materiæ. Neque inde ſequitur, juxta eos Theologos, incommodum & abſurdum, quod maximè hic urgere ſolent qui Concluſioni noſtræ adverſantur, nempe Matrimonium, quatenus Sacramentum, ſubjacere legibus Principum, & ab illis pendere. Namque, inquiunt, per accidens eſt ac præter intentionem ſæcularis auctoritatis, quòd nullum ſit eo in caſu Sacramentum, deficiente ſcilicet materia legitima. Quemadmodum ſiquis aquam Baptiſmi ab aliqua regione auferret, vel inficeret, conſequenter impediret ne conferri poſſet Baptiſmus; neque tamen ille propterea jus & auctoritatem exerceret in Sacramentum, ſed tantùm ejus auferet & ſubtraheret materiam. Pariter qui Sacerdoti amputaret manum, conſequenter irregularem illum efficeret: an propterea dici poſſet jus & auctoritatem habere in ſacram Ordinationem? minimè: quia ſcilicet per accidens ſequitur hæc irregularitas ex actione amputantis manum. Ita pariter per accidens ſequitur ex lege Principis irritante contractum civilem, ut nullum ſit Sacramentum Matrimonii, defectu ſcilicet materiæ quæ ſubtrahitur: neque enim lex temporalis directè aut indirectè attingit materiam Sacramenti, quatenus materia eſt Sacramenti; ſed tantùm attingit contractum civilem, quatenus civilis eſt, cui per accidens accidit Principum reſpectu, ut ſit Sacramenti materia. Hæc illi Theologi, quibus pugnaciter non contradiceremus, ſi ſpeculativè ac in rigore dialectico verum eſſet, quod illi ſupponunt, civilem contractum eſſe tam neceſſariam Sacramenti Matrimonii materiam, ut eo ſublato neceſſe abſolutè foret nullum eſſe Sacramentum defectu materiæ.

At duo maximè obſtant, ne id concedamus.

Primum eſt, quod à nobis fuit ſuperiùs obſervatum, ubi de neceſſitate conſenſus parentum agebamus ad firmum filiorumfamilias Matrimonium. Nempe conſtat ex una parte, Concilium Tridentinum ea Matrimonia facta ſine parentum conſenſu, firma & rata habere, in ratione ſcilicet Sacramenti; neque enim de contractu civili, ut civilis eſt, ſtatuit Eccleſia. Conſtat ex altera parte, Matrimonia hujuſmodi irritari quoad effectus civiles, adeoque & ipſum civilem contractum, qui illorum effectuum fundamentum eſt; ergo eo in caſu materia Sacramenti non poteſt eſſe contractus civilis, quatenus civilis eſt; ergo neceſſe eſt contractum naturalem & humanum tunc eſſe materiam ſufficientem Matrimonii.

Neque dicas, contractum illum humanum ſubjacere legibus Principum; per quas eo in caſu irritatur.

Ita quidem irritatur contractus ille humanus, per ordinem ad civilia & politica; ſed non irritatur per ordinem ad ſpiritualia & Sacramenti rationem. Verùm, regerunt alii, eluditur difficultas, non ſolvitur. De ipſo ſiquidem civili contractu idem dici poteſt, illum nullum eſſe dumtaxat quatenus effectus civiles ac politicos reſpicit, non quatenus eſt materia Sacramenti Matrimonii.

Alterum quod nos movet, iſtud eſt. Cùm poſſit Princeps ſæcularis jure proprio ac natura ſuæ poteſtatis, impedimentum aliquod ſtatuere dirimens

civilem Matrimonii contractum, demus caſum contingere in quo revera Princeps impedimentum aliquod ſtatuiſſet, quod non ſtatuiſſet Eccleſia: tunc valeret Matrimonium, quatenus Sacramentum, non valeret quatenus contractus civilis; adeoque eo in caſu contractus civilis non eſſet materia Sacramenti Matrimonii. Atque idcirco paulò ante diximus, in rigore dialectico accuratum & abſolutè verum nobis non videri ratiocinium eorum qui probant Principes habere jus ſtatuendi impedimenta, quæ, dirimendo contractum civilem, conſequenter dirimant Sacramentum Matrimonii, ob defectum materiæ: neque propterea imminuitur jus & auctoritas Principum in Matrimonium, ſiquidem penes illos ſemper eſt irritare & invalidum reddere contractum civilem. Valet igitur dumtaxat hoc ratiocinium, quando utraque auctoritas, Eccleſiaſtica & civilis, concurrit ad idem impedimentum conſtituendum: quo caſu dici poteſt civilis contractus eſſe materia Sacramenti Matrimonii.

At, inquies, ſi contingeret caſus mox expoſitus, ſicut abſolutè & ſpeculativè loquendo contingere poteſt, nonne graviſſimum ſequeretur diſſidium inter utramque Poteſtatem, adeoque & graviſſimum ſcandalum; ſi nempe ſtaret Matrimonium lege Eccleſiaſtica, quod nullum foret lege civili? Huic verò incommodo ſanè graviſſimo occurri meliùs non poteſt, quàm ſi dicamus eſſe in poteſtate ſolius Eccleſiæ ſtatuere impedimenta Matrimonium dirimentia. Clariſſimus D. Louet in ſuis Arreſtis Litera M. incommodum illud facilè concoquit: ait enim nihil ſibi videri abſurdi, ſi valeat in foro conſcientiæ Matrimonium, quod nullum eſt in foro civili.

Reſpondemus, ex pietate ac religione Principum Chriſtianorum nihil tale in praxi timendum eſſe: quamquam enim jure ſibi proprio & ſepoſita auctoritate Eccleſiæ poſſint abſolutè & ſpeculativè loquendo irritare ſuis legibus civilem Matrimonii contractum; diu tamen eſt ex quo Principes jus illud ſuum non exercent, niſi conſentiente & concurrente Eccleſia, quod ſecunda noſtra Concluſio mox exponet. Attamen non diſſimulandum, remanere ſemper hìc aliquid obſcuri & implicati, quod auctoritate Principum Chriſtianorum evolvi ac dilucidari oporteret.

SECUNDA CONCLUSIO.

Jam multis ab hinc ſæculis Chriſtiani Principes aut nulla, aut ſaltem nonniſi approbante & concurrente Eccleſia, ſtatuerunt impedimenta Sacramentum Matrimonii dirimentia. Eſt ad mentem Petri Soto antea expoſitam.

Probatur 1. Quia jam multis abhinc ſæculis, Principes Chriſtiani ſuas circa impedimenta Matrimonii leges roborant ac confirmant Eccleſiaſticis Canonibus.

Chilpericus ann. 577. Prætextatum Archiepiſcopum Rothomagenſem ob Matrimonium contra Eccleſiæ leges ab eo celebratum, his verbis increpabat coram Epiſcoporum cœtu, teſte Gregorio Turonenſi Lib. 5. cap. 18. *Quid tibi viſum eſt, ò Epiſcope, ut inimicum meum Merovechum qui filius eſſe debuerat, cum amita ſua, id eſt cum patrui ſui uxore conjungeres? An ignarus eras quæ pro hac cauſa Canonum ſtatuta ſanxiſſent?*

Femme de ſon Oncle.

Chil-

Childebertus versùs an. 595. ſic ſtatuebat de conjunctionibus quæ inceſtæ eſſe dicuntur: *Per prædicationem Epiſcoporum juſſimus emendari.*

Carlomannus an. 743. in Conventu Liptinenſi cap. 3. *Similiter*, inquit, *præcipimus, ut juxta decreta Canonum adulteria & inceſta Matrimonia quæ non ſunt legitima, prohibeantur, & emendentur Epiſcoporum judicio.* Liptne.

Carolus Magnus paſſim in ſuis Capitularibus, à Canonibus Eccleſiæ præſidium & auctoritatem advocat. L. 5. num. 7. poſtquam certas prohibuit nuptias, *Ita*, inquit, *Gregorius ſenſit. Ita Canones prohibent copulari.* Et L. 6. c. 96. poſtquam declaravit inter raptorem & raptam ratum non eſſe Matrimonium, *Sacri*, inquit, *Canones non ſolùm raptores, ſed etiam omnes eorum cooperatores, eiſque conſentientes anathemate feriunt.* L. 1. Capitul. p. 827. Ib. p. 938.

Carolus Calvus in Edicto Piſtenſi cap. 31. *Si autem*, inquit, *de iſtis partibus in illis femina maritum, aut maritus feminam accepit, illud conjugium, quia non eſt legale neque legitimum, ſicut Leo in decretis ſuis, & S. Gregorius in Epiſtolis monſtrant, diſſolvatur.* T. 2. Capitul. p. 190.

Denique, ut plura omittam, Henricus II. in Edicto anni 1556. Carolus IX. in Edicto anni 1561. artic. 9. Henricus III. artic. 40. Edicti Bleſenſis, Henricus IV. in Edicto anni 1606. Ludovicus XIII. in Edicto anni 1639. & Ludovicus XIV. variis in Edictis diſciplinam, quam volunt à ſuis ſubditis obſervari inter celebrandas nuptias, exigunt & componunt ad normam & regulam Canonum Eccleſiaſticorum, quos laudant & executioni demandari jubent. Quin & cognitionem earum cauſarum, quæ Matrimonii celebrationem ſpectant, ad Judices Eccleſiaſticos remittendam eſſe decernunt.

Præterea, quis neſciat Oratores Gallos Regis Chriſtianiſſimi nomine à Patribus Tridentinis poſtulaſſe ut juberent irritari Matrimonia clandeſtina, ſicut & ea quæ filiifamilias inſciis vel invitis parentibus contraxiſſent: perſuaſum igitur erat Regibus noſtris, neceſſarium eſſe utriuſque poteſtatis, eccleſiaſticæ & civilis, concurſum; ut irritarentur & invalida redderentur certa Matrimonia: *quia*, ut ait S. Th. antea citatus L. 4. Sent. diſt. 42. q. 2. art. 2. ad 4. *prohibitio legis humanæ non ſufficeret ad impedimentum Matrimonii, niſi interveniret Eccleſiæ auctoritas, quæ idem etiam interdicit.*

In celebri quoque Declaratione Cleri Gallicani anni 1635. circa conſuetudinem Gallicani Imperii, qua nulla ſunt & invalida Matrimonia contracta ſine Regis conſenſu, à Principibus regii ſanguinis, iis præſertim qui proximè ad regiam ſucceſſionem vocantur; in illa, inquam, Declaratione expreſsè obſervat Clerus Gallicanus, *conſuetudinem illam alicujus regni debere eſſe rationi conſentaneam, veterem, legitimè præſcriptam, & eccleſiaſtica auctoritate munitam.*

Probatur. 2. Quia Reges ipſi in propria ſua cauſa ad Eccleſiaſticam ſe conferunt auctoritatem, cùm optant diſpenſari ab aliquo impedimento Matrimonii. Iſtud innumeris ferè exemplis, iiſque recentioribus, comprobare promptum foret, ſi quis contradiceret.

Probatur. 3. Quia Reges accuratè & ſollicitè ſemper diſtinxere in Matrimonio, id quod civile eſt, politicum, & temporale, quod ad ſe proximè ſpectare affirmant, ab eo quod eſt ſpirituale, divinum, ſacramentale, quod juris eſſe Eccleſiaſtici ultro agnoſcunt ac profitentur. Ita cùm Ludovicus

Digitized by Google

XIII. art. 39. Edicti ſui ann. 1629. edixiſſet *non validè contrahi Matrimonia contra tenorem Edicti Bleſenſis*; ad ſupplicationem Cleri Gallicani reſponſum fuit Regis nomine, iſtud, *non validè contrahi*, ad effectus dumtaxat civiles pertinere. Ita exponit pariter Auctor qui in unum collegit Libertates Eccleſiæ Gallicanæ pag. 967. Ita Fevretius L. de abuſu cap. 2. Ita Habertus Doctor Sorbonicus & Epiſcopus Vabrenſis, in eleganti Libello quem de juſtitia Edicti connubialis à Ludovico XIII. lati ann. 1639. ſcripſit adversùs ejus impugnatorem Optatum Gallum. *Intelligendum eſt*, inquit, *illud omne quod in Matrimonio juris divini poſitum eſt, ſacramentale eſſe, proindeque ad Eccleſiam ſpectare, quæ divini juris cognitionem interpretationemque abſolutiſſimam, ſola in terris erroris culpæque expers, columna & firmamentum veritatis, exercet: unde tanquam divini juris interpretis ac oraculi, de veritate, validitate, ſubſtantia, cauſis, partibus, contractu conſenſuque, ut materia & forma, conditionibus effectiſque Sacramenti Matrimonii, decernere, unius Eccleſiæ eſt. Id fidei caput eſſe, nemo dubitat Orthodoxus.* Oſtendit ſubinde Habertus, aliqua eſſe in Matrimonio civilia, politica & temporalia, quæ omnino ſunt juris Principum, quæque ab eccleſiaſticis viris uſurpari illi non patiuntur. Atque inde eſt ut in Literis, ut vocant, Patentibus, quibus admittunt Bullas Romanorum Pontificum, dum aliquos in Galliam Legatos dirigunt, coarctant ac limitant auctoritatem his Bullis conceſſam, ne ultra certos excurrat limites. Ita egit Franciſcus I. erga Cardinalem Farneſium ann. 1539. In Literis quippe ſuis regiis ait gallicè, *Pourvû auſſi qu'il ne pourra exercer juriſdiction, ſoit par lui ou par ſes Délegués ſur nos ſujets Laïcs, ſoit en matiere de faux ou uſure, ſeparation des mariages, quant aux biens, petition de dot &c.* Latinè ſic: Ita ut juriſdictionem exercere non poſſit, neque per ſe neque per delegatos, in noſtros ſubditos Laicos, ſive in crimine falſi, ſive in uſura, ſive in ſeparatione conjugum quoad communitatem bonorum, ſive quoad petitionem dotis &c.

Ex dictis hactenus facilè intelligis, tam amico ac neceſſario fœdere utramque ſimul auctoritatem eccleſiaſticam & civilem concurrere ad eadem Matrimonii impedimenta, ut planè evaneſcat illius diſſidii periculum quod timebatur ex ea, quam in Regibus agnoſcimus in Matrimonium, poteſtate.

ARTICULUS III.

De diſpenſatione ab impedimentis Matrimonii.

De diſpenſationibus ab impedimentis Matrimonii tractant Theologi, tùm in genere & univerſim ſumptis, prout certas exigunt conditiones; tùm in ſpecie, prout certa quadam forma & ſub certis conditionibus in hoc vel illo ſingulari impedimento conceduntur in Curia Romana. De diſpenſationibus priori modo ſpectatis agemus in præſenti Articulo; dicturi de aliis, ubi unumquodque impedimentum expendemus.

De illis diſpenſationibus tùm in genere, tùm in ſpecie, fusè diſſerit Sanchez integro Lib. 8. diſputationibus ſex ſupra triginta. Pontius Lib. 8. etiam integro capitibus uno ſupra viginti. De praxi verò Curiæ Romanæ in hiſce diſpenſationibus concedendis accuratè tractat Pyrrhus Corradus L. 7. pra-

praxis diſpenſationum apoſtolicarum. Fuit autem ille, ut narrat cap. 2. Libri citati n. 5. *in Collegium Dominorum Officialium tam matrimonialium, quàm aliarum diſpenſationum in Cancellaria Apoſtolica per Paulum V. S. P. cooptatus.*

Quæres itaque 1. quid generatim ſit diſpenſatio.

Reſp. diſpenſationem generatim definiri aut deſcribi, *relaxationem juris communis, cum cauſæ cognitione factam ab eo qui jus vel poteſtatem habet, ob utilitatem, vel neceſſitatem.*

Quæres 2. an neceſſe ſit dari aliquando diſpenſationes.

Reſp. affirmativè: hoc enim poſtulat interdum neceſſitas vel utilitas aut publica aut privata; & expedit aliquando nonnihil de rigore legis remitti, ut faciliùs Chriſto aut acquirantur, aut conſerventur Fideles. Laudat eam in rem Gratianus cauſa 1. q. 7. hæc verba S. Cyrilli, *Sicut ii qui mare navigant, tempeſtate urgente, navique periclitante, quædam exonerant & in mare projiciunt, ut cætera conſervent; ita & nos cùm non habemus ſalvandorum omnium negotiorum penitus certitudinem, deſpicimus ex eis quædàm, ne cunctorum patiamur diſpendia.* *Grat. p. 665. n. 30.*

Quæres 3. an primis temporibus Eccleſia frequenter diſpenſaverit ab impedimentis Matrimonii.

Reſp. Chriſtianus Lupus Auguſtinianus Doctor Lovanienſis Tomo 3. in Canones Conciliorum, in notis ad Canonem 11. Conc. Rhemenſis pag. 400. olim raro admodum Eccleſiam diſpenſaſſe. Narrat eò loci, Gregorium VI. S. P. & Gallicanos Epiſcopos Regnum Franciæ eccleſiaſtico interdicto ſubjeciſſe, propter Matrimonium quod Rex Robertus contraxerat cum Bertha Commatre ſua, (cujus nempe filium de ſacro fonte ſuſceperat) à quo ſpiritualis cognationis impedimento, quamquam juris dumtaxat foret poſitivi eccleſiaſtici, diſpenſationem obtinere Rex non potuit; adeo difficilis erat his temporibus Eccleſia in concedendis diſpenſationibus: inſigne quoque refert exemplum Othonis Imp. Primi inter SS. Pontifices Alex. III. & Innoc. III. duodecimo & decimo tertio Eccleſiæ ſæculo majorem ad diſpenſationes viam aperuerunt.

Quæres 4. an neceſſaria ſit notitia tùm impedimentorum Matrimonii, tùm diſpenſationum quæ ab illis peti poſſunt & obtineri.

Reſpondet Pyrrhus Corradus in præfatione Libri 7. notitiam hanc omnino eſſe neceſſariam & maximi momenti pro quotidiana praxi, ad mores, conſcientiæ ſecuritatem, ac Matrimonii firmitatem. *Nemo enim eſt,* inquit ille, *qui neſciat, quænam ex hoc primo malo incommoda, ſeu venenato fonte procedunt. Enimverò hinc natalium defectus in prole; hinc iniquæ ſucceſſiones, atque promotiones, cæteraque ad optimum finem minimè conducentia.*

Quæres 5. quæ ſit Concilii Tridentini doctrina, tùm circa diſpenſationes generatim, tùm circa diſpenſationes ab impedimentis Matrimonii.

Reſp. 1. circa diſpenſationes in genere, Concilium ſuam mentem his verbis declaraſſe Seſſ. 25. de reform. cap. 18. *Sicut expedit*, inquit, *legis vinculum quandoque relaxare, ut pleniùs, evenientibus caſibus & neceſſitatibus, pro communi utilitate ſatisfiat: ſic frequentiùs legem ſolvere, exemploque potius, quàm certo perſonarum rerumque delectu, petentibus indulgere, nihil aliud eſt, quàm unicuique ad leges tranſgrediendas aditum aperire. Quapropter ſciant univerſi, ſacratiſſimos canones exactè ab omnibus, & quoad ejus fieri poterit,* *T. 14. Conc. p. 916.*

poterit, indiſtinctè obſervandos. Quòd ſi urgens juſtaque ratio, & major quandoque utilitas poſtulaverit, cum aliquibus diſpenſandum eſſe, id cauſa cognita, ac ſumma maturitate, atque gratis, à quibuſcunque ad quos diſpenſatiò pertinebit, erit præſtandum; aliterque facta diſpenſatio ſubreptitia cenſeatur.

Quatuor hìc docet Synodus. 1. Canones accuratè ſervandos eſſe, nec facilè ab iis diſpenſari debere. 2. ex juſta & rationabili cauſa concedi aliquando poſſe diſpenſationem. 3. non debere illam concedi, niſi cauſa cognita ac ſumma cum maturitate, atque etiam gratis. 4. aliter factam diſpenſationem ſubreptitiam eſſe cenſendam.

Et Seſſ. 22. de reform. cap. 5. *Diſpenſationes*, inquit, *quacunque auctoritate concedendæ, ſi extra Romanam Curiam committendæ erunt, committantur Ordinariis illorum, qui eas impetraverint. Eæ verò quæ gratioſè conceduntur, ſuum non ſortiantur effectum, niſi priùs ab iiſdem . . . ſummariè tantùm & extra judicialiter cognoſcatur, expreſſas preces ſubreptionis, & obreptionis vitio non ſubjacere.*

Ib. pag. 859.

Duplex eò loci indicatur modus concedendi diſpenſationem, nempe in forma commiſſoria, quæ non tam eſt diſpenſatio, quàm mandatum de diſpenſando, directum ad Ordinarios eorum qui diſpenſationem poſtulant; & in forma gratioſa, quæ propriè diſpenſatio eſt. In utraque verò Concilii ſententia eſt, ut Ordinarii explorent an veræ ſint cauſæ quas Oratores exponunt ad impetrandam diſpenſationem: quæ conditio, ſeu clauſula, ſemper ac præcipuè ſolet apponi diſpenſationibus quæ conceduntur in forma commiſſoria, *Si preces*, ait S. Pontifex, *veritate niti repereris.*

Reſp. 2. ad diſpenſationes circa impedimenta Matrimonii, generatim ſic docere Concilium Seſſ. 24. de reform. Matrimonii cap. 5. *In contrahendis*, inquit, *Matrimoniis, vel nulla omnino detur diſpenſatio, vel rarò; idque ex cauſa & gratis concedatur. In ſecundo gradu nunquam diſpenſetur, niſi inter magnos Principes, & ob publicam cauſam.*

Et Can. 3. ejuſdem Seſſ. *Si quis dixerit, eos tantùm conſanguinitatis, & affinitatis gradus, qui Levitico exprimuntur, poſſe impedire Matrimonium contrahendum, & dirimere contractum, nec poſſe Eccleſiam in nonnullis eorum diſpenſare, aut conſtituere ut plures impediant, & dirimant; anathema ſit.* Et certè ejuſdem eſt poteſtatis legem condere, & ab ea, ubi opus fuerit, diſpenſare.

Quæres 6. cujus ſit facultas diſpenſandi ab impedimentis Matrimonii.

Reſp. controverſiam hanc in Concilio Tridentino agitatam fuiſſe, nec definitam; nulla etenim lege eccleſiaſtica generali ſeu Canone ſtatutum habemus, ad ſolum S. Pontificem, excluſis Epiſcopis, pertinere facultatem diſpenſandi ab impedimentis Matrimonii: ſola conſuetudo ac communis Eccleſiarum uſus hoc ipſi jus aſſeruit. Quamquam autem Patres Concilii Turonenſis an. 1583. cap. 9. declaraverint, Epiſcopos non poſſe diſpenſare in quarto conſanguinitatis, & affinitatis, necnon cognationis ſpiritualis gradibus prohibitis, diverſa tamen eſt noſtrorum Epiſcoporum hac in parte mens atque diſciplina: ſunt enim inter eos qui exiſtimant, ex antiquo prædeceſſorum ſuorum uſu poſſe ſe diſpenſare ab aliquibus impedimentis, etiam publicis, ſive de contrahendo, ſive de contracto: alii

T. 15. Conc. p. 1015.

alii diſpenſant tantùm poſtquam contractum fuit Matrimonium, quando ſcilicet ſeparari abſque grandi ſcandalo non poſſunt conjuges: alii diſpenſant ab impedimento tantùm occulto, cùm vel differri non poſſunt in aliud tempus nuptiæ, vel facile non eſt recurrere ad S. Pontificem. Sequatur unuſquiſque uſum certum & probatum ſuæ Eccleſiæ. Zerola prima parte, verbo *Diſpenſatio*. paragr. ad 5. narrat ſibi ab urbe Roma reſponſum fuiſſe, poſſe Epiſcopos ab aliquibus Matrimonii impedimentis diſpenſare, ſi adfuerint ſex iſtæ conditiones. Prima, ut jam fuerit contractum Matrimonium. Secunda, ut contractum fuerit ignoranter, quoad impedimentum. Tertia, ut ſit conſummatum. Quarta, ut impedimentum ſit occultum. Quinta, ut partes ſint adeo inopes, ut non poſſint ire aut mittere ad Papam vel Legatum. Sexta, ut ſi fieret ſeparatio, ſcandalum veriſimiliter oriretur. Si verò aliqua abſit ex præfatis circumſtantiis, & perſonæ ſint pauperes, aut rudes ac ruſticæ, officium erit Ordinarii proſequi hanc diſpenſationem in forma pauperum, apud Sedem Apoſtolicam, ut planè gratis, & ſine compoſitione obtineatur.

Quæres 7. qua generatim forma concedantur à S. Pontifice diſpenſationes ab impedimentis Matrimonii.

Reſpondet Pyrrhus Corradus L. 7. jam citato cap. 1. *olim diſpenſationes in ipſa Romana Curia, cauſæ cognitione narratorumque verificatione præcedente, in forma gratioſa ut plurimùm conceſſas fuiſſe. At quoniam difficile valdeque incommodum id comperiebatur, optima profectò ratione ſanciviſſe Canones, ut omnes diſpenſationes extra ipſam Curiam locorum Ordinariis in forma communi ſive commiſſoria dirigerentur, qui nonniſi cauſis in precibus verificatis, tùm demum Apoſtolica auctoritate diſpenſarent.*

Quæres 8. ad quos dirigantur illæ diſpenſationes in forma commiſſoria.

Reſp. vel diſpenſationes illas concedi in foro externo, ſeu Romana Cancellaria; vel in foro conſcientiæ à Romano Pœnitentiario, ut cùm agitur de impedimento occulto proveniente ex crimine ſecreto. Diſpenſationes primi ordinis diriguntur ad Ordinarium, hoc eſt, Epiſcopum loci, vel ejus Officialem ſeu Vicarium generalem. Non ſolet autem nomen vel Epiſcopi vel Officialis exprimi: unde non tam perſona, quàm dignitas & officium ſpectatur illius ad quem dirigitur diſpenſatio; quapropter eo mortuo, eadem diſpenſandi provincia ſeu commiſſio tranſit ad ſucceſſorem. Debet autem accuratè expendere Officialis vel Vicarius generalis, an cauſæ quas Oratores expoſuerunt veræ ſint: non alia enim conditione S. Pontifex diſpenſandi provinciam committit, quàm ſi preces veritate nitantur. Diſpenſationes verò conceſſæ in foro conſcientiæ à Pœnitentiario Romano, non diriguntur ad Epiſcopum aut ejus Vicarium generalem; ſed relinquitur libertati Oratoris, ſeligere quem voluerit Sacerdotem, modò ſit ab Ordinario loci approbatus, & gradum Doctoris in Theologia vel Jure Canonico obtinuerit, cui prædictum diſpenſandi mandatum porrigat. Hęc porro diſpenſatio, cùm ſit occulta & in foro conſcientiæ, non poteſt in probationem criminis trahi in foro externo & contentioſo.

Quæres 9. an diſpenſatio fieri debeat ex cauſa juſta & legitima.

Reſp. S. Bernardus L. 3. de Conſideratione ad Eugenium S. P. cap. 4. his verbis: *Ubi neceſſitas urget, excuſabilis diſpenſatio eſt: ubi utilitas provocat,* T. 1. p. 433. E.

diſpen-

Digitized by Google

diſpenſatio laudabilis eſt: utilitas dico, communis, non propria. Nam cùm nihil horum eſt, non planè fidelis diſpenſatio, ſed crudelis diſſipatio eſt. Hinc inferes, nullam & caſſam eſſe diſpenſationem, ſi cauſa per Oratores expoſita vera non ſit; ſi nempe aliquid aut immutatum, aut tacitum in ſupplicatione fuerit, quod neceſſe fuiſſet à S. Pontifice priùs cognoſci, quàm diſpenſaret.

Quæres 10. quænam ſint impedimenta ſuper quibus regulariter diſpenſat S. Pontifex.

Reſp. hæc eſſe, videlicet cognationem, ſive carnalem, ſive ſpiritualem; affinitatem, crimen, votum, publicam honeſtatem, de quibus & aliis impedimentis ſigillatim in poſterum dicturi ſumus.

QUÆSTIO OCTAVA.

De impedimentis Matrimonii ſigillatim ſumptis.

INter impedimenta Matrimonii alia contractum diſſolvunt ſeu dirimunt, unde *dirimentia*; alia contrahendum dumtaxat impediunt, unde *prohibentia* vocantur.

ARTICULUS PRIMUS.

De impedimentis dirimentibus Matrimonium.

QUindecim vulgò numerantur his expreſſa verſibus.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen.
Cultus diſparitas, vis, ordo, ligamen, honeſtas.
Amens, affinis, ſi clandeſtinus & impos.
Similiter ſit rapta, loco nec reddita tuto.
Hæc ſocianda vetant connubia, facta retractant.

Ex illis porro impedimentis dirimentibus nonnulla ſunt juris naturalis, quæ hoc verſu indicantur.

Mens ægra, & conjux, vis, error, ineptia, ſanguis.

Alia verò juris ſunt dumtaxat eccleſiaſtici, quæ his verſibus continentur.

Ordo ſacer, votum, necnon Sponſalia firma:
Atque duplex crimen, quadruplex cognatio, raptus.
Si baptiſma deeſt, ætas, teſtes, parochuſve.

De impedimento erroris.

Multiplex hic diſtinguendus error. Primus eſt perſonæ; cùm una perſona pro alia ſupponitur, Maria v.g. pro Margareta: quomodo Gen. 29. Lia pro Rachele ſuppoſita fuit. Secundus, eſt conditionis ſervilis, ſi ſerva & ancilla ducatur, quæ putatur eſſe libera. Tertius eſt qualitatis, ſi nempe contrahas cum plebæja, corrupta, quam putas nobilem, & integram. Quartus denique error eſt fortunæ, ſi nempe ducas pauperem quam divi-

divitem exiſtimas. De his agitur in Jure Canonico cauſa 29. q. 1. Communis fere ſententia eſt, per errorem circa divitias, qualitates, non irritari contractum conjugalem. *Error qualitatis non excludit conſenſum*, ait Gratianus loco mox indicato, *utpote ſi quis emerit agrum, vel vineam quam putabat eſſe uberrimam; quamvis iſte erraret in qualitate rerum, rem minùs fertilem emendo, non poteſt tamen emptionem reſcindere: ſimiliter qui duxit uxorem meretricem vel corruptam, quam putat eſſe caſtam, vel virginem, non poteſt eam dimittere, & aliam ducere.* *Decret. p. 1554. nu. 40.*

Obſerva 1. cum S. Thoma in Supplem. q. 51. art. 2. ad 5. qualitatem aliquando refundi in perſonam, cùm ſcilicet qualitas inſervit ad deſignandam determinatè perſonam, eamque diſtinguit ab alia quacunque. Exemplum affert ſanctus Doctor conjugii meditati inter regias perſonas: ſi v.g. ſponſæ, quæ credit ſe nubere cum filio Regis natu majore, ſupponeretur filius natu minor, error ille in perſonam ipſam refunderetur.

Obſerva 2. errorem circa divitias & qualitates duobus modis conſiderari poſſe in ordine ad conſenſum contrahentis. 1. concomitanter, ita ut de divitiis & qualitatibus nihil cogitet qui contrahit, ac ita ſit animo affectus, ut etiam errore cognito cum eadem perſona contraheret. 2. Antecedenter; ita ut animus illius feratur in qualitates ac divitias, tanquam in conditionem à qua pendere vult conſenſum in perſonam: quod quidem fieri poteſt implicitè, vel explicitè; interiùs tantùm, vel exteriùs. Explicitè, ſi diſtinctè velit conſenſum ſuum in perſonam ab ea conditione pendere; implicitè verò, ſi eas qualitates exoptat, attamen nihil exteriùs declaret, nec ab illis ſuum in perſonam conſenſum omnino pendere velit.

PRIMA CONCLUSIO.

Error circa perſonam Matrimonium reddit nullum & irritum.

Probatur. Quia error qui conſenſum deſtruit, & ipſum quoque deſtruit conjugium quod illo conſenſu perficitur: qui enim vult contrahere v.g. cum Maria, non vult contrahere cum Margareta, quæ illi loco Mariæ ſubſtituitur; ergo jure ipſo naturali nullum eſt ac irritum Matrimonium. Quapropter Jacob, cui loco Rachel ſuppoſita fuit Lia, cognito errore, conſenſum ſuum de novo dare ac confirmare debuit, ut ſuum cum Lia firmum ſtaret Matrimonium. Unde inferes.

I. In hoc differre Matrimonium à cæteris Sacramentis & aliis contractibus, quòd conditio ſeu qualitas perſonæ extrinſeca ſit cæteris Sacramentis, v. g. Baptiſmo: neque enim neceſſe eſt ut intentio baptiſantis feratur ad talem individuam perſonam, ſed ſatis eſt, quòd velit baptiſare hominem præſentem. Ratio eſt, quia individualis perſonæ conditio ſeu qualitas, non pertinet, nec quidquam confert ad finem Baptiſmi: è contra verò ratio individua perſonæ pertinet ad finem intrinſecum Matrimonii, qui eſt mutuus conſenſus, mutuaque corporum traditio ad individuam vitæ ſocietatem, *Erunt duo in carne una*. In cæteris pariter contractibus error perſonæ vendentis, vel ementis, prorſus accidentalis eſt ac merè extrinſecus ad ipſam contractus ſubſtantiam. Ratio eſt, quia juſtitia commutativa ad quam cæteri contractus, qui oneroſi ſunt, referuntur, v. g. emptionis

Digitized by Google

ptionis & venditionis, ſolam reſpiciat æqualitatem rei ad pretium, & rei venalis ad uſum & commodum, ad quod certè impertinens eſt conditio individualis perſonæ vendentis vel ementis: è contra verò conjugalis contractus per ſe primò ac directè reſpicit individuas perſonas mutuò ſibi corpora tradentes ad individuam vitæ ſocietatem.

II. Inferes impedimentum erroris circa perſonam juris eſſe naturalis, à quo nulla dari poteſt diſpenſatio.

III. Denique inferes, defectum illum alia ratione reparari non poſſe quàm per novum conſenſum.

Duo porro hìc obſervanda. 1. Nihil referre an error perſonæ antecedens ſit, vel concomitans. Unde ſi quis Mariam duceret exiſtimans ſe ducere Margaritam, licet ita foret animo affectus, ut Mariam animo libentiori duceret, non valeret Matrimonium, quia tunc deeſſet exterior conſenſus in Mariam. Aliud enim eſt dicere, Conſentio in talem perſonam; & aliud, Libentiùs conſentirem in talem perſonam. 2. Cùm error perſonę nulla poſſit diſpenſatione tolli, adeoque novo ſit opus conſenſu, hunc conſenſum aliquando publicè, aliquando privatim renovari debere. Publicè quidem coram Parocho & teſtibus, ſi error in foro exteriori probari poſſit; privatim verò, ſi error fuerit ſecretus, nec poſſit exteriùs probari.

SECUNDA CONCLUSIO.

Error circa divitias & qualitates non irritat Matrimonium, ſive concomitanter tantùm ſe habeat ad conſenſum contrahentis, qui vel de illis non cogitat, vel ſic affectus eſt ut etiamſi de illis cogitaret, nihilominus vellet contractum perficere; ſive antecedenter, quando ſcilicet ad divitias & qualitates interiùs quidem fertur tanquam ad conditionem, à qua nihilominus non vult conſenſum in perſonam omnino pendere, præſertim cùm nihil exteriùs ſignificat.

Utraque pars Concluſionis eadem ratione probatur. Scilicet ratum ac validum eſt Matrimonium, quando conſenſus liberè fertur ad perſonam determinatam: atqui in duplici propoſito caſu conſenſus liberè fertur in perſonam, ſepoſitis etiam qualitatibus, divitiis &c. In primo enim caſu de illis qualitatibus contrahens ne cogitat quidem; ac ſi cogitaret, nihilominus cum tali perſona vellet contrahere. In ſecundo verò caſu qui contrahit, licet interiùs ad conditiones illas & qualitates attendat, quia tamen exteriùs nihil ſignificat, & aliunde non vult conſenſum ſuum ab illis pendere, idcirco liber eſt & abſolutus conſenſus, ac ratum & firmum Matrimonium.

Dices: Commune eſt errori, ut faciat actionem involuntariam; ergo error circa qualitates non minùs dirimit Matrimonium, quàm error circa perſonam.

Reſp. errores qualitatis & fortunæ facere involuntarium, circa id quod Matrimonio accidentale eſt, non verò circa id quod ad eſſentiam Matrimonii pertinet: porro error circa perſonam facit involuntarium circa id quod eſſentiale eſt contractui conjugali, adeòque tollit conſenſum ipſi contractui ineundo neceſſarium.

TER-

Digitized by Google

TERTIA CONCLUSIO.

Si error circa divitias & qualitates, qui antecedenter ſe habet ad contrahentis conſenſum, exteriùs declaratur, ita ut & interiùs & exteriùs contrahens velit conſenſum ſuum ab illis qualitatibus, tanquam à neceſſaria conditione pendere, tunc nullum eſt ac irritum Matrimonium.

Ratio aperta eſt: tùm quia eo in caſu deeſt conſenſus, utpote ſuſpenſus ex conditione non extante: tùm quia error qualitatis tranſit in errorem perſonæ, ut ex S. Thoma mox audivimus.

De impedimento conditionis.

Conditionis nomine hìc intelligimus ſtatum ſervitutis, qua quis ita eſt ſub dominio ac poteſtate alterius, ut ſit ejus poſſeſſio, quem pro libito vendere, locare, permutare poteſt. Cùm apud nos Gallos nulla ſit ſervitus, & qui ad nos accedunt ſervi, ſtatim libertate donentur, in uſu & praxi apud nos locum non habet iſtud *conditionis* impedimentum. Jure Romano veteri conjunctio ſervi cum ancilla non Matrimonium & connubium, ſed merum appellabatur contubernium. *De ritu nuptiarum.* Lege 14. & Codicis tit. 5. *De inceſtis nupt.* Unde dicebat S. Leo Epiſtola 2.
aliàs 92. ad Ruſticum Narbonenſem, *Non omnis mulier juncta viro uxor* *T. 1. Op.*
eſt viri, quia nec omnis filius hæres eſt patris. Nuptiarum enim fœdera inter *S. Leonis*
ingenuos ſunt legitima & inter æquales, multò priùs hoc ipſum Domino con- *p. 405.*
ſtituente antequam initium Romani juris exiſteret. Itaque aliud eſt uxor, aliud concubina, ſicut aliud ancilla, aliud libera. Jure igitur civili Romano conjunctio ſervi cum ſerva non fuit aliquando verum Matrimonium. Iſtud aliquando toleraſſe videtur Eccleſia: at tandem Jus civile hac in parte correxit & emendavit, atque definivit, verum eſſe poſſe inter ſervos con-
nubium. Cap. 2. *De conjugio ſervorum.* Et cap. *Si quis liber*, quod eſt Za- *Decret.*
chariæ S. P. cauſa 29. q. 2. & cap. *Si quis ingenuus*, quod depromptum eſt ex *p. 1488.*
Concilio Vermerienſi, eadem cauſa & quæſtione; & in Concilio II. Cabil- *Grat. p.*
lonenſi Can. 30. *1555. & 1556.*

Duo hìc quæruntur. 1. An error circa conditionem perſonæ nullum *Tom. 7.*
reddat Matrimonium, & quo jure, an naturali, an eccleſiaſtico. 2. An *Conc. p.*
conjugia ſervorum facta ſine conſenſu dominorum cui ſubſunt, irrita ſint, *1278.*
ac ſemper fuerint.

PRIMA CONCLUSIO.

Error conditionis ſervilis cùm ignoratur, dirimit Matrimonium; ſecus, ſi non ignoretur.

Probatur prima pars ex Innoc. III. Lib. 4. Decretalium. *De conjugio ſervo-* *Decret.*
rum, tit. 9. c. 4. *Si conſtiterit*, inquit, *quòd miles ignoranter contraxit cum an-* *p. 1490.*
cilla, ita quòd poſtquam intellexit conditionem ipſius, nec facto, nec verbo con- *num. 3.*
ſen-

Digitized by Google

ſenſerit in eandem . . . contrahendi cum alia liberam ipſi concedas auctoritate Apoſtolica facultatem.

Idem conſtat ex Conc. Vermerienſi an. 752. Can. 6. *Si quis ingenuus*, ait, *ancillam uxorem acceperit pro ingenua . . . liceat ei aliam accipere. Similiter & mulier ingenua ſi ſervum accipiat pro ingenuo . . . ſi voluerit poteſt eum dimittere, & ſi ſe continere non poteſt, alium ducere.*

Tom. 6. Conc. p. 1617.

Probatur denique auctoritate & ratione S. Thomæ in 4. diſt. 30. q. 2. art. 2. quia ſcilicet error conditionis ſervilis ſubſtantiam contractus conjugalis afficit, cùm ſervus ſui corporis poteſtatem non habeat.

Secunda pars probatur auctoritate Zachariæ Papæ, Can. *Si quis liber ancillam in Matrimonium acceperit, non habet licentiam dimittere eam, ſi conſenſu amborum conjuncti ſunt.* Et ibid. Can. *Si femina ingenua acceperit ſervum ſciens quòd ſervus eſſet, eum habeat, quia omnes unum patrem habemus in Cælis.* Idem legitur cap. *Propoſuit*, quòd eſt Alexandri III. *De conjugio ſervorum. Mandamus*, inquit, *quatenus ſi conſtiterit quòd idem vir præfatam mulierem, poſtquam illam audivit eſſe ancillam, carnaliter cognovit, ipſum monitione præmiſſa compellatis, ut eam ſicut uxorem maritali affectione pertractet. Si verò aliter fuerit, & ſententiam divortii proferre contingat, mulieri pecuniam, quam præfato viro pro dote conceſſit, reſtitui faciatis.*

Decret. p. 1488. num. 40.

Quæres 1. Quo jure irritum ſit Matrimoniũ ex errore conditionis contractũ.

Reſp. veriſimile eſſe impedimentum illud ſolo jure eccleſiaſtico inductum fuiſſe, quamquam ſit juri naturali maximè conſentaneum. Ratio eſt, quòd ſi quæ ratio probaret errorem circa conditionem perſonæ irritare jure naturali Matrimonium inter ſervos, cognita etiam eorum ſervitute, nullum foret jure naturali; eædem quippe militant pro utraque parte rationes: id porro falſum eſt. Graviſſimis autem rationibus Eccleſia ducta fuit ad iſtud ſtatuendum impedimentum, quòd nempe intelligeret, ſervitutem plurimùm obſtare prolis educationi, ſecuritati ac dignitati Sacramenti &c. ob eam quam Domini in ſervos auctoritatem exercere poſſunt.

Quæres 2. An ſervitus Matrimonio rato ſuperveniens illud dirimat.

Reſp. negativè. Quod enim ſemel valuit hac in materia, ſemper valet. Ita Can. *Perlatum*, cauſa 22. q. 2.

Quæres 3. An Matrimonium contractum cum impedimento conditionis, poſt errorem cognitum, ſola cohabitatione firmum ac ratum ſit.

Reſp. cum Alexandro III. jam citato cap. *Propoſuit. Si conſtiterit*, inquit, *quòd idem vir mulierem, poſtquam illam audivit eſſe ancillam, carnaliter cognovit, ipſum monitione præmiſſa compellas, ut eam ſicut uxorem maritali affectione pertractet.* Idem ſenſus eſt Innoc. III. cap. *Ad noſtra*. Verùm poſt Conc. Tridentinum, neceſſe eſt, conſenſum renovari coram Parocho ac teſtibus.

Quæres 4. An proles patrem vel matrem ſequatur in ſervitute.

Reſp. prolem in ſervitute ſequi conditionem matris, ex communi Juris civilis effato, *Partus ſequitur ventrem*. Si quis ergo ex patre libero & matre ſerva naſcatur, ſervus eſt: ſi ex patre ſervo & matre libera, ingenuus & liber.

Quæres 5. An ſervus pœnæ, ut dicitur, id eſt, qui ex ſententia Judicis pœnæ mancipatus eſt, v. g. ad triremes, vel perpetuum exilium, aut etiam ad mortẽ, quam fuga declinavit, damnatus eſt, poſſit Matrimonium validè contrahere.

Reſp. homines hujuſmodi inter illos pœnæ ſervos recenſeri, quia omnia jura

ra civitatis, familiæ, originis ac libertatis amiſerunt, quique eam ob rem civiliter mortui ſunt, nec Matrimonium validè contrahunt quantùm ad actus ſeu civiles effectus, prolis ſcilicet legitimationem, dotem, hæreditatem &c. nulla etenim eccleſiaſtica lege irritatur tale conjugium quantùm ad fœdus, vinculum & Sacramentum. Neque refert ſi capite damnatus fuga pœnam evaſerit: quamvis enim lex ipſi quinquennium indulgeat ut ſeipſum repræſentet, nihilominus, ut ajunt Juriſconſulti, capite damnatus pœnæ ſervus efficitur, non tunc cùm conſumptus eſt, ſed cùm ſententiam paſſus eſt: præoccupat enim damnatio mortem; adeoque Matrimonium, quod reus ille contraxit, poſtquam fuga pœnæ mortis ſe ſubduxit, nullum eſt quoad effectus civiles. Ita judicatum fuiſſe à Senatu Pariſienſi die 3. Febr. ann. 1625. narrat Fevretius Lib. 5. de abuſu cap. 3. Imò exiſtimat ille, pendente appellatione à ſententia capitis, nullum fore Matrimonium ab appellante tempore intermedio contractum, ſi contingat appellationem injuſtam declarari, ac priorem confirmari ſententiam; appellatione quippe injuſta pronuntiata, omnia in irritum mittuntur. Excipit ibid. Fevretius, niſi fortè reus mortuus fuerit ante latam ſententiam circa appellationem: per mortem enim crimen extinguitur, ac conſequenter valeret eo in caſu Matrimonium antea contractum. Quia tamen deceptis, non autem decipientibus jura ſubveniunt, ſi uxor validis & omni exceptione majoribus argumentis probare poſſet ignoratam à ſe fuiſſe conditionem mariti ad triremes v. g. damnati, poſſet ipſa conventiones matrimoniales, v. g. dotem, dotalitium vulgò *douaire*; atque etiam jura communitatis, ut ajunt, percipere. Ita obſervat le Brun. Tract. de communitate L. 1. c. 4. n. 26.

SECUNDA CONCLUSIO.

Servorum conjugia facta ſine conſenſu dominorum, aliquando irrita, poſt duodecimum verò ſæculum valida fuere.

Prima pars probatur ex S. Baſilio Epiſt. ad Amphilochium Can. 40. *Quæ inquit, præter domini ſententiam ſe viro tradit, fornicata eſt. Quæ autem poſtea libero Matrimonio uſa eſt, nupſit. Quare illud quidem fornicatio, hoc verò Matrimonium. Eorum enim qui ſunt in alterius poteſtate, pacta conventa firmi nihil habent.* Maluit Eſtius negare hanc Epiſtolam verum eſſe S. Baſilii fetum, quàm fateri S. Doctorem in ea fuiſſe ſententia: æquior videtur Sanchez qui candidè fatetur ſe nullam ad hoc teſtimonium invenire ſolutionem. Idem probatur ex Conc. Cabillonenſi II. ann. 813. Can. 30. his verbis: *Nobis viſum eſt ut conjugia ſervorum non dirimantur, etiamſi diverſos dominos habeant: ſed in uno conjugio permanentes, dominis ſuis ſerviant, & hoc illis obſervandum eſt, ubi legalis conjunctio fuit, & per voluntatem dominorum.* Idem jam ſtatuerat antea Conc. IV. Aurelian. ann. 541. Can. 24. & Compendienſe ann. 757. Hac auctoritate Concilii Cabillonenſis, quam laudat Magiſter Lib. 4. diſt. 36. commotus Eſtius, ait dici poſſe, *Eccleſiam aliquamdiu approbaſſe vel toleraſſe leges civiles quæ antea fuerant in uſu; præſertim quibuſdam locis, ubi leges contrarias introducere difficile erat: poſtea verò multiplicato fidelium populo, eas tuliſſe leges per quas animarum ſaluti*

Edit. vet. T. 2. p. 772.

Tom. 7. Conc. p. 1278.

Tom. 5. Conc. p. 385. Tom 6. p. 1695.

certius eſſet conſulendum. Patres igitur Concilii Cabillonenſis & alii ſtatuendo illa ſervorum conjugia iteranda non eſſe, non obſcurè ſignificant, ea priùs irrita & nulla fuiſſe.

Secunda pars Concluſionis, Eccleſiam ſcilicet poſt duodecimum ſæculum lege communi ſervorum conjugia facta ſine conſenſu dominorum rata & valida habuiſſe, ac prohibuiſſe ne aliter fieret, patet ex cap. *Dignum eſt*. L.4. Decretal. titulo 9. *De conjugio ſervorum*. *Sanè*, ait, *Canon*, *juxta verbum Apoſtoli, ſicut in Chriſto Jeſu, neque liber, neque ſervus eſt à Sacramentis Eccleſiæ removendus, ita nec inter ſervos Matrimonia debent ullatenus prohiberi; & ſi contradicentibus dominis & invitis contracta fuerint, nulla ſunt ratione propter hoc diſſolvenda*.

Decret. p.1488. n. 10.

Quæres, an dominus ſervo nubendi licentiam poſtulanti reſiſtere poſſit.

Reſpondet S. Th. 2. 2. q. 104. art. 5. in corpore, non poſſe. *Non tenentur enim ſervi*, ait ſanctus Doctor, *dominis obedire de Matrimonio contrahendo, vel ſervanda virginitate*; quia, ut ibidem paulò ante dixerat, *omnes homines natura ſunt pares*, (ſecluſo voto, inquit hìc Sylvius) *in iis quæ pertinent ad corporis ſuſtentationem, & prolis generationem*. Quòd ſi tamen dominus grave diſpendium ex ſervi Matrimonio paſſurus eſſet, non teneretur ei explicitè conſentire. In caſu autem dati à domino conſenſus, tenetur ſervus uxori debitum exigenti parere potius, quàm domino aliud præcipienti. Ita S. Th. in 4. diſt. 36. art. 2. ad 3.

De impedimento voti & Ordinis ſacri.

Duplex iſtud impedimentum propter affinitatem ſimul hìc conjungimus.

Votum generatim definitur. Promiſſio deliberata boni cujuſdam melioris Deo facta. Ratione materiæ multiplex poteſt eſſe votum, pro vario ac multiplici bono in quod tendere poteſt; ratione verò formæ duplex diſtinguitur, ſimplex nimirum, & ſolemne quod fit in Religione approbata per ſolemnem illius profeſſionem. Excipiendum eſt votum Religionis quod à Jeſuitis emittitur poſt duos probationis annos: iſtud etenim votum, licet ſimplex & non ſolemne, dirimit Matrimonium ex ſpeciali privilegio Gregorii XIII. an. 1584. die 25. Maii.

Gravis eſt Theologos inter controverſia, unde nempe repetendum ſit diſcrimen voti ſolemnis à ſimplici: an eſſentiale illud ſit, an accidentale; an votum ſimplex ſit nuda promiſſio ſine traditione actuali; è contra votum ſolemne contineat ex parte voventis actualem traditionem, ex parte verò Superioris eccleſiaſtici acceptationem: unde alia naſcitur quæſtio, an inhabilitas ad contrahendum Matrimonium voto ſolemni annexa ſit juris divini, à quo diſpenſare non poſſit S. Pontifex; an verò juris dumtaxat eccleſiaſtici. Quas quęſtiones fusè pertractarunt ex recentioribus Sanchez Lib. 7. diſp. 25. Pontius L. 7. c. 7. 8. & 9. Eſtius in 4. diſt. 38. Votum igitur ſimplex dicitur quod ſecretò fit intra Deum & voventem ſolum, nemine ex parte Eccleſiæ acceptante: votum è contra ſolemne illud eſt, quod palam ac publicè emittitur, ſive per religioſam profeſſionem, votum Eccleſiæ nomine acceptante Superiori, ſive per ſacri Ordinis ſuſceptionem. De utroque quæritur, an Matrimonium diſſolvat.

PRI-

PRIMA CONCLUSIO.

Votum ſimplex continentiæ, aut perpetuæ, aut non perpetuæ, Matrimonium illicitum quidem, at non invalidum ac irritum reddit.

Probatur: quia nulla lege irritatur hujuſmodi Matrimonium, ut videre eſt apud Gratianum cauſa 22.q.1.& titul. *Qui Clerici vel voventes Matrimonium contrahere poſſunt.* L.4. Decretal. Illicitum tamen eſt, ac peccat contra fidelitatem Deo debitam, qui vel poſt votum ſimplex perpetuæ continentiæ, vel ante tempus, quo continentiam ſervare ſtatuerat, uxorem accipit.

Dices 1. Ex Cœleſtino III. cap. *Rurſus. Qui Clerici vel voventes*, ſimplex votum apud Deum non minùs obligat, quàm ſolemne.

Reſp. diſt. ant. ut illicitum ſit Matrimonium, concedo: ut ſit nullum ac irritum, nego. Seipſum exponit ibidem S.P. *Cùm votum ſimplex*, inquit, *Matrimonium impediat contrahendum, non tamen dirimat jam contractum.*

Dices 2. Fortiùs ligat vinculum cum Deo quàm cum homine; ergo poſt votum etiam ſimplex, quod eſt vinculum cum Deo, nullum eſt Matrimonium quod eſt vinculum cum homine.

Reſp. 1. Matrimonium eſſe quoque vinculum ex parte Dei, à quo inſtitutum eſt. 2. votum ſimplex vinculum quidem eſſe ex parte voventis, non tamen ex parte Dei, à quo non eſt acceptatum: Matrimonium è contra ex utraque parte, tùm Dei, tùm contrahentium, acceptatum eſt.

SECUNDA CONCLUSIO.

Matrimonium poſt ſolemne continentiæ votum in Religione approbata, vel poſt ſuſceptionem majorum Ordinum, non tantùm prohibitum ac illicitum eſt, ſed nullum & irritum.

I. hujuſmodi Matrimonium poſt votum ſolemne, ſicut & poſt votum ſimplex, illicitum ſemper fuit; quia ſtandum eſt promiſſis, nec debet à quoquam fides ſemel data violari.

II. irritum ac nullum reddi Matrimonium poſt ſolemne continentiæ votum in Religione approbata, vel ſuſceptionem ſacri Ordinis.

Probatur 1. ex decretis Bonifacii VIII. & Alexandri III. quæ legi poſſunt in Decretalibus. Bonifacii quidem in Sexto, *De voto & voti redemptione.* Alexandri verò III. tit. *Qui Clerici vel voventes.* cap. *Meminimus*, & cap. *Veniens*, quibus & multa alia particularium Synodorum ſtatuta ſuperaddi promptum foret, Troſtejanæ an.909. Can. 8. Triburienſis ann. 895. Romanæ an.743. Can.5. Toletanæ IV. Can.5. an.570. Barcinon. an.599. Can.3. Matiſconenſis an. 582. Can. 12. Turon. II. an. 570. Aurelian. V. an. 552. Can. 19. quibus omnibus id præcipitur, ut ſeparentur quotquot poſt votum ſolemne contrahere voluerint. Verùm his prætermiſſis ut ad poſteriora tempora veniamus, *To. 10. Conc. p. 1002.*

Probamus 2. ex Concilio II. Lateranenſi ſub Innocentio II. ann. 1139. cap. 7. cujus hæc verba ſunt. *Ut lex continentiæ, & Deo placens munditia in eccleſiaſticis perſonis & ſacris Ordinibus dilatetur, ſtatuimus quatenus Epiſcopi,* *Apud Grat. p. 1502.*

Preſbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Regulares Canonici, & Monachi atque conuerſi profeſſi, qui ſanctum tranſgredientes propoſitum, uxores ſibi copulare præſumpſerint, ſeparentur. Huiuſmodi namque copulationum, quam contra eccleſiaſticam regulam conſtat eſſe contractam, Matrimonium non eſſe cenſemus Et cap. 8. *Idipſum quoque de Monialibus feminis, ſi, quod abſit, nubere attentaverint, obſervandum decernimus.*

Denique probatur ex Conc. Trid. Seſſ. 24. Can. 9. *Si quis dixerit, Clericos in ſacris Ordinibus conſtitutos, vel Regulares caſtitatem ſolemniter profeſſos, poſſe Matrimonium contrahere, contractumque validum eſſe, non obſtante lege eccleſiaſtica, vel voto . . . . anathema ſit.*

TERTIA CONCLUSIO.

Non ſemper nec ubique irritum fuiſſe videtur Matrimonium poſt emiſſum ſolemne caſtitatis votum.

Probatur teſtimoniis SS. Patrum.

S. Auguſtinus L. de bono viduitatis c. 10. eorum ſententiam improbat, qui nuptias virginum poſt votum, quod emiſerant caſtitatis, non nuptias, ſed
T. 6. p. adulteria vocabant. *Qui dicunt talium nuptias non eſſe nuptias, ſed potius*
375. *adulteria, non mihi videntur ſatis acutè ac diligenter conſiderare quid dicant...* Et rurſus poſtea: *Fit autem per hanc minùs conſideratam opinionem, qua pu-*
Ibid. p. *tant lapſarum à ſancto propoſito feminarum, ſi nupſerint, non eſſe conjugia,*
376. C. *non parvum malum, ut à maritis ſeparentur uxores, quaſi adulteræ ſint, non uxores; & cùm volunt eas ſeparatas reddere continentiæ, faciunt maritos carum adulteros veros, cùm ſuis uxoribus vivis alteras duxerint.*

T. 1. O- S. Leo Epiſtola 2. aliàs 82. ad Ruſtic. Narbon. cenſet equidem Monachum,
per. S. qui relicta profeſſione ad militiam vel nuptias tranſierat, pœnitentia purgan-
Leonis, dum eſſe ac caſtigandum, *quia etſi innocens ſit militia, & honeſtum poſſit*
p. 410. *eſſe connubium, electionem tamen meliorem deſeruiſſe tranſgreſſio eſt.* De illo verò conjugio irritando, ne verbum quidem habet ſanctus Doctor.

Tom. 4. Conc. Chalcedon. Can. 16. ſola excommunicatione animadvertit in virgi-
Conc. p. nes & Monachos, ſi contrahant: quod licitum non eſſe obſervat quidem, at
776. nullum & irritum non declarat; imò Epiſcopo loci permittit, ſi ita placuerit, *in eis largiri miſericordiam & humanitatem*; hoc eſt indulgere, ut in contracto Matrimonio permaneant. Innocentius I. Epiſtola ad Victricium Rothomag.
Tom. 2. c. 12. ait *virgines quæ Chriſto ſpiritualiter nupſerunt, & velari à Sacerdote meruerunt,*
Conc. p. *ſi poſtea vel publicè nupſerunt, vel ſe clanculò corruperint, non eſſe admit-*
1252. *tendas ad pœnitentiam agendam, niſi is cui ſe junxerunt, de ſæculo receſſerit.* Porro ſi nullum ac irritum eo ipſo fuiſſet Matrimonium, ob votum antecedens virginitatis, ut quid neceſſe fuiſſet expectare mortem viri cum quo illæ virgines nupſerant, ut ad agendam pœnitentiam admitti poſſent?

Denique ætate S. Bernardi, qui obiit an. 1153. nondum ubique plenè invaluerat diſciplina irritandi Matrimonium poſt votum ſolemne caſtitatis celebratum. Ipſe ſiquidem ſanctus Doctor conſultus circa Matrimonium quod
T. 1. p. Monachus *quidam dimiſſo habitu religioſo contraxerat,* reſpondet Epiſtola 76.
77. *non videri ſibi tutum, uxorem illam quam duxerat monachus, non conſen-*

tien-

tientem dimittere, niſi priùs Epiſcopalis auctoritatis acceſſerit, vel conſilium, vel imperium.

Quæres 1. an Ordo ſacer impedimentum ſit dirimens Matrimonium, quatenus eſt Ordo ſacer; an verò prout annexum habet continentiæ votum: quod idem eſt ac ſi quæreretur, utrum qui Ordines ſuſcepit vel plenè invitus, vel volens quidem reſpectu Ordinis, ſed cum expreſſa intentione nullam contrahendi obligationem ſervandę caſtitatis, validè poſtea Matrimoniū cōtrahere poſſit.

Reſp. 1. eum qui tale Matrimonium contraheret poſt receptos ſacros Ordines, *aut eventu neceſſitatum, aut metu periculorum*, verba ſunt Concilii VIII. Toletani quod an. 653. habitum eſt, excommunicationi ſubjacere, ut dicitur ibidem Can. 7. & irregularitatem contrahere ratione bigamiæ ſimilitudinariæ, ut colligitur ex S. Antonino 3. parte Summæ tit. 1. c. 8. *Tom. 6. Conc. p. 405.*

Reſp. 2. Sanchem exiſtimare eum qui invitus Ordinem ſuſcepiſſet, poſſe validè contrahere Matrimonium. Non diſſimulat tamen opinionem contrariam valde probabiliter ab aliis propugnari, & reipſa novemdecim laudat magni nominis Theologos, quos inter ſunt S. Antoninus, S. Raymundus, Paludanus, Hoſtienſis &c. quibus Matrimonium hujuſmodi planè irritum & invalidum videtur: quæ ſententia longè verior eſt, ac in praxi ſequenda, de qua conſulendi ſunt S. Antoninus loco citato, Paludanus in 4. diſt. 38. q. 2. & alii in eundem locum. Hinc patet per votum Religionis non intelligi votum etiam publicè coram frequenti populo emiſſum inter manus Regularis Superioris, ſi vovens ſe non obſtringat ad ſervandam Monaſterii regulam; quia nullatenus intercedit voventis traditio & acceptatio: qui tamen tale, vel quodlibet aliud caſtitatis votum ſimplex emiſiſſet, contractum poſtea, validè licet, Matrimonium, etiam debiti redditione conſummare non poſſet, quod utique notandum eſt, *Quia*, inquit S. Thomas in 4. diſt. 38. q. 1. art. 3. & q. 2. ad 3. *adhuc reſtat ſibi facultas implendi continentiæ votum ante Matrimonium conſummatum*; per ingreſſum ſcilicet & profeſſionem Religionis. Si tamen ſemel Matrimonium conſummaverit, jam ad reddendum uxori debitum tenetur, *ſive mulier petat expreſsè, ſive interpretativè*, ait ibidem ſanctus Thomas ad 4. Non poſſet verò ſine peccato exigere, ut docet eodem loco ſanctus Doctor, niſi priùs obtenta voti relaxatione, ut ſatis patet.

Quæres 2. an qui Ordines ſacros ſuſcepit neſcia aut invita conjuge ſua, ad eam redire, vel ab ea ſeparatus cœlibem vitam agere teneatur.

Reſp. cum Joann. XXII. in Extravag. *Antiquæ. De voto & voti redemptione*, non valere Ordinis ſacri ſuſceptionem *ad diſſolvendum Matrimonium priùs contractum, etiamſi per carnis copulam non fuerit conſummatum.* Unde talis Clericus, *ſi ſponſa ejus inſtiterit, per cenſuram eccleſiaſticam compelli poteſt contractum Matrimonium conſummare*, ait Joan. XXII. *Extravag. p. 66.*

Quo in caſu obſervandum. 1. poſſe hujuſmodi Clericum Religionem ingredi, ſi Matrimonium non fuerit conſummatum. 2. ad id eum non teneri, cùm hanc legem ipſi non imponat S. P. 3. eum, ſi ad conjugem redeat, non poſſe debitum exigere, quod & uxor ipſi exigenti poteſt denegare; teneri nihilominus uxori poſtulanti illud reddere. 4. aliter ſentiendum, ſi uxor legitimam divortii cauſam dederit propter adulterium ab ea commiſſum. 5. ſi uxor conſenſiſſet in mariti ad Ordines ſacros promotionem,

nem, & aliqua nihilominus arte obtineret, ut ille ad ſe rediret, ambos tunc lege continentiæ ſervandæ teneri, quia tunc uterque juri reciproco quod habebat in corpus alterius, renuntiaſſet.

De impedimento cognationis ſeu conſanguinitatis.

Cognatio dividitur in carnalem, quæ dicitur conſanguinitas, quaſi ſanguinis unitas; in ſpiritualem, quæ vocatur *compaternitas*; & in legalem quæ appellatur *adoptio*. De naturali cognatione ſeu conſanguinitate hic primùm dicimus.

Definitio conſanguinitatis. Lineæ & gradus quibus conſanguinitas diſtinguitur. Regulæ hac in materia obſervandæ.

Definitio. Quæres igitur 1. quomodo definiatur conſanguinitas.

Reſp. conſanguinitatem definiri, Vinculum perſonarum, quarum una ab alia, vel ambæ ab eadem, tanquam à communi ac propinquo ſtipite per carnalem generationem deſcendunt.

Dicitur 1. vinculum, id eſt arctior tùm corporum, tùm animòrum ob unitatem ſanguinis conjunctio.

Dicitur 2. perſonarum, quarum una deſcendit ab alia, ut filius & filia à patre.

Dicitur 3. tanquam à communi ſtipite; ducta metaphora ab Arboris trunco, à quo multi rami defluunt ac pendent: ita filii à patre.

Dicitur 4. à propinquo ſtipite, qui ſi ſit remotus & ultra quartum gradum, habebit potius rationem radicis, quàm trunci, & qui ab eodem multùm remoto ſtipite deſcendunt v.g. ab Adamo, vel Noe, conſanguinei non dicuntur ea conſanguinitate quæ Matrimonium impediat, vel dirimat.

Dicitur 5. per carnalem generationem, ut à ſpirituali diſtinguatur.

Quæres 2. an inter illegitimos & ſpurios detur vera conſanguinitas.

Reſp. affirmativè: ſunt enim ex eodem ſanguine; ac proinde; ſicut admonet Pyrrhus Corradus L. 7. praxis diſpenſationum Apoſtolicarum c. 1. n. 6. quoad Matrimonii impedimentum, & diſpenſationem ſuper eo impetrandam, nullum eſt diſcrimen ſtatuendum inter conſanguineos ex legitimo concubitu, & conſanguineos ſpurios.

Lineæ & gradus. Quæres 3. per quid Theologi & Canoniſtæ diſtinguant conſanguinitatem.

Reſp. per lineas, & gradus.

Linea hic eſt ordinata collectio perſonarum ab eodem ſtipite deſcendentium, diverſos continens gradus. Dicitur verò ſtipes, perſona illa à qua cæteræ deſcendunt, ſeu ducunt originem.

Gradus verò eſt intervallum ſeu menſura diſtantiæ conſanguineorum inter ſe, & à communi ſtipite; & ſunt gradus illi ad ſimilitudinem graduum ſcalæ, per quos à pròximo in proximũ tendimus ſurſum aſcenſuri, aut deorsũ deſcenſuri.

Linea duplex generatim ſtatuitur, una directa, altera collateralis ſeu tranſverſalis.

Linea directa perſonas continet, quæ parentum liberorumque locum inter ſe obtinent; ut avus, pater, filius &c. Duplex illa ſtatuitur, altera aſcendentium, in qua continentur perſonæ à quibus nos originem duximus, nempe pater, avus,

avus, proavus &c. altera deſcendentium, in qua continentur perſonæ quæ à nobis duxerunt originem, nempe filius, nepos, pronepos &c. Hæc duplex linea reipſa eadem eſt; nam eodem gradu aſcenditur & deſcenditur in ſcala: diſtinguitur autem ratione, quia quatenus per illam aſcenditur ad ſtipites, dicitur aſcendentium; quatenus autem deſcenditur ad ſobolem à ſtipite procedentem, dicitur deſcendentium.

Linea indirecta ſeu collateralis & tranſverſa eos continet quos agnatos, proximos, ſeu propinquos & conſanguineos vocamus, qui neque nos genuerunt, neque à nobis ſunt geniti; ſed à communi nobiſcum ſtipite deſcendunt, ut fratres & eorum filii, patruus, amita, cæterique tranſverſales. Patruus, Oncle paternel. Amita, Tante paternelle.

Hæc porrò linea tranſverſalis duplex eſt, una æqualis, altera inæqualis.

Linea collateralis æqualis, eſt quando gradus eorum quorum cognatio quæritur, æqualiter & pariter diſtant à communi ſtipite; ut duo fratres, qui æqualiter diſtant à patre, uno ſcilicet gradu.

Linea verò inæqualis eſt quando una perſona aliam in gradu præcedit, & perſonæ, quarum conſanguinitas quæritur, non diſtant æqualiter à communi ſtipite, ut videre eſt in fratre, & fratris filio: frater enim diſtat à ſtipite, nempe patre, uno gradu; filius verò fratris eſt ſtipiti in ſecundo gradu conjunctus, & propterea ſunt in linea inæquali. Ita pariter contingit in patruo & amita reſpectu conſobrini: diſtat enim conſobrinus ab illis, in ſecundo gradu diſpari, quòd nempe patruus & amita diſtent à communi ſtipite, nempe ab avo conſobrini, in quo proximè uniuntur, in ſolo primo gradu, ut pote qui ſint ipſius filii; at conſobrinus diſtat ab avo in ſecundo gradu, tanquam ejus nepos. Quod præcipuè hic obſervandum eſſe monet Pyrrhus Corradus L. 7. c. 1. n. 9. in diſpenſationibus matrimonialibus impetrandis. Nam licèt primus & ſecundus gradus, ut hic eſt, conſtituant æqualiter impedimentum, in reliquis tamen gradibus remotioribus, puta ſecundo & tertio, & quarto, etiam ex multiplicatis ſtipitibus, attenditur remotior.

Quæres 4. quot ſint regulæ à Theologis & Canoniſtis aſſignatæ, ad computandos gradus conſanguinitatis. Regulæ obſervandæ.

Reſp. tres eſſe.

Prima regula hæc eſt: In recta linea aſcendentium & deſcendentium, tot ſunt gradus, quot ſunt perſonæ, dempto ſtipite. V. g. pater, filius, nepos, pronepos, abnepos, quinque ſunt perſonæ, & quatuor gradus: unde filius cum patre eſt in primo gradu, nepos in ſecundo, pronepos in tertio, abnepos in quarto. Ratio eſt, quia tot ſunt gradus, quot generationes; generatio autem inter duos terminos verſatur, generantem ſcilicet & genitum: unde ut ſint quatuor generationes, quinque debent eſſe perſonæ, ex qua tamen graduum ſupputatione prima perſona tolli debet. Cùm enim gradus ſit diſtinctio unius perſonæ ab alia, prima perſona non poteſt gradum facere, cùm nec à ſeipſa, nec ab ulla ſuperiore diſtet; alioquin non eſſet prima, ſed ſecunda quæ primò incipit diſtare & ſeparari ab alia, & primum conſtituit gradum. Itaque prima perſona eſt veluti punctum à quo ducitur linea, per quam diſtat ſecunda perſona à prima. Prima regula.

Secunda regula: In linea collaterali æquali, perſonæ tot gradibus diſtant ab invicem, quot à communi ſtipite. V. g. duo fratres diſtant interſe in primo gradu, quia in eo diſtant à proximo ſtipite in quo conjunguntur, qui Secunda regula.

eſt pater: filii duorum fratrum ſunt conſanguinei in ſecundo gradu, quia in eodem conjunguntur in communi utriuſque ſtipite proximo, qui eſt avus. Ratio eſt, quia cùm tota & adæquata conjunctionis eorum ratio ſit unio cum ſtipite, jure optimo computamus gradus penes diſtantiam ab illo; nec magis aut minùs poſſunt inter ſe diſtare, quàm à ſtipite. Quòd ſi objicias, filium conjunctiorem eſſe parentibus, quàm fratri; ergo ineptè in eodem gradu computantur. Dico conjunctiorem eſſe parentibus intenſiva perfectione propinquitatis, non extenſiva: non enim longiùs diſtat frater à fratre, quàm filius à patre; ſed in diſtantia æquali major eſt conjunctio, & proinde major amor & obligatio. Ratio eſt, quia non ſunt illi gradus ejuſdem rationis: filius enim cum patre jungitur, ut effectus cum ſua proxima cauſa, & ideo illi ſimilis eſt ex vi productionis, unde oritur amor; & ab illo pendet, unde oritur & obligatio. At frater cum fratre conjungitur, ut effectus à communi cauſa procedens: inter duos autem effectus ab una cauſa procedentes non eſt eadem dependentia, quæ inter cauſam & effectum, licet diſtantia ſit major.

Tertia regula. Tertia regula: In linea collaterali inæquali, tot gradibus inter ſe diſtant, quot gradibus diſtat à ſtipite ille qui eſt remotior: ut patruus & filius ex fratre diſtant inæqualiter ab avo, in quo uniuntur: ille enim diſtat in primo gradu, cùm ſit ejus filius; hic verò diſtat in ſecundo, ut pote qui nepos eſt: diſtabunt igitur inter ſe in ſecundo gradu. Ratio autem cur non attendatur gradus penes diſtantiam propinquioris, ſed remotioris à ſtipite, eſt, quia cùm adæquata ratio propinquitatis aut diſtantiæ collateralium inter ſe, ſumatur per ordinem ad proximum ſtipitem in quo uniuntur, implicat conjunctiores eſſe inter ſe, quàm cum ſtipite: at ſi propinquioris habenda eſſet ratio ad hanc conſanguinitatis computationem, collateralis diſtans in ſecundo aut tertio gradu à ſtipite eſſet conjunctior cum collaterali diſtante in primo gradu, quàm cum ipſo ſtipite; cum illo enim eſſet in primo gradu, cum hoc verò in ſecundo vel tertio. Adde etiam, ſic facta computatione penes diſtantiam propinquioris, fore ut minimè poſſent gradus commodè diſtingui: nam quando alter eſſet in primo gradu cum ſtipite, alter verò in quarto, eſſent conjuncti inter ſe in primo gradu, atque ita æquè ac fratres; unde maxima ſequeretur graduum confuſio.

Quòd ſi quæras, unde fiat ut ſi conſideremus perſonam remotiorem à ſtipite, inveniamus illam diſtare inæqualiter à ſingulis alterius lateris. Reſpondeo rationem eſſe, quia quando conſideramus perſonam remotiùs diſtantem, tunc attendimus diſtantiam ipſius à ſtipite, & in ſtipite intelliguntur omnes qui ſunt in altero latere; & ideo tantùm diſtat perſona illa remotior à ſtipite, quantùm ab omnibus perſonis alterius lateris. At quando conſideramus perſonam propinquiorem, tunc non attendimus diſtantiam ejus à ſtipite, ſed diſtantiam ſtipitis ad perſonas alterius lateris, & in ſtipite tunc intelligimus perſonam illam propinquiorem; & quia ſtipes diſtat inæqualiter à perſonis alterius lateris, ideo etiam perſona illa propinquior diſtat inæqualiter ab omnibus perſonis alterius lateris. Si rurſum quæras, quare conſiderando perſonam remotam attendimus diſtantiam ejus à ſtipite; non ita verò, quando conſideramus perſonam propinquam. Reſpondeo id ita eſſe, quia ſi conſiderando perſonam propinquam attenderemus diſtantiam

ejus

Digitized by Google

ejus à ſtipite, ſequeretur perſonas aliquas alterius lateris eſſe propinquiores ſuo collaterali, quàm ſtipiti, quod eſt omnino impoſſibile, cùm non conjungantur collaterales niſi per ſtipitem.

Quæres 5. an alius ſit modus computandi gradus conſanguinitatis in Jure civili, & alius in Jure canonico.

De modo computandi in Jure civili, & in canonico.

Reſp. 1. quantùm ad ſupputationem graduum in linea recta, nullum eſſe diſcrimen; in utroque enim Jure, tot ſunt gradus, quot ſunt perſonæ, omiſſo ſtipite. V. g. filius eſt in primo gradu, nepos in ſecundo, pronepos in tertio, abnepos in quarto.

Reſp. 2. quantùm ad ſupputationem graduum in linea collaterali, diſcrimen eſſe inter Jus civile & canonicum, quòd Jus civile gradus numerat per perſonas, totque ſtatuit, quot ſunt perſonæ, dempto ſtipite; Jus verò canonicum attendit ad diſtantiam perſonarum à ſtipite. Igitur ſecundùm Jus civile, duo fratres ſunt quidem in primo gradu reſpectivè ad communem parentem, ſed inter ſe ſunt in ſecundo, quia ſunt duæ perſonæ, quarum quælibet gradum conſtituit. Similiter filii duorum fratrum diſtant in quarto gradu, quia quilibet diſtat à ſtipite in ſecundo, & quatuor efficiunt perſonas, eo dempto ſtipite: patruus verò & conſobrinus diſtant in tertio gradu, quia ille diſtat à ſtipite in primo, hic autem in ſecundo; ac ſubinde triplex conſtituitur gradus. Hunc modum computandi gradus juxta Jus civile, ſequuntur Græci, quos redarguit Innoc. IV. Vide Arcudium de Matrimonio c. 30. At verò juxta Jus canonicum, in linea collaterali, primus gradus eſt fratrum germanorum; ſecundus, patruelium ſeu conſobrinorum, & ſimul patrui & filii fratris; tertius eſt filiorum duorum fratrum patruelium, & ſimul patruelis & filii alterius patruelis, & ſic deinceps. Ex quo deducit Alexander II. S. P. Epiſtola 38. quæ eſt ad Epiſcopos, Clericos & Judices Eccleſiæ, ac refertur cauſa 35. q. 5. ex duobus gradibus ſecundùm Jus civile, unum conſtitui ſecundùm Jus canonicum; ac proinde eum qui eſt ſecundus Jure civili, eſſe primum Jure canonico. *Fratres itaque*, inquit, *qui ſecundùm leges ſæculares dicuntur in ſecundo gradu, juxta Canones numerantur in primo*; *Filii fratrum qui illic numerantur in quarto, hic computantur in ſecundo: Nepotes verò qui in ſexto ibi, iſtic numerantur in tertio. Sic deinceps qui in legibus ſcribuntur in octavo & decimo, in Canonibus definiuntur in quarto & quinto. Atque hoc modo de reliquis ſentiendum eſt, ut qui ſecundùm Canones dicuntur in ſexto, vel ſeptimo; ſecundùm leges accipiantur in duodecimo vel quartodecimo.*

Patruelis, Couſin, filis de l'un des freres du pere. Patruus, Oncle maternel. Filii duorum fratrũ patruelium. Fils des deux freres du pere, ou grands Oncles. *Tom. 9. Conc. p.* 1140. *Grat. p.* 1847. *n.* 30. *T.* 3. *p.* 542. E.

Ratio autem canonicæ ſupputationis, ait hìc Bellarminus L. 1. c. 24. optima redditur à Theologis & Canoniſtis: quia nimirum cùm perſonæ in ordine tranſverſo non conjungantur, niſi ratione ſtipitis à quo procedunt, non poſſunt inter ſe magis aut minùs diſtare, quàm à ſtipite diſtent: neceſſariò igitur efficitur, ut eo gradu inter ſe conjungantur, vel ab eo diſtent, quo ſtipiti conjunguntur, vel ab eo diſtant. Quare duo fratres in primo gradu erunt, quia uterque in primo gradu eſt cum ſtipite: conſobrini in ſecundo erunt, quia uterque in ſecundo eſt cum ſtipite. Quòd ſi inæqualiter diſtent à ſtipite, ut patruus & filius fratris, tunc eo gradu inter ſe diſtabunt, quo diſtat à ſtipite ille qui eſt remotior, juxta regulam tertiam antea explicatam. Cùm enim per ſtipitem conjungantur, fieri non poteſt ut ullus propinquior ſit

ſit conſanguineo ſuo, quàm ſtipiti; non igitur filius fratris minùs diſtare poteſt à patruo, quàm avo. Licèt igitur patruus uno tantùm gradu diſtet à ſtipite; tamen quia filius fratris duobus gradibus diſtat ab eodem ſtipite, ideo patruus & filius fratris in ſecundo gradu ſunt, non minùs quàm duo filii fratrum.

Si verò cauſam poſtules diverſæ ſupputationis in Jure civili & canonico, Grat. p. 1846. n. 40. hanc reddet Alexander II. in citata Epiſtola 38. *In legibus*, inquit, *ob nihil aliud ipſorum graduum mentio facta eſt, niſi ut hæreditas vel ſucceſſio ab una ad alteram perſonam inter conſanguineos deferatur. In Canonibus verò ob hoc progenies computatur, ut apertè monſtretur, uſque ad quotam generationem à conſanguineorum nuptiis ſit abſtinendum. Ibi præſcribitur, ut hæreditas propinquis modo legitimo conferatur; hic verò, ut ritè & canonicè inter fideles nuptiæ celebrentur. In legibus diſtinctè non numerantur gradus, niſi ad ſextam; in Canonibus autem uſque ad ſeptimam diſtinguuntur generationem. Hac igitur de cauſa, quia hæreditates nequeunt deferri niſi de una ad alteram perſonam, idcirco curavit ſæcularis Imperator in ſingulis perſonis ſingulos præfigere gradus: quia verò nuptiæ ſine duabus non valent fieri perſonis, ideo ſacri Canones duas in uno gradu conſtituere perſonas.* Ita Alexander II. S. P. His prænotatis.

PRIMA CONCLUSIO.

Conſanguineorum in quolibet gradu rectæ lineæ conjugia ſemper illicita & nulla fuere.

Tom. 8. Conc. p. 530. A. Probatur 1. ex Nicolao I. ad conſulta Bulgar. cap. 39. *Inter perſonas*, inquit, *quæ parentum liberorumve locum inter ſe obtinent, nuptiæ contrahi non poſſunt; veluti inter patrem & filiam, vel avuum & neptem, & uſque in infinitum.* 2. quia hujuſmodi Matrimonia directè adverſantur pudori, reverentiæ atque obſervantiæ filiorum in parentes: pudori quidem, quod per ſe notum eſt; debitæ verò reverentiæ atque obſervantiæ, quia cùm conjuges ſint una caro, atque mutuis officiis pares, ſi ſupponantur filii Matrimonia contraxiſſe cum parentibus, neceſſe eſt filios minùs ſubjectos eſſe parentibus poſt Matrimonium, quàm antea fuerant. Quin ea in hypotheſi ſi mater vel avia filio nupſerit, neceſſe eſt matrem vel aviam filio ſubjici; oportet enim uxores ſubditas eſſe viris ſuis. Atqui abſurdum illud eſſe & naturali ſenſui repugnare, nemo non intelligit.

Quamquam verò dicatur in *quolibet*, *gradu*, ſeu *uſque in infinitum*: appoſitè obſervat Bellarm. de Matrim. cap. 24. *non valde hac de re ſollicitos* T. 3. p. 543. B. *nos eſſe debere, cùm vix contingere poſſit, ut cupiant aliqui Matrimonium inire in gradu quinto aut ulteriore in recta linea. Aut enim non inveniuntur homines vivi, aut ſunt ita inæquales quoad ætatem, ut abſurdiſſimum ſit eos inter ſe Matrimonium velle contrahere.*

SECUNDA CONCLUSIO.

Circa Matrimonia conſanguineorum in linea collaterali varia variis temporibus diſciplina fuit.

I. Initio generis humani, cùm ſumma poſtulabat neceſſitas, fratres cum ſoro-

Digitized by Google

ſororibus, conſobrini cum conſobrinis, patrui & avuunculi cum neptibus Matrimonio conjungebantur: res enim aliter fieri non poterat. Abraham v. g. nupſit cum Sara fratris filia, quam ipſe Gen. 20. vocat ſororem ſuam; Iſaac cum Rebecca à ſe tertio tantùm gradu diſtante; Jacob cùm filiabus Laban fratris Rebeccæ, quibus proinde in quarto gradu conjunctus erat.

II. In lege Moſaica, Levitici 18. prohibita erant Matrimonia in linea recta inter deſcendentes & aſcendentes, in quocunque gradu: in linea verò collaterali, prohibita erant fratris cum ſorore, nepotis cum amita, vel matertera: non tamen prohibita patrui vel avunculi cum filia fratris, vel ſororis.

Matertere, ſœur de la mere Tante.

III. Ab initio Eccleſiæ ad hæc uſque tempora, non idem ſemper uſus obtinuit. Aliquando non fuere prohibita Matrimonia conſobrini cum conſobrina, teſte S. Auguſtino L. 15. de civitate Dei cap. 16. *Id*, inquit, *nec divina prohibuit, & nondum prohibuerat lex humana*. Ea tamen ſubinde prohibuit Theodoſius Senior: *Tantùm*, inquit Aurelius Victor, *pudori tribuens & continentiæ, ut conſobrinorum nuptias voluerit, tanquam ſororum*. Hujus legis meminit S. Ambroſius Epiſtola 60. aliàs 48. ad Paternum. Hanc quoque indigitat S. Auguſtinus loco mox citato, *Quis dubitet*, inquit, *honeſtiùs hoc tempore etiam conſobrinarum prohibita eſſe conjugia*. Legem hanc Theodoſii abrogarunt an. 405. Arcadius & Honorius, facta licentia conſobrinis inter ſe conjugia celebrandi. Extat lex iſta quæ inſcribitur, *Celebrandis*. L. 5. Codicis Juſtiniani art. 4.

T. 7. p. 398. E.

T. 2. p. 2019. n. 8.

T. 7. p. 398. F.

Eccleſiæ autem probatam non fuiſſe immutationem hanc, colligimus ex ſtatutis eccleſiaſticis quibus dicta conjugia prohibentur. *Hos inceſtos cenſemus eſſe*, ajunt Patres Conc. Agathenſis an. 506. *ſi quis conſobrinæ ſuæ ſe ſociaverit*. Idem prohibet Concilium Turonenſe II. ann. 567. Can. 21. Et S. Gregorius Magnus labente ſexto ſæculo, reſcribens ad Auguſtinum Anglorum Epiſcopum, *Terrena lex*, inquit, *in Romana Republica permittit, ut ſive fratris, ſive ſororis, ſeu duorum fratrum germanorum, vel duarum ſororum filius & filia miſceantur; ſed experimento didicimus, ex tali conjugio ſobolem non poſſe ſuccreſcere; & ſacra Lex prohibet cognationis turpitudinem revelare. Unde neceſſe eſt, ut jam tertia aut quarta generatio licenter ſibi jungi debeat: nam ſecunda quam diximus, à ſe omnino debet abſtinere.* Cum ipſis itaque Anglis diſpenſavit S. P. ut in quarto gradu conjuncti ſanguine poſſent inter ſe celebrare nuptias, quod ad cæteros Fideles noluit extendi, ſicut ipſemet declarat reſcribens ad Fœlicem Meſſanenſem L. 14. Epiſt. 17. aliàs L. 12. Epiſt. 32. *Quod autem*, inquit, *ſcripſi Auguſtino Anglorum gentis Epiſcopo.... de conſanguinitatis conjunctione; ipſi & Anglorum genti, quæ nuper ad fidem venerat, ne à bono quod cœperat, metuendo auſteriora recederet, ſpecialiter, & non generaliter cæteris me ſcripſiſſe cognoſcas. Unde & mihi omnis Romana civitas extitit teſtis, nec ea intentione hæc illis ſcriptis mandavi, ut poſtquam firma radice in fide fuerint ſolidati, ſi infra propriam fuerint conſanguinitatem inventi non ſeparentur; aut infra affinitatis lineam, ideſt uſque ad ſeptimam generationem conjungantur*. Sed communis eorum temporum, uſque ad annum 1215. quo celebratum eſt Concilium Lateranenſe IV. uſus ac diſciplina fuit, ut Matrimonia inter conſanguineos prohiberentur ad ſeptimum uſque gradum. Ita decrevit Gregorius III. S. P. an. 731. in Epiſtola ad Bonifacium: *Progeniem verò ſuam*, inquit n. 5. *unumquem-*

Tom. 4. Conc. p. 1893. Can. 61

Tom 6. Conc. p. 871.

T. 2. p. 1154. A.

Ibid. p. 1277. C.

que

Tom.6. Conc.p. 1469. B.

quæ uſque ad ſeptimam generationem obſervare decrevimus. Et Alexander II. verſùs annum 1061. Epiſtola 38. ſic ſcribebat: *In ſeptem gradibus ſi canonicè,& uſualiter numerentur, omnia propinquorum nomina continentur; ultra quos nec conſanguinitas invenitur, nec nomina graduum reperiuntur.*

Tom.9. Conc.p. 1142.B. To. 11. Concip. 201.C.

Concilium verò Lateranenſe IV. ſub Innocentio III. ann. 1215. Can. 50. reſtrinxit conſanguinitatem ad quartum gradum incluſivè. *Prohibitio*, inquit, *copulæ conjugalis quartum conſanguinitatis & affinitatis gradum de cætero non excedat: quoniam in ulterioribus gradibus jam non poteſt abſque gravi diſpendio hujuſmodi prohibitio generaliter obſervari .... Cùm ergo jam uſque ad quartum gradum prohibitio conjugalis copulæ ſit reſtricta, eam ita eſſe volumus perpetuam.* Atque hæc jam viget Eccleſiæ diſciplina. Novatores contendunt non alios debere prohiberi ab Eccleſia cognationis gradus, quàm quos prohibuit lex Moſaica Levitici 18. Hos refellit Bellarminus de Matr. cap. 27.

Quæres 7. quo jure conſanguinitas irritet Matrimonium.

Reſp. 1. in quolibet gradu lineæ rectæ aſcendentium & deſcendentium, & in primo lineæ collateralis, eorum nempe qui neque nos genuerunt, neque à nobis geniti ſunt, conjugium jure naturali prohiberi. Contrarium videtur Pontio L.7. cap. 31. & 32. ubi docet in recta tantùm linea & in primo gradu, prohiberi Matrimonium patris cum filia, filii cum matre; in linea verò collaterali, in nullo gradu, ne quidem inter fratrem & ſororem, jure naturali irritum eſſe. Verùm contraria ſententia fundatur in ipſo ſenſu naturali reverentiæ quam debemus parentibus noſtris, & quam ſibi quoque invicem debent fratres & ſorores; unde & apud nationes maximè barbaras rarò admodum occurrunt exempla Matrimonii fratris cum ſorore: cæteri verò gradus videntur jure dumtaxat eccleſiaſtico, à quo diſpenſare poteſt Eccleſia, prohibiti.

Amita, ſœur de pere, tante du cote paternel.

Neque eſt quòd opponas legem Dei, Levitici 18. qua nepotum cum amitis Matrimonia prohibentur; lex quippe illa, quamquam divina, ut & aliæ benè multæ veteris Inſtrumenti purè ceremoniales & legales, vim non habent in Lege Evangelica, cùm non ſint de re jure naturali, ſed divino dumtaxat poſitivo, prohibita.

Quare verò impedimentum conſanguinitatis in illis gradibus induxerit Eccleſia, multiplex à ſancto Thoma cæteriſque Theologis ratio adducitur: tùm ex reverentia debita conſanguineis; tùm ex familiaritate inter conſanguineos, quæ ſuſpecta redderetur, ſi conjugali fœdere uniri inter ſe poſſent; tùm ex charitate & amicitia, quæ debet inter extraneos foveri ac diffundi per affinitates quæ ex fœdere conjugali oriuntur.

An Eccleſia diſpenſare poſſit, & quibus de cauſis, ab impedimento conſanguinitatis.

Quæres 8. an Eccleſia diſpenſare poſſit ab impedimento conſanguinitatis.

Reſp. 1. Eccleſiam diſpenſare non poſſe, neque in gradibus lineæ directæ, neque in primo lineæ collateralis. Ratio eſt, quia non poteſt Eccleſia diſpenſare in iis quæ ſunt jure ipſo naturali prohibita.

To. 14. Conc.p. 878.D.

Reſp. 2. Eccleſiam diſpenſare poſſe in ſecundo, tertio, & quarto gradu, in quibus ſolo jure poſitivo eccleſiaſtico prohibentur nuptiæ. Verùm nonniſi gravi de cauſa inter magnos Principes diſpenſat in ſecundo. Ita Conc. Trid. Seſſ. 24. cap. 5. *In contrahendis Matrimoniis*, inquit, *vel nulla omnino detur diſpenſatio, vel rarò, idque ex cauſa, & gratis concedatur. In ſecundo gradu nunquam diſpenſetur, niſi inter magnos Principes, & ob publicam cauſam.* Ob talem cauſam diſpenſavit Alexander IV. S. P. cum Valdemaro

Sue-

Suecorum Rege, ut Sophiam neptem ſuam, filiam ſcilicet Henrici Danorum Regis fratris ſui, duceret uxorem. Diſpenſatum pariter cum Philippo II. Hiſpaniarum Rege, ut uxorem haberet Annam Auſtriacam neptem ſuam, natam ſcilicet ex germano fratre Maximiliano Romanorum Imperatore. Similem diſpenſationem pro fratre ſuo poſtulanti Alphonſo Regi Arragoniæ, non conceſſit Joannes XXII. quòd non eſſet ſufficiens cauſa diſpenſandi, admonens in Brevio ſuo, *ſe iis, cum Dei offenſa, proximi & Eccleſiæ præjudicio, aſſenſum præbere non poſſe: cùm ſtatuta Canonum*, ait, *non ſunt niſi pro utilitate Eccleſiæ vel neceſſitate mutilanda; & cùm hic nec diſſenſio vigeat, nec ſubſit materia ex qua poſſit probabiliter oriri, patet quòd non poteſt ſine tranſgreſſione Canonum tale beneficium obtineri.* Fevret L. 5. c. 3. n. 5. p. 62.

Quæres 9. quid præſcribat Synodus Trid. circa diſpenſationem concedendam ad Matrimonium in gradibus prohibitis contrahendum.

Reſp. ita jubere Synodum Seſſ. 24. cap. 5. *Si quis*, inquit, *intra gradus prohibitos ſcienter Matrimoninm contrahere præſumpſerit, ſeparetur, & ſpe diſpenſationis conſequendæ careat: idque eo multò magis locum habeat, qui non tantùm Matrimonium contrahere, ſed etiam conſummare auſus fuerit. Quòd ſi ignoranter id fecerit, ſiquidem ſolemnitates requiſitas in contrahendo Matrimonio neglexerit, eiſdem ſubjiciatur pœnis: non enim dignus eſt, qui Eccleſiæ benignitatem facilè experiatur, cujus ſalubria præcepta temerè contempſit. Si verò ſolemnitatibus adhibitis impedimentum aliquod poſtea ſubeſſe cognoſcatur, cujus ille probabilem ignorantiam habuit, tunc faciliùs cum eo, & gratis diſpenſari poterit.* T. 14. Conc. p. 878.

Tria hìc præſcribit Concilium. 1. ut qui Matrimonium contraxit & conſummavit, cum aliquo impedimento cujus ſibi conſcius erat, ille ſeparetur ſine ſpe diſpenſationis obtinendæ: unde inferes, omnino neceſſe eſſe ut oratores hanc non omittant circumſtantiam, nempe ſe ignoraſſe, vel cognoviſſe tale impedimentum. 2. eum qui Matrimonium contraxit cum aliquo impedimento quod revera ignorat, ſi tamen neglexerit obſervare ſolemnitates requiſitas, iiſdem pœnis eſſe ſubjiciendum: hanc igitur circumſtantiam exponere neceſſe pariter eſt. 3. declarat Concilium, faciliùs cum eo diſpenſandum qui contraxit cum impedimento quod ignorabat, & qui obſervavit aliunde ſolemnitates ab Eccleſia præſcriptas.

Quæres 10. quæ ſint cauſæ propter quas ſolent SS. Pontifices diſpenſare ab impedimento conſanguinitatis, vel affinitatis.

Reſp. iſtas vulgò aſſignari. 1. *propter anguſtiam loci, in quo mulier vix poteſt alios quàm ſibi conſanguineos viros invenire.* 2. *propter dotem minùs competentem.* 3. *ad conſervationem divitiarum in eadem cognatione ampliſſimarum, ne cauſa dotis diſtrahantur ad aliam cognationis familiam.* 4. *propter conſervationem illuſtris familiæ in eodem ſanguine.* 5. *propter excellentiam meritorum.* 6. *propter prolem ex conſanguinea bona fide ſuſceptam.* 7. *propter dotem cum augmento uſque ad quantitatem dotis competentis.* 8. *propter indotatam.* 9. *propter lites ſuper ſucceſſione bonorum momenti, ne mulier defectu viri liti ſuccumbat.* 10. *propter graves inimicitias inter conſanguineos vel affines componendas.* 11. *propter pacem confirmandam.* 12. *propter oratricem filiis gravatam.* 13. *propter oratricem excedentem vigeſimum quartum annum, quæ hactenus viros paris conditionis, quibus nubere poſſet, non invenit.*

Digitized by Google

venit. 14. *propter infamiam & ſcandalum ſine copula.* 15. *propter copulam ſcienter veſana libidine, non verò ut faciliùs obtineatur diſpenſatio &c.* quam ultimam clauſulam apponere ſolent SS. Pontifices in ſuis Literis ſeu mandatis ad diſpenſandum: unde caveant oratores ne ad faciliùs obtinendam diſpenſationem, crimen committant. Illas omnes cauſas & rationes obtinendi diſpenſationes ab impedimento conſanguinitatis, ac formulam qua debet exponi ſupplicatio oratoris vel oratricis, accuratè & fusè exponit & explicat Pyrrhus Corradus in Opere cui titulus eſt, *Praxis diſpenſationum Apoſtolicarum* L.7.c.2.& 3. Legi etiam poteſt Thomas Sanchez L.8. qui totus eſt de diſpenſationibus, diſput. 24. & 25.

Obſerva autem diligenter, quod jam monuimus, cauſas illas quas oratores exponunt, debere veritate niti, ne diſpenſatio ſubreptionis vel obreptionis vitio laboret. Ita expreſsè declaravit S. Pius V. cujus motum, ut vocant, proprium refert mox citatus Pyrrhus Corradus L.7.c.4. *Quanti enim*, ait Auctor ille ibid. n.1. *ponderis ſit unam cauſam pro alia, ac falſam pro vera exprimere, ſatis vir timoratæ conſcientiæ deprehendet, cùm ex hoc animarum jacturæ hominum, non per tramites rationis & veritatis ambulantium, in immenſum oriantur.*

Quæres 11. quid ſentiendum ſit de illis diſpenſationibus quas S. P. concedit aliquando ſub hac formula, *ex certis rationabilibus cauſis, vel etiam ſine cauſa.*

Reſp. diſpenſationes hujuſmodi ex ſe validas eſſe. Sanchez L.8. diſput. 19. n.35. reſpondet, tales diſpenſationes revera non eſſe ſine cauſa: ipſe verò iſtam ibidem indicat. *Tunc enim*, inquit, *copioſior pecuniaria compoſitio exigitur ab eo, cui eſt diſpenſatio indulgenda; atque ea eſt ad ſumptus publicos. Quæ utique ſufficiens atque juſta cauſa reputatur diſpenſandi in gradibus non ita propinquis.* Meliùs, noſtro quidem judicio, reſpondet Pyrrhus Corradus L.7. cap.2. n. centeſimo undecimo, *S. Pontificem nuſquam diſpenſare ſine cauſa ſibi cognita, licet propter honorem mulieris, vel aliam rationem, cauſam illam non exprimat.* Unde nu. ſequenti ait *neceſſe non eſſe ut Judices inquirant in veritatem cauſarum hujuſmodi, quæ generatim dumtaxat exprimuntur;* quia, inquit ille, *ſunt verba generalia appoſita, non ut verificentur, ſed potius ad gratiam quodam honeſtatis ſpecimine induendam. Cujus quidem ratio eſt*, ait Sanchez L.8. diſput.35. nu.24. *quòd quando Pontifex vult cauſas verificari, eas in ſpecie narrat; atque fruſtra ſine cauſa concederetur talis diſpenſatio, ſi eæ cauſæ generales eſſent verificandæ. Unde generaliter habemus*, pergit Corradus, *quòd quotieſcunque in Reſcriptis Apoſtolicis adſunt verba*, ex certis rationabilibus cauſis; *licet videantur eſſe pars gratiæ, & propterea verificandæ, nihilominus deſerviunt tantùm ad explicandum cauſas in animo & opinione oratorum exiſtentes, quaſi dicerent, appenſantes, conſiderantes, & cogitantes certas cauſas.*

T.3.p. 79. T.3.p. 169.

Quæres 2. an quando contingit ſupplices eſſe in variis gradibus conſanguinitatis, ex parte unius vel duplicis ſtipitis, v.g. in ſecundo & tertio ex uno, ac tertio & quarto ex altero, neceſſe ſit utrumque gradum exprimere, propinquiorem nempe & remotiorem.

Pius IV. an. 1560 S. Pius V. an. 1566. Clemens VI. an. 1341.

Reſp. Pium IV. Conſtitutione quidem ſua voluiſſe ut diſtinctè uterque gradus propinquior & remotior exprimeretur, ut valida foret diſpenſatio: at poſtea S. Pius V. declaravit ſatis eſſe ſi exprimeretur *gradus remotior qui trahit*

bit ſecum propinquiorem, aitque in ſua ea de re Conſtitutione, *ita olim obſer-* Grego-
vatum fuiſſe, ante Conſtitutionem Pii IV. quæ à diſpoſitione juris communis, rius XI.
inquit, *& laudabili ac antiquo Romanæ Curiæ ſtylo nimiùm receſſit, ac fa-* an. 1370
vorem Matrimonii debitum reſtrinxit. Ibidem nihilominus declarat S. Pius Corradus
V. 1. *ſe nullatenus intendere diſpenſare in primo gradu*. 2. *quòd etſi ſufficiat in* L. 7. c. 7. n.
ſupplicatione exprimere gradum remotiorem, ut valeat diſpenſatio, nihilominus 58. pag.
debeant poſtea obtineri Literæ declaratoriæ ſuper gradu propinquiore, juxta 298. integram
Gregorii XI. & Clementis VI. Conſtitutiones, quas quoad hoc innovat & in- refert
violabiliter obſervari mandat. Uſu apud nos recepto, Literæ illæ declara- S. Pii V.
toriæ non ſunt neceſſariæ. Bullā.

Quòd ſi oratores conſanguinei ſint in ſecundo v. g. ad quintum gradum, vel affines in primo & tertio, affinitate proveniente ex fornicatione, an neceſſe eſt remotiorem dumtaxat gradum expreſſiſſe, ut obtineatur diſpenſatio?

Reſpondet Pyrrhus Corradus L. 7. cap. 1. cùm oratores conſanguinei ſunt in primo & quinto v. g. gradibus, tacito primo gradu, nullam & caſſam eſſe diſpenſationem, quia expreſsè S. Pius V. declaravit ſuam mentem non eſſe diſpenſare in primo gradu. Si verò oratores conſanguinei ſunt in ſecundo & quinto gradu, non opus eſſe diſpenſatione, quia quintus gradus non eſt amplius impedimentum dirimens; & cùm gradus remotior trahat propinquiorem, conſequenter neceſſe non eſt exprimere ſecundum illum gradum. Idem reſpondet erga primum & tertium gradum affinitatis provenientis ex fornicatione. Cùm enim per Concilium Tridentinum impedimentum illud ſit reſtrictum ad primum & ſecundum gradum, ſi quis eam affinitatem contraxit in primo, & tertio, vel quarto gradu, diſpenſatione non indiget, quia tertius ille gradus non eſt amplius impedimentum dirimens, & conſequenter propter rationem mox adductam, neceſſe non eſt primum exprimere, quia remotior trahit propinquiorem, maximè cùm S. Pius V. idem non declaraverit reſpectu affinitatis ex fornicatione provenientis, quod reſpectu conſanguinitatis, nempe ſibi animum non eſſe diſpenſandi in primo gradu.

Quæres ultimò: ſi quis contraxit Matrimonium cum impedimento dirimente quod ignorabat, à quo tandem, poſtquam illud cognovit, diſpenſationem petiit; verùm antequam eam obtineret, è vivis exceſſit: an poſtmodum conceſſa diſpenſatio prius Matrimonium validum efficiat, & prolem ex eô ſuſceptam reddat legitimam.

Reſp. affirmativè. Vocatur hæc formâ diſpenſandi, *in radice*; quia ſcilicet S. Pontifex per eam revocat Matrimonium ad terminos juris naturæ, removendo omne obſtaculum Juris canonici poſitivi; & conſequenter reddit & declarat prolem legitimam quoad omnes juris effectus, perinde ac ſi nullum ab initio ſeu in radice fuiſſet impedimentum. Aliqua eam in rem exempla profert Fevretius L. 5. de abuſu c. 3.

De impedimento affinitatis.

Triplex hìc diſtinguenda affinitas, carnalis, ſpiritualis, & legalis; ex qualibet enim oritur impedimentum Matrimonii. P. 48.

De aſ-

De affinitate carnali ſeu ſanguinis.

Quæres 1. quid ſit affinitas illa ſanguinis.

Reſp. eſſe conjunctionem ſeu propinquitatem inter aliquas perſonas ortam ex copula carnali, ſive licita per Matrimonium, ſive illicita extra Matrimonium. Sic Petrus qui in uxorem duxit Mariam, affinis eſt conſanguineis Mariæ; & vice verſa Maria eſt affinis conſanguineis Petri. Ita pariter qui illicitè conjunctus fuit extra Matrimonium cum Maria, fit affinis conſanguineis ipſius, & vice verſa.

Quæres 2. quotuplex olim diſtingueretur genus affinitatis, ſeu inter quas perſonas exurgeret talis affinitas ex copula carnali.

Reſp. triplex olim diſtinctum fuiſſe genus affinitatis: primum, ſi Maria fratri meo ſit Matrimonio conjuncta, eſt mihi & ſorori meæ affinis in primo genere; ſi autem fratre meo defuncto, eadem Maria nubat Petro, Petrus fit mihi & ſorori meæ affinis in ſecundo genere; ſi verò Maria defuncta Petrus nubat cum Anna, fit mihi Anna affinis in tertio genere.

Quæres 3. an triplex illud affinitatis genus quod olim fuit in uſu, & Matrimonium dirimebat, adhuc perſeveret.

Reſp. negativè. Namque Concilium Lateranenſe IV. ſub Innocentio III. an. 1215. ſolo retento priori genere, ſecundum & tertium ſuſtulit Can. 50. his verbis: *Cùm prohibitiones de conjugio in ſecundo & tertio affinitatis genere minimè contrahendo, & de ſobole ſuſcepta ex ſecundis nuptiis cognationi viri non copulanda prioris, & difficultatem frequenter inducant, & aliquando periculum pariant animarum: ut ceſſante prohibitione ceſſet effectus, Conſtitutiones ſuper hoc editas, ſacri approbatione Concilii revocantes, præſenti Conſtitutione decernimus, ut ſic contrahentes de cætero liberè copulentur.* Itaque affinitas quæ jam impedimentum eſt Matrimonii, contrahitur dumtaxat inter feminam & conſanguineos mariti, & vice verſa inter maritum & conſanguineos feminæ: inter ipſum verò maritum & uxorem propriè loquendo non eſt affinitas, cùm ſint duo in carne una; ſed ipſi ſunt veluti ſtipes ſeu truncus unde ſumitur initium affinitatis. Pariter affinitas non intercedit inter conſanguineos mariti & conſanguineos uxoris; ſed conſanguinei dumtaxat mariti fiunt affines uxori ipſius, & vice verſa conſanguinei uxoris fiunt affines marito. Unde juxta diſciplinam jam receptam, pater & filius poſſunt ducere matrem & filiam; duæ ſorores nubere poſſunt cum duobus fratribus; frater & ſoror, cum fratre & ſorore; filius uxoris cum filio viri. Ratio hujus diſciplinæ hæc eſt, quòd nempe affinitas affinitatem non parit; nec enim affinis uxoris eſt affinis viri, nec viciſſim.

T. 11. Conc. p. 201. B.

Quæres 4. qua ratione computari debeant gradus affinitatis.

Reſp. in utraque linea, ſive recta, ſive collaterali, gradus affinitatis computari debere ex gradibus conſanguinitatis. Unde regula generalis & apud omnes receptiſſima hæc eſt, nempe, Juxta parentelam viri, numeranda quoque & uxoris; & quo gradu quis diſtat in conſanguinitate à viro, eodem gradu affinitatis diſtat ab ejus uxore. Sic v.g. ſi pater meus ſecundò nubat cum Maria, hæc mihi affinis fit in primo gradu lineæ rectæ aſcendentium. Si frater meus nubat cum Anna, hæc mihi affinis fit in primo gradu lineæ collateralis.

Quæ-

Digitized by Google

Quæres 5. quo in gradu affinitatis contractũ Matrimonium nullũ ſit & irritũ.

Reſp. 1. in gradu affinitatis rectæ lineæ ſemper prohibitum & nullum fuiſſe contractum Matrimonium. Ita S. Paulus 1. Cor. 5. tanquam nefandum ſcelus arguit in eo qui uxorem patris ſui habebat. Nullum itaque eſt Matrimonium inter ſocerum & nurum; ſocrum & generum; privignum & novercam & vitricum; atque obſervat Fevretius L. 5. de abuſu cap. 3. n. 6. tanquam ab abuſu appellatum aliquando fuiſſe, quando nonnulli SS. Pontifices ab hoc impedimento diſpenſare voluerunt; ipſamque & diſpenſationem, & quod ſecutum fuerat conjugium, in irritum miſiſſe ſæculares Judices: quòd nempe exiſtimarent, jure ipſo naturali (quod diſpenſationem non admittit) prohibita eſſe hujuſmodi conjugia, propter honeſtatem ac reverentiam publicam quæ debet eſſe inter perſonas mox appellatas. *Affinitatis enim veneratione*, ait Lex, *ſocrum & novercam prohibitum eſt uxores ducere, quia loco matris ſunt.*

Socer, beau-pere. Nurus, belle-fille. Socrus, belle-mere. Gener, gendre mari de la fille. Privignus, beau-fils.

Reſp. 2. in linea collaterali prohibitum olim conjugium uſque ad ſeptimum affinitatis gradum: at jure per Conc. Lateranenſe IV. inducto, impedimentum illud ad quartum incluſivè gradum reſtrictum fuiſſe. *Prohibitio quoque copulæ conjugalis*, ait Can. 50. *quartum conſanguinitatis, & affinitatis gradum de cætero non excedat: quoniam in ulterioribus gradibus jam non poteſt abſque gravi diſpendio hujuſmodi prohibitio generaliter obſervari.* Si igitur Petrus in uxorem duxerit Mariam, ea defuncta, non poterit ſine diſpenſatione ducere aut ſororem, aut conſobrinam aliaſque conſanguineas Mariæ, uſque ad quartum gradum.

Noverca, belle-mere. Vitricus, beau-pere à l'égard des enfãs d'un autre lit.

Quæres 6. an ex copula illicita extra Matrimonium, oriatur affinitas; & ad quem uſque gradum ſit impedimentum dirimens Matrimonium.

Reſp. 1. certum eſſe ex copula carnali illicita contrahi affinitatem. Cap. *Diſcretionem. De eo qui cognovit conſanguineam uxoris ſuæ.* Sunt & alia multa vetera ſtatuta quæ recenſet Pontius L. 7. c. 33.

Tom. 11. Concil. p. 101. C. Decret. p. 1502.

Reſp. 2. olim in iiſdem gradibus affinitatis ex copula, ſive licita, ſive illicita, prohibitum æqualiter fuiſſe Mtrimonium: at Conc. Trid. Seſſ. 24. cap. 24. impedimentum illud affinitatis ex fornicatione, non ultra primum & ſecundum gradum protendi voluit. Sic loquitur: *Sancta Synodus eiſdem & aliis graviſſimis de cauſis adducta, impedimentum, quod propter affinitatem ex fornicatione contractam inducitur, & Matrimonium poſtea factum dirimit, ad eos tantùm, qui in primo & ſecundo gradu conjunguntur, reſtringit. In ulterioribus verò gradibus ſtatuit, hujuſmodi affinitatem Matrimonium poſtea contractum non dirimere.* Si itaque Petrus v. g. carnaliter cognovit Mariam, non poteſt ſine diſpenſatione Matrimonium contrahere, vel cum ſorore, vel cum nepte ipſius; quia ſoror eſt in primo, neptis in ſecundo gradu, in quibus affinitas ex fornicatione contracta dirimit Matrimonium. Idem declarat S. Pius V. cujus Conſtitutionem refert Pyrrhus Corradus L. 7. cap. 1.

Tom. 14 Conc. p. 878.

Quæres 7. ſi contingat uxoratum peccare cum ſorore, vel nepte ſuæ uxoris, an diſſolvatur Matrimonium.

Reſp. negativè: Matrimonium quippe, ex dictis ſuperiùs, legitimè contractum & conſummatum, ſola morte poteſt diſſolvi. Verùm per iſtud crimen impeditur uſus Matrimonii, nec poteſt ille debitum petere, quamquam

petenti reddere poſſit; pars quippe innocens & delicti ignara, puniri non debet propter alterius peccatum. Cap. *Diſcretionem. De eo qui cognovit &c.* Et cap. *Tua fraternitatis*. Debet itaque eo in caſu qui peccavit confugere ad Epiſcopum, ut diſpenſationem obtineat & ſalubrem accipiat pœnitentiam.

Decret. p. 1501 & 1506.

Quòd ſi peccaverit ille cum conſanguinea uxoris ſuæ in tertio vel quarto gradu, non videtur uſus Matrimonii propterea impediri, juxta Navarrum L.4. Conſiliorum, Pontium L.7. c.33. quia in illis tantùm gradibus uſus impeditur Matrimonii, in quibus Matrimonium ipſum nullum eſt: at in primo & ſecundo tantùm gradu affinitatis ex copula illicita provenientis, nullum redditur Matrimonium.

Obſerva cum Thoma Sanchez L.7. diſp.15. n.15. affinitatem impedientem Matrimonium vel ejus uſum, non oriri niſi ex copula cum conſanguineis conjugis, non verò cum propriis conſanguineis; quia jura, quibus ſtatuitur hoc impedimentum, non loquuntur expreſsè de inceſtu cum propriis conſanguineis; leges autem odioſæ ac pœnales non ſunt ultra verborum proprietatem extendendæ, ſed reſtringendæ potius, quantùm illa permittit.

Tom. 2. p. 164.

Obſerva affinitatem non contrahi niſi ex copula perfecta, & qualis ad generationem requiritur. Ita S. Th. in 4. diſt.41. qu. unica qu.4. ad 2.

Quæres 8. quo jure affinitas ex copula contracta ſit impedimentum dirimens Matrimonium.

Nurus, belle-fille Bru, la femme du fils. Patruus, frere du pere, oncle paternel.

Reſp. 1. quantùm ad lineam rectam, plures Theologos in ea eſſe ſententia, jure ipſo naturali prohiberi inter affines conjugia; quod probant ex teſtimonio S. Pauli 1. Cor.5. jam citato. Jure pariter divino poſitivo fuiſſe prohibita in Lege veteri, patet ex c.18. Levitici ubi dicitur: *Turpitudinem uxoris patris tui non diſcooperies, turpitudo enim eſt patris tui.* Pariter: *Turpitudinem nurus tuæ non revelabis, quia uxor filii tui eſt.* Pariter: *Turpitudinem patrui tui non revelabis, nec accedes ad uxorem ejus, quæ tibi affinitate conjungitur.*

Noverca, belle mere à l'égard des enfâs d'un autre lit. Privignus, beau fils du mari ou de la femme d'un autre lit.

Tom. 4. Conc. p. 1393. & 1579. Tom. 5. Conc. p. 298.

Verùm non deſunt qui cum Pontio L.7. c.34. exiſtimant, ne primum quidem gradum affinitatis in linea recta dirimere Matrimonium jure naturali, ac poſſe ſuper eo diſpenſari; quamquam nonniſi ex graviſſima cauſa, propter indecentiam quæ alioquin apparet in tali Matrimonio, præſertim inter novercam & privignum; qua de re conſuli poteſt Sanchez L.7. diſp.66. n.7. Probant verò, tùm ex Can.61. Conc. Agathenſis & Can.30. Conc. Epaunenſis, ubi prohibetur quidem Matrimonium privigni cum noverca, ſed tamen additur, *ut ſi ante prohibitionem contractum fuerit, non diſſolvatur*. Idemque ſtatuit ibid. & iiſdem verbis, de Matrimonio cum relicta fratris, vel avunculi, quod ferè omnes fatentur irritum non eſſe jure naturali: quare putant ex mente eorum Conciliorum de priori pariter eſſe judicandum. Confirmat Pontius L.7. c.34. ex Can.10. Conc. Aurelianenſis III. ubi ſtatuit, *ut non ſolvantur Matrimonia ante Baptiſmum contracta cum relicta patris, filia uxoris, relicta fratris, ſorore uxoris, ſobrina, conſobrina, vel relicta avunculi vel patrui*. Cenſet igitur ea naturali jure fuiſſe valida. Ad auctoritatem verò Apoſtoli citatam 1. Cor.5. reſpondent, Apoſtolum loqui de eo qui vivente patre uxorem ipſius acceperat, quod ait eſſe inauditum, etiam apud Gentes: at inſolens & inauditum non fuiſſe apud

Gen-

Gentiles Matrimonium privigni cum noverca à patre mortuo derelicta; imò à pleriſque uſitatum tanquam legitimum, oſtendit Sanchez citata diſp. 7. teſtimoniis Veterum. Ad auctoritatem verò Levitici, fatentur ejuſmodi connubia jure divino poſitivo ac purè legali, (quod in nova Lege non obſtringit) fuiſſe prohibita, non verò jure divino naturali.

Reſp. 2. quantùm ad lineam collateralem ſeu tranſverſam, affinitatem etiam in primo gradu Jure dumtaxat eccleſiaſtico, in quo diſpenſari poteſt, eſſe impedimentum dirimens. *Nullus gradus affinitatis in linea tranſverſa*, ait Sanchez L. 7. diſp. 66. n. 11. *ita eſt prohibitus, ut irritet Matrimonium jure naturæ, quamvis præſeferat aliquam naturalem indecentiam, niſi cauſa aliqua juſta cohoneſtetur.* Tom. 2. p. 225. Patet 1. Quia Jacob cum duabus ſororibus, Lia & Rachele, contraxit, quod certe non feciſſet, ſi naturali juri fuiſſet contrarium. 2. Deut. 25. v. 5. Matrimonium mulieris cum fratre ſui mariti defuncti, non tantùm licitum, ſed & præceptum fuit, ſi ex eo prolem non ſuſcepiſſet. *Quando habitaverint fratres ſimul*, ait ſacer Contextus, *& unus ex his abſque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri, ſed accipiet eam frater ejus, & ſuſcitabit ſemen fratris ſui; & primogenitum ex ea filium nomine ejus appellabit, ut non deleatur nomen ejus ex Iſrael.* 3. Quia Eccleſia diſpenſavit aliquando cum aliquibus in primo affinitatis gradu. Sic diſpenſavit Innoc. III. cum Livionenſibus, ut videre eſt cap. ultimo. *De divortiis.* Martinus V. diſpenſavit cum viro nobili, ſicut ex Archidiacono refert Sylveſter. Alexander VII. diſpenſavit cum Emmanuele Rege Decret. p. 1561 Luſitaniæ, ut duceret ſororem uxoris defunctæ; & Julius II. ſimiliter diſpenſavit cum Henrico VIII. Rege Angliæ, ut duceret Catharinam uxorem fratris ſui Arturi demortui, quamquam non erat illius affinis, ſi, ut aſſeverant Hiſtorici, Arturus nondum Matrimonium conſummaſſet. Cùmque poſtea Rex ille captus amore alterius, contenderet hanc diſpenſationem non potuiſſe dari à S. P. Clemens VII. conſultis celeberrimis Chriſtianarum Academiarum Theologis, pronuntiavit Julium validè ac legitimè diſpenſaſſe; ac proinde Matrimonium Henrici cum Catharina eſſe validum ac firmum, quia conſummatum, ſiquidem filiam ex ea ſuſceperat. Quæ de diſpenſationibus circa impedimentum conſanguinitatis antea diximus, accommodari facilè poterunt impedimento affinitatis.

De affinitate ſpirituali.

Quæres 1. quid ſit affinitas ſpiritualis.

Reſp. eam eſſe quæ contrahitur tùm ex collatione Baptiſmi & Confirmationis, tùm ex ſuſceptione eorum qui hæc percipiunt Sacramenta.

Quæres 2. an affinitas illa ſpiritualis impediat Matrimonium contrahendum, & dirimat contractum.

Reſp. affirmativè. Cap. 1. *De cognatione ſpirituali*, in Sexto. Et c. *Veniens.* Eodem titulo. *Si inter eos*, ait Nicolaus I. S. P. reſpondens ad conſulta Bul- Sext. p. 603. garorum c. 2. *Non contrahitur Matrimonium, quos adoptio jungit, quanto po-* Decret. *tius à carnali oportet inter ſe contubernio ceſſare, quos per cæleſte Sacramentum* p. 1496. *regeneratio Spiritus ſancti vincit? Longè igitur congruentiùs filius patris mei,* Tom. 8. *vel frater meus appellatur is, quem gratia divina, quàm quem humana vo-* Conc. p. *luntas, ut filius vel frater meus eſſet, elegit.* 517. B.

Et L. 5. Codicis Juſtiniani titulo 4. c. 26. ita legimus: *Ea perſona omnino*
P. 411. *ad nuptias venit prohibenda, quam aliquis, ſive alumna ſit, ſive non, à ſacroſancto ſuſcepit Baptiſmate; cùm nihil aliud ſic inducere poteſt paternam affectionem, & juſtam nuptiarum prohibitionem, quàm hujuſmodi nexus, per quem, Deo mediante, animæ eorum copulatæ ſunt.*

Difficile eſt aſſignare, quo primum tempore inductum fuerit impedimentum iſtud; nulla enim ipſius occurrit mentio in monumentis trium priorum ſæculorum. Pontius L. 7. c. 39. ait primam legem ſcripto ea de re latam extare in Can. 21. Conc. I. generalis Nicæni, ubi dicitur: *Nemo*
Tom. 2. Conc. p. 298. A. *fidelium cum patre aut matre ſpirituali Matrimonium contrahat, id eſt non cum patrinis aut matrinis; & qui hoc commiſerit, habeatur tanquam ethnicus.* Iſtum porro Canonem, qui inter Arabicos extat, non eſſe inter genuinos Concilii Nicæni Canones, conſentiunt eruditi: ex eo tamen prodiiſſe videtur ſimilis Can. 53. Conc. ſexti in Trullo.

Duo hìc quaſi certa videntur. 1. tribus primis ſæculis cùm non ita nu-
Tom. 6. Conc. p. 1168. meroſa foret plebs Chriſtiana, atque interdicta forent connubia Fidelium cum Infidelibus & Hereticis, impedimentum cognationis ſpiritualis locum non habuiſſe, cùm difficile admodum fuiſſet Chriſtianos horum temporum aliquos ad nuptias quærere, quos aut non ſuſcepiſſent in Baptiſmo & Confirmatione, aut à quibus vel eorum conſanguineis ſuſcepti ipſi non fuiſſent. 2. impedimentum cognationis ſpiritualis in uſu fuiſſe ante finem quarti ſæculi, conſtat ex eo, quòd Julius, Innocentius, & Cœleſtinus ea de re conſulti fuerint ipſo quarto Eccleſiæ ſæculo. Teſtem habemus Deodatum S. P. in Epiſtola quam ſcripſit ad Gordianum Hiſpalenſem. *Pervenit*, inquit, *ad nos Diaconus veſter, ſanctitatis veſtræ Epiſtolam deferens, quòd*
Tom. 5. Conc. p. 1648. *quidam viri & mulieres præterito ſabbato paſchali die, præ magno populorum incurſu, neſcientes, proprios filios ſuſcepiſſent ex lavacro ſancto. Cupis ergo ſcire, ſi pro tali accidente ratione debeant viri ac mulieres ad proprium uſum redire, an non. Nos verò mæſti hac in re, inquiſivimus priorum noſtrorum dicta. Invenimus autem in Archivis hujus Apoſtolicæ Sedis, jam talia contigiſſe in Eccleſiis Iſauriæ, Epheſiorum, ſimulque Hieroſolymæ, aliarumque civitatum. Epiſcopis etiam earum civitatum ab hac Apoſtolica Sede volentibus ſcire, utrum viri ac mulieres redirent ad proprium thorum, beatæ memoriæ ſanctiſſimi Patres, Julius, Innocentius, Cœleſtinus, cum Epiſcoporum plurimorum & Sacerdotum conſenſu, in Eccleſia beati Apoſtolorum principis prohibentes talia præſcripſerunt, & confirmaverunt ut nullo modo jam ſe in conjugium reciperent mulieres ac viri, quincumque aliqua ratione ſuſceperunt natos proprios; ſed ſepararent ſe, ne ſuadente diabolo tale vitium inoleſcat.*

Gravem Pontius citato loco patitur ex hac Epiſtola difficultatem, quòd nempe in fine ipſius dicatur: *Mulieres verò cum ſeparatæ fuerint pro hac illicita re à propriis viris, totam præcipimus recipere dotem quam in die nuptiali receperunt, & poſt expletum annum recipiant alium virum, ſimiliter & vir uxorem*: quæ verba à Gratiano citata cauſa 30. q. 1. cap. *Pervenit*. Videntur innuere diſſolvi jam contractum ac conſummatum conjugium, per illam affinitatem ſpiritualem ſupervenientem, quod certè abſurdum & à Catholica fide alienum non immeritò videtur. Propter hæc verba, ac vitium in Chronologia, Editores Concil. ſuſpectam habent dictam Epiſtolam,

Digitized by Google

Tomo 5. pag. 1648. Nihilominus Pontius ſuſpicatur mendum irrepſiſſe; mutatione unius voculæ, ac loco *recipiant alium virum*, legi debere, *recipiant illum virum*, quem nempe habebant illæ mulieres, ſed à quo ſeparatæ fuerant quoad thorum, propter accedentem illam affinitatem.

Quæres 3. inter quos oriatur cognatio illa ſpiritualis, proveniens ex collatione Baptiſmi & Confirmationis, vel ex ſuſceptione eorum qui hæc percipiunt Sacramenta.

Reſp. jure antiquo in multò plures ſe extendiſſe affinitatem hanc, quàm jam ſe extendat poſt Conc. Tridentinum. Antiquitus enim triplex diſtinguebatur ſpiritualis cognatio, aut tres illius ſpecies, nempe paternitas, compaternitas, & confraternitas. Paternitas erat cognatio ſpiritualis inter baptiſantem & confirmantem, tenentemque, & eum qui baptiſatus & confirmatus fuerat, & ab his Sacramentis ſuſceptus: eaque duplex erat, directa, quam ſcilicet contrahebat baptiſans vel ſuſcipiens cum baptiſato, qui filius ſpiritualis cenſetur; & etiam indirecta, quia contrahebat illam baptiſatus cum uxore patrini, ejuſque filiis. Ita Bonifacius VIII. cap. *Inter. De cognatione ſpirituali*, in Sexto. Compaternitas verò erat inter patres baptiſati naturales ex una parte, & patres ſpirituales ejuſdem ex altera. Cap. *Pervenit.* Cauſa 30. q. 1. quæ duplex quoque erat, directa, & indirecta; extendebatur enim ad uxorem compatris, etiamſi commater non fuiſſet. Cap. *Sciſcitatur.* cap. *Si pater.* cap. *Si quis.* Cauſa 30. q. 4. Denique confraternitas erat cognatio ſpiritualis inter baptiſatum & confirmatum ex una parte, & inter filios baptiſantis vel confirmantis vel ſuſcipientis ex altera. Cap. *Ita diligenter.* Inter ipſos verò patrinum & matrinam baptiſati, nulla, etiam jure veteri, erat cognatio ſpiritualis. *Grat. ſi 1572.* Ita ſtatuerat Urbanus II. qui refertur cap. *Quod autem.* Cauſa 30. qu. 4. *Quòd autem uxor*, inquit, *cum marito in Baptiſmate ſimul non debeat ſuſcipere puerum, nulla auctoritate reperitur prohibitum*. Extat quoque de hoc reſponſum Innoc. III. L. 2. Epiſtola ad Raſanenſem Archiepiſcopum. *Quamvis etiam*, inquit, *vir & uxor alienum puerum teneant in Baptiſmo, nulla tamen inter eoſdem virum & uxorem contrahitur compaternitas.* *Ed. Bal. T. 1. pag. 512. col. 2.*

Tandem Conc. Trid. Seſſ. 24. c. 2. impedimentum illud affinitatis, quod olim ad plures ſe extendebat perſonas, reſtrinxit. *Docet*, ait Synodus, *experientia, propter multitudinem prohibitionum multoties in caſibus prohibitis ignoranter contrahi Matrimonia, in quibus vel non ſine magno peccato perſeveratur, vel ea non ſine magno ſcandalo dirimuntur. Volens itaque ſancta Synodus huic incommodo providere, & à cognationis ſpiritualis impedimento incipiens, ſtatuit, ut unus tantum, ſive vir ſive mulier, juxta ſacrorum Canonum inſtituta, vel ad ſummum unus & una, baptiſatum de Baptiſmo ſuſcipiant, inter quos ac baptiſatum ipſum & illius patrem & matrem, nec non inter baptiſantem & baptiſatum, baptiſatique patrem ac matrem tantùm, ſpiritualis cognatio contrahatur . . . Ea quoque cognatio quæ ex Confirmatione contrahitur, confirmantem & confirmatum, illiuſque patrem ac matrem, ac tenentem non egrediatur.* Jubet ib. Synodus, ut Parochi diligenter ſciſcitentur ab iis ad quos ſpectabit, quem vel quos elegerint ut baptiſatum de ſacro fonte ſuſcipiant, & eum vel eos tantùm ad illum ſuſcipiendum admittant, atq; in Libro eorũ nomina deſcribant: *Quòd ſi alii ultra deſignatos baptiſatum tetigerint, cognat. ſpirit. nullo pacto illos contrahere* declarat. *Tom. 14 Conc. p. 877.* *Ib. pag. 878. A.* *Ib. pag. 877. E.*

Quæres 4. An ſit cognatio ſpiritualis inter eos qui nomen dumtaxat imponunt infanti jam domi baptiſato, quando nempe ſolemnes Baptiſmi ceremoniæ in Eccleſia adhibentur.

Reſp. negativè. Stando quippe verbis Conc. Trid. contrahitur tantùm affinitas, cùm infans à ſacro fonte ſuſcipitur, quod certè in caſu adducto non occurrit. Si in dubio de validitate primi Baptiſmi infans iterum ſub conditione baptiſetur, exiſtimat Sylvius & alii non pauci cum illo, contrahi affinitatem: quia tunc ſicut verus eſſe potuit Baptiſmus, ita & verum impedimentum contrahi poteſt; atqui pendente tali dubio, unde ſequi poteſt nullum eſſe Sacramentum Matrimonii, contrahi non debet Matrimonium. Etſi autem ab hac opinione recedere videatur auctor Collationum Pariſienſium, fatetur nihilominus ſatius eſſe, ad pacem conſcientiarum, ſi obtineatur diſpenſatio ab Epiſcopo, qui eam propter dubium indulgere poterit.

Sed ſi infans non ſolemniter domi baptiſetur, an patrinus contrahit affinitatem?

Reſp. 1. cum Rituali Pariſienſi pag. 46. *Patrini non cohibentur, ſi Baptiſmus conferatur extra Eccleſiam.*

Reſp. 2. cùm jura inter publicum & privatum Baptiſma non diſtinguant, videri quòd in caſu propoſito contrahatur affinitas; niſi fortè eas exceperis Diœceſes, in quibus, quemadmodum in Pariſienſi, non admittuntur patrini extra ſolemnem Baptiſmum: tales enim cùm nonniſi per errorem patrini dicantur, non contrahunt affinitatem. Ita ſaltem docet auctor Collat. Pariſienſ. Tom. 2. pag. 277.

Cavere porro debent, ut ſapienter monet Navarrus, ii qui baptiſant, ut in Regiſtris non ſcribant infantem fuiſſe baptiſatum, quando ſuppletæ dumtaxat fuerunt Baptiſmi ceremoniæ, ne ſcilicet inpoſterum credatur ab iis affinitatem fuiſſe contractam, à quibus reipſa contracta non fuit.

Quæres 5. cùm infans per procuratorem è ſacro fonte levatur, inter quos exurgat cognatio ſpiritualis; an inter procuratorem, an verò inter mandantem, puerum &c.

Reſp. non conſentire Theologos: ſunt qui dicunt, mandantem, non verò procuratorem ipſum, contrahere affinitatem. Refert eam in rem Pontius L. 7. c. 39. n. 10. Declarationem Cardinalium. Sunt è contra qui putant affinitatem illam contrahi à procuratore, qui reipſa infantem tangit & de ſacro fonte ſuſcipit. Ubi occurrit caſus hujuſmodi, conſulendus loci Epiſcopus: fatendum tamen eſt priorem Pontii ſententiam altera longè tutiorem eſſe. Hanc Romæ teneri, tradit Fagnanus in cap. *Veniens. De cogn. ſpirit.* Eandem ſtatutis Aurelianenſibus inferi juſſit Illuſt. D. Delbenne. In idem conſpirant auctores Collat. Pariſienſ. T. 2. p. 288. & Andegavenſium pag. 320. T. 2. Huic itaque opinioni adhærendum eſt in praxi, niſi aliud ſanxerint Diœceſanæ Conſtitutiones, ut de facto declaravit Em. Card. le Camus affinitatem à procuratore, non autem à mandante contrahi: quæ lex nonniſi pro Diœceſi Gratianopolitana valere poteſt. Neque eſt quòd dicas; quando delegatur Sacerdos à Parocho ut baptiſet, tunc à baptiſante, non autem à delegante affinitatem contrahi. Namque lata eſt inter Sacerdotem qui baptiſat, & procuratorem qui ſuſcipit baptiſatum,

tum, diſparitas. Sacerdos enim non delegantis, ſed Chriſti nomine baptiſat: unde nihil mirum ſi per ſeipſum baptiſans, per ſe contrahat affinitatem; procurator verò illius dumtaxat nomine agit, à quo conſtitutus eſt.

Quæres 6. ſi quis ſuſcipiat filium alicujus patris infidelis, an contrahat affinitatem cum parentibus illius infantis.

Reſp. rem pariter controverſam eſſe. Negativam partem probabiliorem judicat Pontius L. 7. c. 40. & probat ex S. Thoma in 4. diſt. 42. qu. 1. art. 3. in reſp. ad 3. ubi ait cum uxore non baptiſata nequaquam cognationem ſpiritualem contrahi, quia vitæ ſpiritualis illa expers eſt. Adde impedimentum iſtud juris eſſe eccleſiaſtici, quo non obſtringuntur Infideles.

Quæres 7. An contrahatur affinitas ſpiritualis ex Baptiſmo qui à Laico confertur in caſu neceſſitatis, v.g. ab obſtetrice, vel etiam à proprio infantis parente.

Reſp. 1. contrahi ab obſtetrice & aliis Laicis qui in neceſſitate baptiſant; Jura enim non diſtinguunt inter baptiſantem ſine neceſſitate, vel cum neceſſitate.

Reſp. 2. non contrahi à patre qui filium ſuum in neceſſitate baptiſat: Ita expreſsè declaravit Joannes VIII. apud Gratian. cauſa 30. q. 1. c. 7. *Si*, inquit, *genitor filium ſuum corpore morientem aſpiciens, ne animam perpetua morte pereuntem dimitteret, ſacri unda baptiſmatis lavit . . . benefeciſſe laudatur*; *& idcirco ſuæ uxori ſibi jam legitimè ſociatæ impunè, quamdiu vixerit, judicamus manere conjunctum, nec ob id aliquatenus ſeparari debere*. Si quis pariter ex ignorantia facti invincibili proprium filium ſuſciperet, non contraheret illam ſpiritualem affinitatē, c. *Diſcretionem. De eo qui cognovit.* c. *Si vir. De cognat. ſpir.* *Grat. p. 1563. n. 40.* *Decret. p. 1502.*

Reſp. 3. eum qui ex malitia propriam baptiſaret prolem, ut à conjugis ſuæ thoro abſtineret, non eſſe ab ea ſeparandum. Ita definivit Alexander III. cap. *Si vir. De cognat. ſpirit.* Ratio eſt, quia tali viro ſua fraus nec dolus patrocinari debet, ait ibid. S. P. Ex quibus verbis colligit Abbas n. 3. à talibus viris debitum reddi debere ſi petatur, non verò exigi poſſe. *1492.* *Ib. pag. 1493.*

Reſp. 4. eum qui concubinæ ſuæ filium etiam in caſu neceſſitatis baptiſaret, affinitatem contrahere, adeoque indigere diſpenſatione. Ita Fagnanus in cap. *Si vir. De cognat. ſpirit.* Dicendum, inquit, textum Joan. VIII. procedere de legitimus conjugibus: at ſecus eſt in concubina; quia cùm illius commercium ſit jure prohibitum, pater ſuſcipiendo filium ſuum talem cognationem contrahit cum ſua concubina, quæ impedit contrahendum, & dirimit contractum Matrimonium. Idem cenſet Navarrus, additque in Manuali c. 16. n. 18. eum, qui filium cujuſcunque alterius mulieris ſibi Matrimonio non conjunctæ baptiſaſſet, etiam neceſſitatis cauſa, contrahere idem affinitatis impedimentum: quia citata Joan. VIII. Conſtitutio iis favet, qui jam legitimo conjuncti ſunt Matrimonio. Huic ſententiæ ſuffragatur & ipſe Proſper Fagnanus.

Quæres 8. an ſi contra prohibitionem Concilii Trid. multi patrini è ſacro fonte infantem ſuſcipiant, omnes contrahant affinitatem.

Reſp. 1. affinitatem tantùm contrahi ab iis qui deſignati fuerint. Deſignatio autem pertinet ad parentes, aut ad Parochum, qui non debet plures admittere, quàm unum patrinum & matrinam unam.

Reſp. 2. ſi Sacerdos præ imperitia, aut negligentia omnes deſignet, vel deſigna-

ſignari patiatur, aut nullos ſpecialiter, tunc affinitatem ab omnibus omnino contrahi. Ita Navarrus Man. c.22.n.39. & Fagnanus, qui hoc à ſacra Congregatione definitum eſſe memorat. Ratio ulterior eſt, quia jus antiquum ſervari debet, quando jus novum aliter non decernit. L.*Præcipimus*. Cod. *De collationibus*. Atqui jure veteri c.*Finali*. *De cognat. ſpirit.* in Sexto, ab omnibus hocce impedimentum contrahebatur, neque illi juri derogatum legimus à Conc. Trid. licet enim prohibuerit ne plures admitterentur patrini, non tamen declaravit nullam à pluribus, ſi admitterentur, affinitatē contrahi.

Quæres ultimò, an qui carnaliter cognovit eam cum qua ſpirituali affinitate conjunctus erat, ſi diſpenſationem obtinere velit ad contrahendum cum ipſa Matrimonium, debeat in ſua ſupplicatione exprimere non tantùm affinitatis impedimentum, ſed etiam crimen commiſſum.

Reſpondet affirmativè Pyrrhus Corradus L.8.c.8.n.12. aitque hanc eſſe conſtantem Curiæ Romanæ praxim.

Obſervat Fagnanus in cap.*Ex Litteris*. Extra. *De cognat.ſpirit.* difficiliùs obtineri diſpenſationem ab impedimento affinitatis ſpiritualis; atque Greg. XIII. nuſquam adduci potuiſſe ut eam concederet puellę, quæ novem annos nata à ſacro fonte puerum ſuſceperat, cum quo poſtea, nulla habita ratione hujùs impedimenti, Matrimonium contraxerat.

De affinitate legali.

Affinitas ſeu cognatio legalis ea eſt, quæ oritur ex adoptione. Adoptio autē definitur, Perſonæ extraneæ aſſumptio in filium vel nepotem, vel in filiam aut neptem, cum jure ad hæreditatem, ſaltem ubi adoptio perfecta eſt.

Duplex ſcilicet adoptio diſtinguitur à S.Thoma in 4.diſt.42.q.2.art.1. ad 7. & à Jure canonico. *Perfecta*, inquit ſanctus Doctor, *vocatur adrogatio, per quam reducitur adoptatus in poteſtatem adoptantis; & ſic adoptatus ſuccedit patri adoptanti ex inteſtato, nec poteſt eum ſine culpa privare quarta parte hæreditatis. Sic autem adoptari non poteſt niſi ille qui ſui juris eſt, qui ſcilicet poſtquam adoptatur, non habet poteſtatem, aut ſi habet, eſt mancipatus: & hæc adoptio non fit niſi auctoritate Principis.* Secunda adoptio imperfecta eſt, & vocatur *ſimplex adoptio*; per quam adoptatus non tranſit in poteſtatem adoptantis, unde magis *eſt diſpoſitio quædam ad perfectam adoptionem, quàm adoptio perfecta; & ſecundùm hanc poteſt adoptari etiam ille qui non eſt ſui juris, & ſine auctoritate Principis ex auctoritate Magiſtratus; & ſic adoptatus non ſuccedit in bonis adoptantis, nec tenetur ei adoptans aliquid de bonis ſuis in teſtamento dimittere, niſi velit.* Ita S.Thomas: ſola porro adrogatio ſeu adoptio perfecta Matrimonium poteſt dirimere. Hanc verò eſſe Doctoris Angelici mentem, ait Sylvius in Supplem. q.57. art. 2. patet tùm ex corp. hujus articuli, tùm ex reſponſionibus ad 1. & 4. articuli ſequentis.

Adoptare verò non poſſunt regulariter niſi ſoli viri, & hi qui ſunt ſui juris nati annos viginti quinque, quique naturaliter poſſunt conſummare Matrimonium, & annis 18. majores ſint adoptivo, ut notat Sylvius in Supplem. q. 57. art. 1.

Quæres inter quos, & quibus in gradibus cognatio legalis ex adoptione proveniens inducat impedimentum dirimens Matrimonium.

Reſp.

Reſp. 1. per affinitatem illam legalem dirimi Matrimonium in linea rectâ uſque ad quartum gradum; atque ita non poteſt eſſe Matrimonium inter adoptantem & filiam adoptivam, & filios etiam adoptati ejuſque poſteros, quæ eſt quaſi conſanguinitas rectæ lineæ, perſeveratque uſque ad quartum gradum.

Reſp. 2. eadem affinitate dirimi Matrimonium in linea collaterali, nempe filium inter adoptivum, & filios adoptantis, non ulteriùs in hac linea.

Verùm duplex hic movetur difficultas. Prima eſt, utrum nomine filiorum adoptantis, intelligantur alii filii legales, quos ipſe ſibi potuiſſet adoptare. Secunda, utrum ſaltem intelligantur filii ejus naturales, non ſolùm legitimi, ſed etiam ſpurii & illegitimi. Dico ad primum, non conſentire inter ſe Theologos. Alii contendunt inter filios etiam legales exurgere adoptionis impedimentum. Ita Sylveſter: alii verò communiùs id negant, utpote, inquiunt, nullo jure ſancitum. Favet ſanctus Thomas in 4. diſt. 42. quæſt. 2. art. 3. Hac ipſa de cauſa Theologi docent cum Navarro Man. cap. 22. poſſe adoptantem cum matre filii quem adoptavit, contrahere. Dico ad ſecundum, probabilius videri filium adoptivum nullam contrahere legalem affinitatem cum filiis illegitimis illius qui adoptavit, quidquid è contra ſentiat Panormitanus: cognatio enim legalis, utpote civilis juris effectus, ad eos extendi non debet, qui pro filiis quantùm ad effectus civiles à jure non habentur: atqui tales ſunt filii illegitimi. Hinc filii illegitimi non dicuntur eſſe in poteſtate patris. Ita ſentiunt Sylveſter, Oſtienſis, Navarrus &c.

Reſp. 3. has cognationis legalis ſpecies non eodem modo dirimere Matrimonium. Quæ enim eſt in linea recta, aut in linea quaſi affinitatis, dirimit Matrimonium in perpetuum, hoc eſt etiam poſt diſſolutionem adoptionis, vel poſt emancipationem adoptati; adeoque nunquam poteſt adoptans ducere filias adoptati ad quartum uſque gradum, nec poteſt unquam adoptivus uxorem ducere adoptantis, aut viciſſim adoptans uxorem ducere adoptivi, niſi accedat diſpenſatio. Cognatio verò hæc in linea collaterali Matrimonium non dirimit in perpetuum, ſed ſolùm quamdiu perſona adoptata manet in poteſtate adoptantis. Unde patre mortuo, vel filio adoptivo & filia naturali emancipatis, poteſt inter filium hunc & filiam contrahi Matrimonium. Patet ex cap. *Per adoptionem*. cap. 6. cauſa 30. qu. 3. *Per adoptionem quæſita fraternitas eò uſque impedit nuptias, donec manet adoptio. Ideoque eam quam pater meus adoptavit, & emancipavit, potero ducere uxorem. Æquè, & ſi me emancipato, illam in poteſtate retinuerit, poterimus jungi Matrimonio. Itaque volenti generum adoptare, ſuadetur ut filiam emancipet. Similiter ſuadetur ei, qui velit nurum adoptare, ut emancipet filium.* Verùm de his quæ apud nos in uſu non ſunt, niſi fortè in regionibus ſcripti, ut ajunt, juris, hæc ſatis ſint.

De impedimento criminis.

Naſcitur impedimentum illud criminis, vel ex adulterio cum fide data ſeu promiſſione futuri Matrimonii poſt mortem alterius conjugis; vel ex homicidio, ſeu machinatione in mortem conjugis, cum adulterio, aut ſine adulterio.

Quæres itaque 1. quot ſint caſus in quibus ex adulterio, vel homicidio Matrimonium dirimitur.

Reſp. quatuor vulgò recenſeri.

Primus

Primus caſus. Tom.9. Conc.p. 464. Primus eſt, cùm quis adulterium committit data fide ſeu promiſſione adulteram in uxorem ducendi poſt mortem ipſius mariti. Cap. *Relatum*. quod excerptum eſt ex Can. 40. Conc. Tribarienſis an. 895. *Audivimus*, inquiunt Patres, *rem execrabilem*, *quemdam nefario fornicationis opere alicujus uxorem*, *vivente eo*, *commaculaſſe*; *& in argumentum iniquitatis*, *juramento confirmaſſe*, *ſi ejus legitimum ſupervixiſſent ambo maritum*, *ut ille fornicator illam adulteram ſibi ſociaret thoro & legitimo Matrimonio .... Tale igitur connubium anathematiſamus*, *& Chriſtianis omnibus obſeramus*. *Non licet ergo*, *nec chriſtianæ Religioni oportet*, *ut nullus ea utatur in Matrimonio*, *cum qua prius pollutus eſt adulterio.*

Hinc inferes 1. ſolum adulterium ſine promiſſione futuri Matrimonii, non inducere dirimens impedimentum. Ita Sanct. Auguſtinus L. 1. de nupt. To. 10. p. 286. & concup. cap. 10. *Mortuo viro*, inquit, *cum quo verum connubium fuit*, *fieri poteſt verum connubium cum quo priùs adulterium fuit*. Ita pariter Innoc. Decret. p. 3483. n. 10. III. cap. *Significaſti*. *Significaſti nobis*, ait ſcribens ad Epiſcopum Spoletanum, *quòd cùm Petrus civis Spoletanus quamdam mulierem duxiſſet legitimè in uxorem*, *ea relicta*, *cuidam meretrici adhæſit*. *Verùm cùm uxor ipſius eſſet viam univerſæ carnis ingreſſa*, *meretricem*, *cui adhæſerat*, *deſponſavit*. *Nos igitur inquiſitioni tuæ taliter reſpondemus*, *quòd niſi alter eorum in mortem uxoris defunctæ fuerit machinatus*, *vel ea vivente ſibi fidem dederit de Matrimonio contrahendo*, *legitimum judices Matrimonium ſupra dictum*. Excipit ibid. S. P. & homicidium uxoris, & adulterium cum fide ſeu promiſſione data futuri Matrimonii, quo alterutro, vel utroque ſuppoſito crimine, nullum ac irritum fore connubium pronuntiat S. Pontifex.

Hæc autem promiſſio acceptata eſſe debet, ſive expreſsè, ſive implicitè ac Qualis eſſe debeat promiſſio. virtualiter, quia ſine acceptatione non ſtat mutua promiſſio; & quamvis qui tacent, conſentire videantur, non ſufficeret mera taciturnitas ſeu ſilentium, quia in rebus nocivis taciturnitas pro conſenſu non habetur. Quòd ſi promiſſio etiam acceptata revocaretur ante adulterium, pro non data habenda foret.

Nihil autem refert. 1. ſitne promiſſio ficta an ſincera; cùm promiſſio ficta, quæ ſincera creditur, æquè ad adulterium & homicidium impellere poſſit, ac ſi vera eſſet: ab his autem adulterii & homicidii ſceleribus Eccleſia Fideles deterrere voluit, cùm impedimentum criminis conſtituit. Ita Andræas Vega, Ledeſma, Sanchez & alii. 2. nihil pariter refert, ſitne promiſſio abſoluta, an conditionata, ut Navarro videtur: ſufficit enim fides data cum adulterio, nec requiritur ut valeat promiſſio, ad hoc ut ex illa & adulterio ſequatur impedimentum; nuſquam enim nefaria hujuſmodi promiſſio valere poteſt. 3. nec quoque intereſt, an promiſſio adulterium præcedat, an verò ſequatur: namque Canones non diſtinxere inter caſum quo promiſſio adulterium ſequeretur, vel præcederet. Ita definiunt Rituale Carnotenſe, auctor Collat. Andegav. & alii. 4. requiritur ut adulterium verum ſit ſcienter utrinque peractum ac verè conſummatum.

Inferes 2. ſolam quoque promiſſionem, ſeu fidem de futuro Matrimonio poſt mortem conjugis, ſine adulterio, non obſtare futuris nuptiis; atque ſub hac conditione exponi debet canon primus & ſecundus cauſæ 31. qu. 1. apud Gratianum.

Æquiſſima ratione videtur inductum iſtud impedimenti genus, ne ſcili-

cet

Digitized by Google

cet talis promiſſionis obtentu occaſio detur voto captandæ mortis.

Cùm impedimentum illud ferè ſemper occultum ſit, ejus diſpenſatio vulgò in Pœnitentiaria Romana in foro conſcientiæ obtinetur: ſi tamen publicum evaſerit, in foro etiam exteriori conceditur, cum hac tamen conditione in Literis ſemper exprimi ſolita, inqnit Corradus L. 8. c. 6. *Si neuter eorum in mortem defuncti conjugis machinaverit.* aliàs, nulla datur diſpenſatio in foro externo; atque etiam in Literis Legatorum *à latere*, quibus ampliſſima ipſis fit diſpenſandi facultas, excipi diſpenſationem de qua loquimur, obſervat ibid. Corradus.

Secundus caſus quo per crimen inducitur impedimentum dirimens, eſt cùm aliter conjux efficaciter machinatus eſt mortem ſuæ compartis, eo animo ut Matrimonium cum adultero contrahat. Cap. *Super hoc. De eo qui duxit in Matrimonium quam polluit per adulterium*. quod caput eſt Alexandri III. *Tibi reſpondemus*, ait, *quòd ſi adulter eſt in mortem uxoris aliquid machinatus, ſive fidem dedit, ſive non, quòd, ea defuncta, hanc eſſet ducturus, ſecundùm Canones ab ejus conſortio prohibetur; & hæc prohibitio perpetuò ſervanda eſt*. Idem ſanxit jam citatus Innocentius III. Limitant aliqui impedimentum in caſu adducto, quando nempe qui procurat mortem alterius ſponſi, intentionem habet nubendi cum altero ſuperſtite: ſi enim illud non haberet conſilium, & propter aliud motivum unum ſponſum occideret, tunc nullum ipſis videtur fore impedimentum. Verùm diſtinctione opus eſt: vel enim conjux in ſui conjugis mortem aliquid machinatus eſt, vel non: ſi prius, videtur ſtare impedimentum, ſive fidem dederit, ſive non, ait Alexander III. mox citatus. Idem reſpondet Cœleſtinus III. cap. *Laudabilem*. *De converſione Infidelium*. ubi interrogatus de Saracenis *qui dum in captivitate eſſent, quarumdam Chriſtianarum viros, earum inſidiis & machinationibus occiderunt, an eas poſſent ducere uxores?* Reſpondet S. P. *quòd ſi mulieres illæ in mortem ſuorum virorum malitioſè fuerint machinatæ*, non debeant cum iis Saracenis Matrimonio conjungi. Nullam facit S. P. mentionem conditionis adductæ, ſi nempe mortem eo conſilio machinatæ fuiſſent, ut Saracenos illos in maritos ducerent. Si ergo mulier nihil tentaſſet in mortem mariti, & iſte ab adultero, (uxore prorſus inſcia) occideretur, aut in bello, aut in privato aliquo diſſidio, abſque ulla intentione ducendi uxorem illam, tunc non videtur eſſe dirimens impedimentum.

Secundus caſus. *Decret. p. 1480. n. 10.* *Decret. p. 1175. n. 40.*

Si verò quis ſine prævio adulterio interficeret maritum alicujus mulieris, ea planè inſcia, ſed ea mente atque conſilio ut iſtam viduam duceret in uxorem, an eſſet tunc impedimentum dirimens? Affirmant aliqui; alii verò negant: tùm quia nulla extat expreſſa ea de re lex Eccleſiæ; tum quia non videtur juſtum, ut pars innocens diſpendium patiatur. Addunt nihilominus, quòd optandum eſſet, ut Eccleſia eo etiam in caſu impedimentum ſtatueret.

Tertius caſus eſt, cùm, etiam ſine adulterio, unus conjux ſimul cum interfectore conſpirat in mortem alterius conjugis; occiſio quippe illa inducit dirimens impedimentum inter conjugem ſuperſtitem ac ſicarium. Cap. *Si quis vivente*. cap. *Propoſitum*. cap. *Significaſti*.

Tertius caſus. *Decret. p. 1484. 1478. 1483.*

Quartus caſus eſt, ſi quis Matrimonio jam legitimè conjunctus, & adhuc ſua vivente uxore, alteram ducat; non tantùm nullum eſt iſtud ſecundum conjugium, ſed nequidem poſt mortem prioris uxoris, validum eſſe poteſt: ſi nempe illa ſecunda uxor cognoviſſet prius Matrimonium; ſi enim

Quartus caſus.

omni-

omnino ignoraſſet virum illum eſſe uxoratum, ac bona fide cum eo contraxiſſet, putans eum liberum eſſe, poteſt, ſi velit, cum illo contrahere poſt
Decret. mortem prioris. Ita Jura decernunt. Cap. *Ex Literarum*, cap. *Si quis*, cap.
1481. *Veniens*. ubi Innocentius III. ſic ſtatuit: *Veniens ad præſentiam noſtram Guillel-*
1484. *mus laicus humili inſinuatione monſtravit, quòd cùm in civitate Lemovicenſi*
Ibid. t. *quamdam ſibi matrimonialiter copulaſſet, ab ea recedens Meſſanam advenit,*
1483. *ubi Martham mulierem inſciam quòd aliam haberet uxorem, ſibi ſolemniter copulavit. Verùm cùm ... in ſuam patriam rediiſſet, uxorem ſuam inveniens carnis debita perſolviſſe, ad Meſſanam rediit civitatem, & ſupradictæ Marthæ tanquam legitimæ cohabitavit uxori. Mandamus quatenus, ſi ita eſt, ut ſupradictæ Marthæ affectu adhæreat conjugali, licentiam concedatis.*

Quæres 1. quo jure inſtitutum ſit illud criminis impedimentum.

Reſp. jure dumtaxat eccleſiaſtico, non naturali aut divino, cùm David duxerit Bethſabee quam infami polluerat adulterio, & cujus virum interfecerat, non ſuo quidem, ſed gladio filiorum Ammon. L. 1. Reg. c. 12. v. 18.

De impedimento diſparis cultus.

Oritur iſtud impedimentum ex diverſa Religione contrahentium; Infidelis nempe ex una parte, & Chriſtiani ex altera.

De hoc impedimento jam egimus ad Quæſtionem hujus Tractatus ſecundam, ubi Oſtendimus. 1. Eccleſiam prioribus ſæculis toleraſſe Matrimonia Chriſtianorum cum Infidelibus. 2. Eccleſiæ mentem ſemper fuiſſe, ut ab ejuſmodi conjunctionibus illicitis abſtinerent Chriſtiani. 3. Incertum eſſe, an jure divino poſitivo ſint illicitæ & prohibitæ. 4. Jure naturali & eccleſiaſtico prohibita eſſe Matrimonia Orthodoxorum cum Hæreticis. 5. denique, ad Quæſtionem quintam, oſtendimus jure divino non dirimi Matrimonium, cùm è duobus conjugibus infidelibus unus convertitur quidem, ſed conſentit habitare pacificè & ſine injuria creatoris cum fideli conjuge.

His adde 1. diſparitatem cultus propriè eſſe inter baptiſatum Chriſtianum, & non Chriſtianum ſeu Infidelem. 2. hanc cultus diſparitatem non fuiſſe ſemper impedimentum dirimens. 3. ab ætate S. Auguſtini, legibus Imperatorum, ipſa concurrente ac conſentiente Eccleſia, ad hæc uſque tempora, impedimentum illud inductum fuiſſe, circa quod legi poteſt Gratianus cauſa 28. qu. 1. unde inferes, præſens iſtud impedimentum juris eſſe eccleſiaſtici. Quamquam vero iſtæ quæſtiones diſcuſſæ prius à nobis fuerint, juvat iterum paucis eas hic retexere.

Quæres itaque 1. quid ſit cultus diſparitas.

Reſp. cultus ſeu Religionis diſparitatem hic vocari, non eam quæ intercedit inter Fidelem & Hæreticum, ſed quæ reperitur inter baptiſatum & non baptiſatum.

Quæres 2. an Matrimonia Fidelium cum Infidelibus illicita ſint ac prohibita.

Reſp. *regulariter* & *ordinariè* prohibita eſſe.

I. Jure naturali: adverſantur enim commodæ prolis educationi in fide catholica, paci domeſticæ, & exercitio veræ Religionis.

II. Jure divino poſitivo. *Nolite jugum ducere cum infidelibus*, inquit Apoſtolus 2. ad Cor. 6. & 1. ad Cor. 7. *Cui vult nubat, tantùm in Domino*, id

id eſt Chriſtiano, ait S. Hieron. Lib. 1. adversùs Jovinianum cap. 5. Quam expoſitionem etiam admittit S. Auguſtinus L. 1. de adulterinis conjugiis cap. 25.

III. jure eccleſiaſtico, ut conſtat ex variis Conciliorum Decretis quæ Matrimonia hujuſmodi vetant. Sic Concilium Eliberitanum Can. 19. Chalcedonenſe Can. 13. Aurelianenſe II. Can. 18. & alia quæ ſunt apud Gratianus 28. qu. 1.

Dixi *regulariter* & *ordinariè*: quia, ut notat Sylvius in Supplem. quæſt. 59. art. 1. certis quibuſdam circumſtantiis non eſt jure naturali aut divino illicitum Matrimonium Fidelis cum Infideli, quando ſcilicet nullum eſt periculum ne Fidelis aut ejus liberi pervertantur, ſed potius eſt ſpes vel convertendi Infidelem, vel adjuvandi Fideles ne grave nocumentum ipſis inferatur. Sic Moyſes & Joſeph nupſerunt Gentibus; Eſther Aſſuero, S. Cæcilia Valeriano; S. Monica Patricio, S. Clotildis Clodovæo &c.

Quæres 3. an Matrimonia Fidelium cum Infidelibus nulla ſint ac irrita.

Reſp. 1. non eſſe irrita jure naturali: tùm quia non omnino adverſantur fini Matrimonii, poſſunt enim ex eis proles naſci, & catholicè educari, quamvis difficiliùs quàm ſi ambo conjuges eſſent Fideles; tùm quia valida certè fuerunt conjugia Eſtheris cum Aſſuero, S. Cæciliæ cum Valeriano &c.

Reſp. 2. non eſſe irrita jure divino poſitivo: quia nec in novo nec in veteri Teſtamento ullum reperitur præceptum, quo talia Matrimonia decernantur irrita.

Reſp. 3. irrita eſſe jure eccleſiaſtico. Conſtat id ex uſu receptiſſimo ac longa Eccleſiæ conſuetudine, quam uno conſenſu omnes Theologi & Canoniſtæ teſtantur. Id inſuper colligitur ex c. *Cave*. cauſa 28. q. 1. & Can. *Si quis*. ibidem.

Cæterùm quo præcisè tempore inſtitutum fuerit hoc impedimentum tanquam dirimens, non ita conſtat. Hoc certum, non ſemper in Eccleſia viguiſſe, vigere tamen à ſæculis pluribus, & nunc præſertim.

Quæres 4. quid ſentiendum ſit de Matrimonio Catholicorum cum Hæreticis legitimè baptiſatis.

Reſp. 1. certum eſſe quòd ſit validum, dummodo nullum ſit aliud impedimentum. Ratio eſt, quia verè ſunt baptiſati, & nulla Eccleſiæ lege vel conſuetudine irritatur hujuſmodi Matrimonium.

Reſp. 2. Matrimonium Catholicorum cum Hæreticis ordinariè eſſe illicitum ac prohibitum, tùm jure eccleſiaſtico in variis Conciliis, tùm etiam jure divino ac naturali, ob eadem incommoda & pericula quæ paulò ante diximus reperiri in Matrimonio Fidelis cum Infideli.

Obſervat Sylvius loco mox citato, quòd ſi utilitas publica vel ſpes convertendi Hæreticum id exigant, Summus Pontifex diſpenſare poteſt ut Matrimonium Fidelis cum Hæretico vel Hæretica ſit licitum. Conſule quæ diximus Quæſtione 2. circa finem.

De impedimento violentiæ.

Impedimentum illud naſcitur ex violentia, qua quis invitus cogitur ad Matrimonium contrahendum. Jure ipſo naturali irritum eſt tale Matrimonium ſine vero ac libero conſenſu, ſicut antea probavimus ad quartam hujus Tractatus Quæſtionem, ubi de conſenſu ad celebrandas nuptias neceſſario diſſeruimus.

Ubi

Ubi obſervandum 1. Matrimonium contractum ex gravi metu injuſtè illato, ſed non ordinato ad extorquendum hunc conſenſum, eſſe validum. Ratio eſt, quia in tali caſu metus per accidens ſe habet ad Matrimonium: ac proinde habendus eſt eodem loco ac ſi fuiſſet illatus à cauſa merè naturali.

Obſervandum 2. nihil referre ad irritandum Matrimonium, quòd metus gravis ad extorquendum conſenſum in Matrimonium injuſtè incuſſus fuerit ab uno ex contrahentibus, vel ab aliquo alio, etiam ignorante uno ex contrahentibus.

Obſervandum 3. quòd ſi unus ex contrahentibus alteri metum injuſtè incuſſit, vel conſcius ſit metus incuſſi, tenetur juxta plures Theologos expectare an qui metum paſſus eſt velit de novo Matrimonio liberè contrahere, tunc enim ipſe tenebitur rati habere conſenſum.

Obſervandum denique, quòd ille qui contraxit Matrimonium per metum gravem injuſtè incuſſum, nullo modo poteſt Matrimonio uti, donec ceſſante metu de novo liberè conſentiat: nam aliàs eſſet fornicatio, quæ ita eſt intrinſecè mala, ut nuſquam fieri poſſit licita.

De impedimento ligaminis.

Ligamen hìc vinculum eſt prioris Matrimonii, quo durante, ſecundum conjugium nullum eſt ac irritum: Chriſtus enim, ex dictis antea, Matrimonium in nova Lege ad ſuam primævam revocans originem, pluralitatem uxorum ſimul ſuſtulit, quod declaravit Concilium Trid. Seſſ. 24. Can. 2. his verbis, *Si quis dixerit, licere Chriſtianis plures ſimul habere uxores, & hoc nulla lege divina eſſe prohibitum, anathema ſit*. Vide quæ ſuperiùs dicta ſunt, tùm circa pluralitatem uxorum ſimul, tùm circa firmitatem & indiſſolubilitatem vinculi conjugalis; pertinent enim hæc ad plenam hujuſce impedimenti notitiam.

To. 14. Conc. p. 874.

Quæres, an uxor quæ probabiliter judicat maritum ſuum, poſt diuturnam abſentiam, fato functum, poſſit cum alio nubere.

Reſp. jure civili olim indultum fuiſſe ejuſcemodi feminis, ut poſt quinquennium abſentiæ maritorum, licentiam haberent ad alias convolandi nuptias: at Juſtinianus Imperator Authentica *Hodie*. prohibuit ne alteri nuberent, donec certiſſimis argumentis comprobata foret prioris mariti mors. Idem Jure canonico cautum eſt cap. *In præſentia. De ſponſalibus & Matrimonio*. ubi dicitur. *In præſentia noſtra quæſivit, quid agendum ſit de mulieribus, quæ viros ſuos cauſa captivitatis vel peregrinationis abſentes, ultra ſeptennium præſtolatæ fuerint, nec certificari poſſunt de vita vel de morte ipſorum, licet ſuper hoc ſollicitudinem adhibuerint diligentem: & pro juvenili ætate ſeu fragilitate carnis nequeunt continere; petentes aliis Matrimonio copulari. Reſpondemus, quod quantocunque annorum numero ita remaneant, viventibus viris ſuis, non poſſunt ad aliorum conſortium canonicè convolare: nec auctoritate Eccleſiæ permittas contrahere, donec certum nuntium recipiant de morte virorum.*

Decret. p. 1433.

Hinc inferes, quòd ſi fortè mulier ejuſmodi cum altero contraxiſſet, exiſtimans priorem ſuum maritum eſſe mortuum, qui tamen poſt diuturnam abſentiam redierit, debeat illa, poſteriori viro derelicto, redire ad priorem,

qui

qui ſolus legitimus eſt maritus. Ita cautum eſt cap. *Dominus. De ſecundis nuptiis. Quòd ſi poſt hoc, de prioris conjugis vita conſtiterit*, ait Canon, *relictis adulterinis amplexibus, ad priorem coniugem revertetur.* *Decret. p.1571. n. 20.*

Verùm occaſione iſtorum verborum, *donec certum nuntium recipiant de morte virorum*, quæ leguntur cap. *In præſentia*. gravis excitatur quæſtio, quid nempe per *certum nuntium* intelligi debeat.

Ad hanc quæſtionem reſp. ſignificari teſtimonium, quo tollatur omnis ſcrupuli dubiique cauſa. Unde 1. non ſufficit vel diſtantia locorum, cùm ex remotiſſimis locis multi revertantur; vel deſperatæ infirmitatis teſtimonium, cùm Deus ex portis mortis multos retrahat; vel abſentiæ diuturnitas, quia multi etiam ſervitutis laboribus oppreſſi longam vitam vivunt, & paucis ab hinc annis Joannes Maillard poſt 43. abſentiæ annos redierit; etſi autem toto eo tempore nihil de ipſo fuiſſet auditum, decreto tamen Senatus Pariſienſis ſancitum eſt, ut Matrimonium ab ejus uxore contractum cum viro qui plures ipſi filios procreaverat, & jam è vivis exceſſerat, nullum & invalidum haberetur. 2. nec ſufficere videtur teſtimonium viri cujuſvis & oculati, aliunde etiam non ſuſpecti; licet nonnulli aliter ſentiant. Si enim in aliis cauſis teſtis unus, teſtis ſit nullus, quidni & in cauſis matrimonialibus, de quibus nunc, cùm tot inde incommoda ſequantur? 3. itaque cùm accedit ad Parochum vidua de ſecundo Matrimonio cogitans, exigendæ ſunt ab ea probationes nixæ vel depoſitione teſtium duorum non dubiæ fidei, vel Inſtrumento authentico è regiſtris ſepulturarum extracto & recognito ab Epiſcopo loci in quo ſepultus eſt defunctus; imò & quod approbatum fuerit ab Epiſcopo loci in quo novæ nuptiæ celebrari debent. Is etenim Galliarum uſus eſt, & quidem prudenter inductus, ut Inſtrumenti è longinquo adducti nulla habeatur ratio, niſi perſonæ publicæ ſubſcriptione ſigilloque muniatur. Hinc ad Matrimonium admitti non poſſunt uxores militum, niſi afferant teſtimonium ducis, ſeu, ut ajunt, Capitanei exercituum præfecti, aut loci Magiſtratuum ſigillo ac ſubſcriptione munitum: in his verò aliiſque ejuſdem generis caſibus, res ad Epiſcopum, ejuſque Vicarios generales aut Officialem ſemper eſt deferenda. *Collat. Andeg. Tom. 2. p. 316.*

De impedimento publicæ honeſtatis.

Nomine honeſtatis publicæ in Jure canonico intelligitur propinquitas orta ex ſponſalibus, aut Matrimonio rato non conſummato: quam quidem propinquitatem ſponſus contrahit cum conſanguineis ſponſæ, viciſſim ſponſa cum conſanguineis ſponſi.

Dicitur 1. *propinquitas*: quia præſefert aliquam ſpeciem affinitatis, propter quam indecens & minimè honeſtum videtur, ut quis eam ducat cujus conſanguineam ſibi deſponſavit, & deſponſando quaſi ſuam fecit.

Dicitur 2. *orta ex ſponſalibus aut Matrimonio rato non conſummato*: in quo differt ab affinitate. Nam affinitas oritur vel ex Matrimonio conſummato, vel ex commercio carnali: honeſtas autem publica provenit ex ſponſalibus vel ex Matrimonio, abſque ullo commercio carnali.

Dicitur 3. *cum conſanguineis perſonæ deſponſatæ*, non verò cum affinibus, quia ad affines non extenditur honeſtas publica: quapropter poſſet ſponſus

Digitized by Google

SECUNDA CONCLUSIO.

Ex Matrimonio rato & non conſummato oritur impedimentum publicæ honeſtatis, etiam uſque ad quartum gradum.

Probatur prima pars, 1. ex cap. *Si quis deſponſaverit*, quod eſt Julii I. S. P. & refertur cauſa 27. quæſt. & cap. *Qui deſponſatam*. 2. favet unanimis ac conſtans Theologorum & Canoniſtarum conſenſus. *Grat. p.* 1515. *c.* 15.

Probatur ſecunda pars, ſcilicet impedimentum iſtud extendi uſque ad quartum gradum. 1. ita declaravit ſacra Cardinalium Congregatio, teſte Fagnano loco mox citato. 2. id ipſum Pontificia authoritate declaravit S. Pius V. in Bulla *Ad Romanum*, 1558. Integram hanc Conſtitutionem refert Pyrrhus Corradus Lib. 8. c. 7.

TERTIA CONCLUSIO.

Matrimonium invalidum, *modò invalidum non ſit ex defectu conſenſus*; impedimentum hoc inducit.

Probatur ex cap. 1. *De ſponſalibus*, in Sexto, in quo id expreſsè definitur. Accedit authoritas Fagnani, qui idem pluribus probat cap. ſupra citato n. 2. quæſt. 7.

Dixi *modò invalidum non ſit ex defectu conſenſus*: ſi enim Matrimonium ſit irritum defectu conſenſus contrahentium, ſicuti in pueris, amantibus, & iis qui ex errore perſonæ, vel metu gravi & injuſto &c. contrahunt, certum eſt ex eo non oriri impedimentum publicæ honeſtatis.

Quæres, quo jure impedimentum illud Matrimonium dirimat.

Reſpondeo jure ſolùm eccleſiaſtico. Probatur ex cap. *Lex divina* 23. q. 2. quo conſtat tempore Benedicti IX. impedimentum ex ſponſalibus nondùm fuiſſe inſtitutum. Favet ratio congruentiæ: nam licet valdè conveniens ſit per illud Matrimonium dirimi, non tamen, ita ut nulla interveniente cujuſquam voluntate actu dirimatur.

De impedimento amentiæ, vel furoris.

Jure ipſo naturali inhabilis redditur ad contrahendum Matrimonium, qui perpetua laborat dementia, vel furia. Ratio eſt, quia rationis & libertatis uſum omnino hìc neceſſarium, non habent, qui tali laborant infirmitate: ſi tamen dementia ſuperveniat poſt contractum Matrimonium, illud non diſſolvit. Atque hoc ſenſu debet intelligi quod refert Gratianus cauſa 32. q. 7. *Neque furioſus neque furioſa Matrimonium contrahere poſſunt; ſed ſi contractum fuerit, non ſeparentur*. Supple, ſi contractum fuerit ante dementiam vel furorem, cùm expeditus ac liber erat rationis uſus. Quòd ſi dementia non ſit perpetua, ea recedente poterit contrahi Matrimonium; niſi fortè tam ſæpe recurrat, ac intervalla lucida ſint tam brevia, vix ut ulla ſpes *Grat. p.* 1643. *n.* 26.

Digitized by Google

affulgeat recuperandæ perfectæ ſanitatis. In praxi obſervare debet Parochus.

I. ut eos in Matrimonium non conjungat, qui tali laborant infirmitate, niſi conſulto priùs Epiſcopo. Notat enim Fevretius L. 5. c. 3. n. 37. de abuſu, eos qui aliis reclamantibus, hujuſmodi Matrimonii validitatem defenderent, teneri ad probandum ipſum contractum fuiſſe, dum contrahentes lucidis fruerentur intervallis.

II. ut eos non conjungat, quorum Matrimonium celebrari vetuiſſet laicus Judex, etſi fortè noſſet Parochus prohibitionem hanc ſub falſo amentiæ prætextu obtentam fuiſſe à parentibus, ut filiorum hujuſmodi amentium bona faciliùs invadant: tunc enim expectandum eſt donec impedimentum, quod auctoritate publica conſtitutum eſt, publica auctoritate tollatur.

De impedimento clandeſtinitatis.

De hoc impedimento, quod induxit Conc. Trid. Seſſ. 24. c. 1. diximus antea Articulo 4. Quæſtionis 6. ubi de Matrimonio clandeſtino, ac neceſſitate præſentiæ Parochi & teſtium. Conſule.

De impedimento impotentiæ.

Quæres 1. quid ſit impedimentum impotentiæ?

Reſp. illud eſſe quod provenit ex defectu aliquo naturali, quo impeditur uſus ſeu conſummatio Matrimonii. Eſt igitur impotentia, Inhabilitas conſummandi Matrimonii, ſeu defectus quo impeditur illius uſus.

Quæres 2. quotuplex ſit impotentia, & quæ impotentia ſit impedimentum dirimens Matrimonium.

Reſp. 1. multiplicem eſſe impotentiam. Vel enim antecedit Matrimonium, vel ſequitur. Rurſus antecedens impotentia, vel eſt perpetua, quæ nullo remedio naturali licito ſanari poteſt; vel temporalis, quæ ope remedii liciti depelli poteſt. Rurſus illa impotentia perpetua, vel eſt abſoluta reſpectu cujuſcunque; vel reſpectiva, reſpectu alicujus. Denique, vel ejuſmodi impotentia oritur ex cauſa, ſeu defectu aliquo naturali, abſque ullo externo maleficio; vel ex aliquo maleficio. His poſitis.

Reſp. 1. per impotentiam quæ ſupervenit Matrimonio contracto, ſive conſummato, ſive non, Matrimonium non diſſolvi. Patet ex probatis antea circa firmitatem & indiſſolubilitatem Matrimonii. Conſule.

Reſp. 2. non diſſolvi Matrimonium per impotentiam antecedentem temporalem, quæ aliquo remedio licito depelli poteſt. Cap. *Ex Literis*, cap. *Fraternitatis*.

Reſp. 3. diſſolvi Matrimonium per impotentiam antecedentem perpetuam, tùm abſolutam, tum reſpectivam, ſive ſit ex cauſa purè interna ſine maleficio, ſive cum maleficio. Titulo *De frigidis*. L. 4. Decretalium, Gratianus cauſ. 33. q. 1. & cauſa 32. q. 7. cap. *Hi qui &c.* Porro juxta S. Th. in 4. q. unica art. 3. *hæc eſt differentia inter maleficium & frigiditatem, quia qui eſt impotens ex frigiditate, ſicut eſt impotens ad unam, ita & ad aliam; & ideo quando Matrimonium dirimitur, non datur licentia ei, ut alteri conjungatur: ſed*

ſed ex maleficio homo poteſt eſſe impotens ad unam, & non ad aliam; & ideo quando judicio Eccleſiæ Matrimonium dirimitur, utrique datur licentia quòd alteram copulam quærat. Ex quibus patet eum qui judicatus eſt naturaliter frigidus, & ad alias tranſit nuptias, relicta ſecunda uxore quam carnaliter cognovit, redire debere ad primam: frigiditas enim naturalis ad omnes feminas extenditur, adeoque malè judicata eſt naturalis in caſu propoſito. Aliter ſentiendum de impotentia ex maleficio, quæ reſpectiva eſt, & plerumque ad unam, non autem ad aliam extenditur.

Quòd ſi homo qui ex maleficio impotens cum una, & deinde cum altera, maleficium hoc alio maleficio tollat, tunc non tenetur redire ad primam, etſi reſpectu ejus ſicut & alterius potens evaſiſſet, quia ut docet S. Antoninus tertia parte Summæ Theolog. cap. 12. impedimentum perpetuum judicari debet, cùm non tollitur niſi per dæmonis auxilium. Quia tamen hujuſmodi homo invalidè contraxiſſet, etiam cum ſecunda, propter hujuſmodi impedimentum, quod non ſuſtulit, niſi poſt contractum ut ſupponitur Matrimonium, neceſſe eſt ut ambo conſenſum ſuum eo qui ſufficiat modo, renovent.

Quæres 3. quid facto ſit opus, cùm unus conjux conqueritur de impotentia alterius.

Reſp. Jure canonico ſpatium trium annorum concedi ad probationem impotentiæ: quòd ſi elapſo illo tempore adhuc in priori querimonia perſiſtat, atque quibus poteſt licitis & honeſtis mediis ſit explorata impotentia, diſſolvi poſſe Matrimonium; niſi fortè conjuges ſecum habitare conſentiant, tanquam frater cum ſorore. Extat ea de re reſponſum Cæleſtini III. titulo *De frigidis*, cap. *Laudabilem*, ubi ſic loquitur: *Requiſiviſti quantùm temporis indulgendum ſit naturaliter frigidis ad experientiam copulæ conjugalis. Nos verò præſenti conſultatione ſentimus, ut à tempore celebrati conjugii, ſi frigiditas priùs probari non poſſit, cohabitent per triennium.* Decret. p. 1520.

Ex quo inferes, ante triennium illud elapſum diſſolvi poſſe Matrimonium, ſi impotentia tam certa ſit, ut negari non poſſit.

Quæres 4. an diſſoluto propter impotentiam conjugio, liceat partibus ita diſſociatis ad alias tranſire nuptias.

Reſp. licitum eſſe conjugi qui nulla laborat impotentia; alteri verò non licere. Ita colligitur ex cap. *Laudabilem*, mox citato, ubi dicitur: *Si autem, quòd nunquam ſe invicem cognoverint, ambo fatentur, cum ſeptima manu propinquorum, vel vicinorum bonæ famæ, ſi propinqui defuerint) tactis ſacroſanctis Evangeliis uterque jurejurando dicat, quòd nunquam per carnis copulam una caro effecti fuiſſent; & tunc videtur quòd mulier valeat ad ſecundas nuptias convolare.* Additur eodem capite, *quòd ſi ambo conſentiant ſimul eſſe, vir eam etſi non uxorem, ſaltem habeat ut ſororem.* Idem ſtatuit Gregorius II. ſcribens ad Bonifacium Moguntinum. *Quod propoſuiſti,* ait, *quòd ſi mulier infirmitate correpta non valuerit debitum reddere viro, quid ejus faciat jugalis? Bonum eſſet ſi ſic permaneret, ut abſtinentiæ vacaret. Sed quia hoc magnorum eſt, ille, qui ſe non poterit continere, nubat magis: non tamen ſubſidii opem ſubtrahat ab illa cui infirmitas præpedit, & non deteſtabilis culpa excludit.*

Ibid. p. 1521. n. 10.

Eſt cõvocatio propinquorũ.

Tom. 6. Conc. p. 1448. E.

Quæres 5. ſi quis poſt diſſolutum impotentiæ cauſa Matrimonium, nu-

T 2 bat

bat cum altera ex qua ſuſcipiat prolem, an tenetur ea ſecunda derelicta redire ad priorem? Ratio dubitandi eſt, quia impedimentum prius, quo detinebatur, deſiit; unde facilè intelligitur, impotentiam hanc perpetuam non fuiſſe, qua tamen ſola dirimitur Matrimonium.

Reſp. Jure canonico cap. *Laudabilem. De frigidis*, ſtatui eum qui ob frigidam naturam ab alio ſeparatur, ſi alteri nubat poſtea, ſeparandum à ſecundo conjuge, & reddendum primo. *Si autem*, ait S. P. Cœleſtinus III. *ille aliam acceperit, ſeparentur*. Et in fine capitis additur: *Verùm ſi ille aliam duxerit, tunc hi qui juraverant, rei perjurii teneantur; & peracta pœnitentia cogantur ad priora connubia redire*. Supponit S. P. fictam fuiſſe, non veram impotentiam; quo caſu verè coram Deo diſſolutum non fuit prius conjugium. Unde Gloſſa in illud caput, diſtinguit impotentiam provenientem ex maleficio, aitque eo in ſecundis nuptiis ſublato, prius nihilominus Matrimonium verè per talem impotentiam diſſolutum fuiſſe: quia licet reſpectiva illa foret, hoc eſt, reſpectu talis mulieris, perpetua tamen eſſe potuit, adeoque legitimam dare cauſam ſolvendo conjugio.

Decr. p. 1520. n. 50.

Obſervat Fevretius L. 5. cap. 4. n. 13. juxta mores Eccleſiæ noſtræ Gallicanæ, diſſoluto ſemel conjugio propter impotentiam, neceſſitatem non imponi conjugi qui ad alias nuptias convolavit, redeundi ad primam uxorem, ſi fortè impotentia, qua priùs laborabat, depulſa fuerit. Fundamentum & ratio hujus diſciplinæ hæc eſſe videtur, quòd nempe poteſt eſſe impotentia, eaque perpetua, reſpectivè ad talem mulierem, quæ non ſit reſpectivè ad aliam.

Quæres 6. an nullum ſit Matrimonium inter ſenes ac ſteriles, inter eunuchos, inter impuberes.

Reſp. ad primum: valere inter ſenes, quia nulla Eccleſiæ lege jam prohibentur & irrita declarantur.

Reſp. ad ſecundum: valere inter ſteriles; quia illi poſſunt omnia Matrimonii debita perſolvere.

Reſp. ad tertium: non valere, & quidem jure naturali, inter impuberes ante rationis uſum, qui ante ſeptennium adeſſe non præſumitur: jure verò poſitivo nulla ſunt Matrimonia impuberum ante annum decimum quartum in viro expletum, & duodecimum in femina. Cap. *De illis qui minori*, cap. *Tuæ nobis. De deſponſatione impuberum*, niſi fortè, (ut vulgò dicitur) malitia ætatem ſuppleverit. Quòd ſi ante dictum tempus contraxerint de præſenti, contractus ille vim habet duntaxat ſponſaliorum, qui ſubinde confirmari debet ac renovari ut ſit verum Matrimonium.

Reſp. ad quartum: ex Conſtitutione Sixti V. S. P. an. 1587. die 27. Junii, eunuchos inhabiles reddi ad contrahendum Matrimonium. Verba S. Pontificis refert Pontius L. 7. c. 67. n. 6.

De impedimento raptus.

Quæres 1. quid ſit raptus.

Reſp. eſſe abductionem ſeu extractionem puellæ è domo parentum, eum in finem ut ducatur in Matrimonium, vel alia libido impleatur; ſive per vim abdu-

abducatus; ſive rapienti ob ſeductionem illa conſentiat, parentibus aut tutoribus non conſentientibus; ſive ea non conſentiat, iiſdem conſentientibus: tunc etenim quoquo modo adſit violentia, ſalvatur ratio raptus, inquit S. Thomas 2. 2. qu. 154. Ex quo inferes duplicem eſſe raptum, unum violentiæ, alterum ſeductionis. Prior eſt, cùm puella invita & reluctans à raptore abducitur à paterna domo: poſterior, cùm blanditiis & voluptatis illecebra, aut quocunque alio motivo ſeducta, conſentiens raptorem ſequitur.

Quæres 2. an raptus qui dicitur violentiæ, ſit impedimentum dirimens Matrimonium.

Reſp. Jure ipſo naturali violentiam hanc, quamdiu liberum impedit conſenſum, reddere Matrimonium nullum.

Olim legibus civilibus & eccleſiaſticis nuſquam licebat raptori in uxorem ducere, quam rapuerat, etſi parentibus eam reſtituiſſet; imò etſi ipſa conſenſiſſet. Ita juſſit an. 320. Conſtantinus Magnus, cujus Conſtitutio extat Lib. 9. Codicis Theodoſiani titulo 24. *De raptu virginum vel viduarum*. Similem legem tulit an. 528. Juſtinianus, eodem Libro titulo 13. *Nec ſit*, inquit, *facultas raptæ virgini, vel viduæ, vel cuilibet mulieri, raptorem ſuum ſibi maritum expoſcere; ſed cui parentes voluerint (excepto raptore) eam legitimo copulent Matrimonio*. Ita quoque Carolus Magnus L. 6. Capitularium c. 96. *Si quis*, inquit, *alterius ſponſam, virginem & viduam nec dum deſponſatam rapuerit vel furatus fuerit, placuit, ut ſive eam poſtea ſponſaverit, ſive dotaverit, ſeu non, ſive cum parentum ejus voluntate quocunque commento ipſam accipere, vel tenere potuerit, nunquam illam uxorem habeat.* Idem ſtatuit Concilium Aquiſgranenſe à Gratiano laudatum cauſa 36. qu. 2. c. 2. Idem & Concilium Meldenſe an. 845. Can. 66. P. 832. T. 1. Capitul. p. 938.

Cùm verò tam ſancta & utilia decreta poſt ſæculum nonum in deſuetudinem ferè abiiſſent, Conc. Trid. raptus impedimentum renovavit, ac rurſus confirmavit Seſſ. 24. de reform. Matrimonii cap. 6. hac dumtaxat facta immutatione, quòd raptor cum rapta poteſt inire Matrimonium, cùm ea ſuis parentibus ac in loco tuto reſtituta fuit. En verba Decreti: *Decernit ſancta Synodus, inter raptorem & raptam, quamdiu ipſa in poteſtate raptoris manſerit, nullum poſſe conſiſtere Matrimonium. Quòd ſi rapta à raptore ſeparata, & in loco tuto & libero conſtituta, illum in virum habere conſenſerit, eam raptor in uxorem habeat; & nihilominus raptor ipſe, ac omnes illi conſilium, auxilium & favorem præbentes, ſint ipſo jure excommunicati, ac perpetuò infames, omniumque dignitatum incapaces: & ſi Clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur præterea raptor, mulierem raptam, ſive eam uxorem duxerit, ſive non duxerit, decenter arbitrio judicis dotare.* Lex hæc Tridentina moribus noſtris maximè conſentiens eſt: multis etenim Regum noſtrorum Edictis, ſub pœna graviſſima, etiam capitis, prohibetur raptus. Ita Henricus III. in celebri Edicto Bleſenſi articulo 42. Ludovicus XIII. Edicto anni 1639. Ex prioribus Concilii verbis colligunt Theologi, quòd etiamſi virgo ante reſtitutionem ſuam liberrimè conſentiret, invalidum nihilominus foret Matrimonium. T. 14. Conc. p. 878.

Quæres 3. an raptus qui dicitur ſeductionis ſeu ſubornationis, ſit quoque impedimentum dirimens; & an mox citatum Concilium Trid. de ſolo raptu violentiæ debeat intelligi.

Reſp. raptum ſeductionis verum inducere impedimentum; ac de illo, ut & de raptu violentiæ, non immeritò intelligi Conc. Trid.

Primò quidem, raptum ſeductionis impedimentum eſſe patet, tùm quia citata modò teſtimonia ferè non diſtinguunt, ſed de utroque raptu indiſtinctè loquuntur; tùm quia conceptis verbis raptum hunc ſeductionis, cui puella conſentit, deſignarunt. Ita Conſtantinus lege citata, *Si quis*, inquit, *puellam invitam rapuerit, vel volentem abduxerit, patrocinium ex eius reſponſione ſperans, nihil ei ſecundùm ius vetus proſit puellæ reſponſio; ſi voluntatis aſſenſio detegitur in virgine, eadem qua raptor ſeveritate puniatur.* Juſtinianus pariter

P. 574. Novella 144. mulierem raptam appellat, *ſive nolentem, ſive volentem.* Con-
in præfat. cilium Aurelianenſe an. 511. Can. 2. ejuſdem raptus cuj rapta conſentit, men-
Tom. 4. tionem habet his verbis: *Si verò quæ rapitur, patrem habere conſtiterit, & puel-*
Conc. p. *la raptori aut rapienda, aut rapta conſenſerit, poteſtati patris excuſata redda-*
1505. *tur.* Denique Carolus Magnus Capitul. L. 7. c. 395. *Placuit*, inquit, *ut hi qui*
A. B. *rapiunt feminas, vel furantur, aut ſeducunt, ut eas nullatenus habeant uxo-*
Tom. 1. *res.* Et poſtea: *Qui eam rapuerit, vel furatus fuerit, aut ſeduxerit, nun-*
Capitul. p. 1111. *quam eam uxorem habeat.*

Secundò, Conc. Trid. loquitur de raptu, nulla facta diſtinctione violentiæ; atque nulla poteſt firma proferri ratio, qua oſtendatur, verba ipſius ad ſolum raptum violentiæ reſtringi debere. 1. Quia ipſa ſeductio non minus generat malum, quàm violentia, ac pariter familiarum pacem conturbat, & honorem labefactat. 2. Quia cùm puella è domo patris abducitur volens ac conſentiens, raptus crimen haud dubiè intervenit: atqui tamen nulla eſt in rei veritate violentia, ſed larvata dumtaxat & ficta; ergo eo in caſu eſt tantùm raptus ſeductionis, qui verum inducit impedimentum dirimens Matrimonium. 3. Si raptus de quo Conc. Trid. ſolummodo ſit ille qui cum violentia fit, non conſentiente ſed reluctante rapta, non novum conſtituit impedimentum diſtinctum à violentia, quæ cùm libertatem tollat, jure naturali irritat conjugalem contractum: atqui tamen certum eſt voluiſſe Concilium inducere impedimentum raptus, diſtinctum ab eo quod dicitur *vis* ſeu *violentia*. 4. Henricus III. Galliarum Rex, in famoſo Edicto Bleſenſi articulo 42. raptum per ſeductionem & ſubornationem definit. Sic loquitur gallicè. *Voulons que ceux qui ſe trouveront avoir ſuborné fils ou filles mineures de vingt-cinq ans, ſous pretexte de mariage ou autre couleur, ſans le grè, ſeu, vouloir & conſentement exprès de peres, meres, ou des tuteurs, ſoient punis de mort.* Latinè: *Statuimus, ut qui filios vel filias nondum annos viginti quinque natas, prætextu Matrimonii, aut alio quocunque, ſine expreſſo parentum vel tutorum conſenſu ac beneplacito ſubornaverint, capite puniantur.* Renovatus eſt ac denuo confirmatus hic articulus à Lodovico XIII. Edicto anni 1639. articulo 2.

Neque dicas, in ſeductione, quando nulla eſt violenta puellæ è domo paterna abſtractio, nullum aliud vitium deprehendi poſſe, præter defectum conſenſus parentum; quem ſolum non eſſe impedimentum dirimens Sacramentum Matrimonii antea diximus.

Namque defectus conſenſus parentum videtur quidem eſſe certum indicium & argumentum ſeductionis: at vitium contractus non oritur ex ſolo defe-

defectu hujus conſenſus, ſed ex ipſamet natura ſeductionis, quæ ſcilicet præſumitur auferre plenum rationis & libertatis uſum. Cùm enim teneræ ac molliori puellæ per blanditias illuditur, vix ipſi permittitur ut feriò attendat ad gravitatem & momentum contractus quo ſe obſtringit: ad quem ſi attenderet, ab eo haud dubiè deſiſteret: atque hæc eſt præcipua & fundamentalis ratio, cur raptus qui dicitur ſeductionis dirimat Matrimonium, non minùs quàm raptus violentiæ. Si verò poſtules an ſit aliqua ætas fixa, ultra quam ſeductio locum habere non præſumatur. Reſpondebo, vulgò ætatem illam ad annum vigeſimum quintum extendi, ante quem filii minores adhuc ſunt & ſub arbitrio parentum. Ita ſtatuit Edictum Bleſenſe mox citatum.

ARTICULUS II.

De impedimentis ſimpliciter prohibentibus.

IMpedimenta ſimpliciter prohibentia dicuntur ea quæ illicitum faciunt conjugium, impediuntque ne contrahatur; ſed non dirimunt contractum. Olim Jure veteri duodecim numerabantur, quæ jam ad quinque revocata & reſtricta ſunt, his expreſſa verſibus.

Eccleſiæ vetitum, necnon tempus feriatum:
Atque Catechiſmus, Sponſalia, jungito votum.
Impediunt fieri, permittunt juncta teneri.

De impedimento ex Eccleſiæ interdicto ſeu prohibitione.

Per interdictum hìc intelligimus prohibitionem qua Eccleſia alicui nuptias prohibet, ob temporalem aliquam cauſam; ſcilicet, vel ad ſedandum ſcandalum, vel ad diſcutiendam veritatem circa aliquod impedimentum, vel ne oriantur lites, diſſenſiones, rixæ: Eccleſiæ verò nomine hìc intelliguntur Superiores eccleſiaſtici, S. Pontifex, Epiſcopi, Parochi.

Certum eſt 1. Parochos ſuo interdicto non poſſe irritare Matrimonium: ad illos quippe non pertinet perſonas reddere inhabiles ad contrahendum Matrimonium.

Certum eſt 2. ad Epiſcopos olim jure pertinuiſſe ſtatuere impedimenta etiam dirimentia Matrimonium. Multa ab ipſis conſtituta fuiſſe in privatis Diœceſibus, quæ poſtea Eccleſia univerſa vel recepit, vel rejecit, docet Pontius L.6.c.1.n.12.

Certum eſt 3. poſſe S. Pontificem ſuo interdicto Matrimonium alicui prohibere.

Duplex verò eſſe poteſt interdictum hujuſmodi, unum ſimplex, & ſine ulla clauſula irritante; alterum verò cum clauſula irritante.

Prius interdictum illicitum quidem facit, ſed non invalidum Matrimonium. Ita declaravit Alexander III. in Appendice Conc. Lateran. parte 6. cap. 28. quod relatum eſt in corpus Juris canonici. Lib.4. Decretalium titulo 16. *Licet*, inquit reſpondens Epiſcopis Wintonienſi, Bathonienſi, & Herefordenſi à quibus fuerat conſultus de puella quæ uni viro deſponſata, nupſerat alteri

alteri non obſtante prohibitione ipſi facta per Archiepiſcopum Cantuarien-
T. 10. ſem, *Licet contra interdictum Eccleſiæ ad ſecunda vota tranſire non debue-*
Conc.p. *rit, conveniens non videtur ut ob id ſolum Sacramentum conjugii diſſolvatur:*
1582.D. *alia enim pœna debebat eis imponi, quòd contra prohibitionem Eccleſiæ hoc*
fecerunt.

Alterum verò eſt interdictum, quod nempe adjunctam habet clauſulam
irritantem Matrimonium ſi contractum fuerit. Ita debet exponi c. *Ad diſ-*
Decret. *ſolvendum. De deſponſatione impuberum*, quod caput eſt Innoc. III. *Ne verò,*
p.1457. inquit, *quidquam in puellam interim attentetur, auctoritate Apoſtolica inter-*
n. 10. *dicimus, ne in negotio de novo procedatur ulteriùs, donec vel à denuntiatio-*
ne ceſſetur, vel ea probata ordine judiciario procedatur. Quòd ſi contra in-
terdictum noſtrum in præjudicium ipſius aliquid fuerit attentatum, id irritum
eſſe decernimus, & viribus omnino carere.

Eòdem ſpectat reſponſum Alexandri III. cap. *Tua fraternitas. De ſpon-*
ſa duorum, ubi ſic loquitur: *De his verò qui coram te ſuper deſponſatione fa-*
Decret. *cta per conſenſum mutuum de præſenti, controverſiam movent, & appellatio-*
p.1464. *ne pendente, quam ante ſententiam vel cognitionem cauſæ ad Sedem Apoſtoli-*
n.10. *cam interponunt, accipiunt alias uxores: hoc arbitramur agendum, ut ſi amo-*
do in tali caſu duxerint appellandum, eis in Eccleſia publicè interdicas, ne
ante deciſionem cauſæ aliud contrahant Matrimonium. Et ſi contra interdictum
Eccleſiæ publicè factum venire præſumpſerint, Matrimonium tam præſumptuo-
sè factum poteris irritare. Uterque ille S. Pontifex irritat Matrimonium
quod contra abuſum dictum Eccleſiæ fuerat celebratum, contra abuſum
nonnullorum tunc temporis, qui, lite adhuc pendente ſuper validitate Ma-
T. 10. trimonii, ad alia vota tranſibant. Scilicet tempore Alexandri III. ut ipſe fa-
Conc.p. tetur in Appendice Conc. Later. parte 6. c. 8. 17. & 18. abuſus in aliquas Eccleſias
1574. irrepſerat, ut ſi quis incognita prima uxore, aliam duxiſſet, eamque cognoviſ-
1577.& ſet, ſecundam hanc retinere cogeretur; quaſi ratum non fuiſſet Matrimonium
1578. ante conſummationem: cui malo quantùm potuit, obſtitit Alexander III.

De impedimento temporis quo non licet nuptias celebrare.

Quæres 1. quibus temporibus prohibeat Eccleſia nuptias celebrari.
Reſp. 1. non unam olim fuiſſe diſciplinam. Concilium Laodicenum
Tom.1. Can. 52. *Non oportet*, inquit, *in quadrageſima nuptias vel natalitia celebra-*
Conc.p. *re.* Et Nicolaus I. ad Conſulta Bulgarorum cap. 48. *Nec uxorem ducere*,
1506. inquit, *nec convivia facere quadrageſimali tempore convenire poſſe nullatenus*
Tom.8. *arbitramur.* Concilium Salegunſtadienſe ſeu Moguntinum an. 1022. Capitu-
Conc.p. lo 3. *De legitimis*, inquit, *conjugiis ita viſum eſt, quòd nullus Chriſtianus*
534. *uxorem ducere debeat ab adventu Domini uſque ad octavas Epiphaniæ, &*
An.1022 *à Septuageſima uſque in octavas Paſchæ, nec in ſupra notatis quatuordecim*
Tom.9. *diebus ante feſtivitatem S. Joannis Baptiſtæ, neque in prædictis jejuniorum*
Conc.p. *diebus, ſive in omnium ſolemnium dierum præcedentibus noctibus.*
845.
T. 14. Reſp. 2. Concilium Trid. Seſſ. 24. de reform. Matrimonii cap. 10. ſic ſta-
Conc.p. tuiſſe. *Ab adventu Domini J.C. uſque ad diem Epiphaniæ, & à feria quar-*
879. *ta cinerum uſque in octavam Paſchatis incluſivè, antiquas ſolemnium nuptia-*
rum

Digitized by Google

rum prohibitiones diligenter ab omnibus obſervari ſancta Synodus præcipit. In aliis verò temporibus, nuptias ſolemniter celebrari permittit, quas Epiſcopi, ut ea qua decet modeſtia & honeſtate fiant, curabunt: ſancta enim res eſt Matrimonium, & ſanctè tractandum.

Et Can. 11. ejud. Seſſ. *Si quis dixerit, prohibitionem ſolemnitatis nuptiarum certis annis temporibus, ſuperſtitionem eſſe tyrannicam, ab Ethnicorum ſuperſtitione profectam; aut benedictiones & alias ceremonias, quibus Eccleſia in illis utitur, damnaverit; anathema ſit.* *Ibid. p. 875.*

Dubitant aliqui occaſione iſtarum vocum, *ſolemnium nuptiarum*, an Concilium prohibuerit dumtaxat nuptiarum ſolemnitatem, non verò nuptias ſimpliciter. Verùm ſi à nuptiis ſolemnitatem detraxeris, quà fiunt coram Parocho & teſtibus intra Miſſarum ſolemnia, non tantùm ſolemnes non ſunt, ſed nequidem veræ nuptiæ jure per Concilium Trid. inducto; ergo dum prohibuit Concilium nuptias ſolemniter celebrari certis temporibus, haud dubiè prohibuit eas omnino celebrari.

Quæres quas ob cauſas Eccleſia prohibuerit certis temporibus celebrari nuptias.

Reſp. ob ſanctitatem tùm Sacramenti, tùm aliquorum dierum, ad quos ritè & ſanctè traducendos vel luctu, vel jejuniis & orationibus ſuos exercet ac præparat Eccleſia: neque enim congruum videtur, ut quibus diebus debent Fideles ſeipſos jejuniis caſtigare & affligere, nuptias læti celebrent. Eſt pro Græcis ſpecialis ratio: cùm enim ipſi diebus jejunii Miſſæ ſacrificium non celebrent, intra quod nuptiæ benedicuntur, conſequenter his temporibus apud ipſos meritò prohibitæ ſunt nuptiæ.

De impedimento ex catechiſmo.

Catechiſmum appellant communiter Doctores, inſtructionem fidei, cùm nempe baptiſandus ab aliquo inſtruitur ſeu informatur fidei noſtræ documentis. Id verò contingere pôteſt duobus modis, vel cùm à patrino ſuo inſtruitur in Baptiſmo, vel extra Baptiſmum. Naſci ex priori capite, ſeu affinitate ſpirituali, impedimentum & quidem dirimens, antea diximus. Sola hìc ſupereſt quæſtio, an qui baptiſandum inſtruit, cujus tamen ſuſceptor non eſt, ſeu patrinus, affinitatem cum eo ſpiritualem contrahat, quæ ſit impedimentum ſaltem prohibens.

Certum eſt olim tale viguiſſe impedimentum. Extat ea de re Conſtitutio Bonifacii VIII. in Sexto, titulo, *De cognatione ſpirituali. Per catechiſmum*, inquit, *qui præcedit Baptiſmum contrahendum Matrimonium impeditur.* *Sext. p. 605.*

Certum quoque nobis eſt, tale impedimentum jam poſt Conc. Trid. in uſu non eſſe: affinitatem enim ſpiritualem ad certos fines contraxit, nempe cùm quis alium baptiſat vel confirmat, aut eum ſuſcipit ab his Sacramentis, nulla injecta mentione catechiſmi.

De im-

Digitized by Google

De impedimento ex Sponſalibus.

Naſcitur hoc impedimentum ex ſponſalibus cum aliqua initis. V.g. Petrus qui deſponſatus eſt, hoc eſt, fidem dedit Mariæ futuri Matrimonii, non poteſt cum altera Matrimonium contrahere, niſi priùs Eccleſia pronuntiaverit circa obligationem priorum Sponſaliorum. Cap. *Ex Literis. De Sponſalibus.*

De impedimento voti ſimplicis.

Decret. 6.1473. 2475. Votum ſimplex caſtitatis vel Religionis impedit quidem Matrimonium, ſed non dirimit contractum. Cap. *Meminimus*, cap. *Veniens*, titulo, *Qui Clerici vel voventes.*

Et S. Auguſtinus culpæ arguit Comitem Bonifacium, quòd poſt votum caſtitatis uxorem duxiſſet, Epiſtola 120. aliàs 70.

Tom. 2. *p.* 812 *& ſeq.* Votum autem illud ſimplex non dirimit contractum Matrimonium, ſicut votum ſolemne: quia in iſto non tantùm promiſſio, ſed actualis intervenit traditio; in alio verò eſt ſimplex promiſſio. *Cùm ergo*, inquit S. Th. in 4. diſt. 38. q. 1. art. 2. quæſtiuncula 2. *in voto ſimplici non ſit niſi ſimplex promiſſio proprii corporis ad continentiam ſervandam Deo facta, poſt votum ſimplex adhuc remanet homo dominus ſui corporis; & ideo poteſt ipſum dare alteri, ſcilicet uxori, in qua datione Matrimonium conſiſtit, quod indiſſolubile eſt. Et propter hoc votum ſimplex, quamvis impediat contrahendum... tamen quia verus contractus eſt, non poteſt Matrimonium per hoc dirimi.* (*T.* 10. *p.* 563 *col.* 1. D.)

ARTICULUS III.

De effectibus Sacramenti Matrimonii.

Cum ex dictis certum ſit apud omnes Orthodoxos, Matrimonium in lege Chriſti verum eſſe ac propriè dictum Sacramentum, certum pariter eſſe debet per illud gratiam ſanctificantem produci in iis qui ut oportet benè præparati ad illud accedunt. Ita declarat Conc. Trid. Seſſ. 24. *Doctrina de Sacramento Matrimonii. Gratiam verò, quæ naturalem illum amorem perficeret, & indiſſolubilem unitatem confirmaret, conjugeſque ſanctificaret, ipſe Chriſtus venerabilium Sacramentorum inſtitutor atque perfector, ſua nobis paſſione promeruit, quod Paulus Apoſtolus innuit dicens: Viri, diligite uxores veſtras ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea: mox ſubjungens: Sacramentum hoc magnum eſt; ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia.* Ad quæ Concilii verba Catechiſmus Romanus parte 2. num. 21. ait: *Docendum eſt hujus Sacramenti gratia effici, ut vir & uxor mutuæ charitatis vinculo conjuncti, alter in alterius benevolentia conquieſcat, alienoſque & illicitos amores & concubitus non quærat, ſed in omnibus ſit honorabile connubium & thorus immaculatus.* Dixerant antea Patres Concilii Colonienſis an. 1536. part. 7. cap. 40. *Quod Sacramentum ſi quis ſicuti decet acceperit, accedente ſacerdotali precatione, confert donum Spiritus, quo vir diligat uxorem amore caſto, ſi-*

Digitized by Google

ſto, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam. Mulier viciſſim propter Chriſtum amet & revereatur virum ſuum uti dominum ; uterque liberos, ſi dentur, ſumma cura inſtituat ad Chriſtianam pietatem.

Et verò cùm tria ſint Matrimonii bona, fides, proles & Sacramentum, neceſſaria omnino videtur gratia Sacramenti Matrimonii ad triplex illud bonum feliciter aſſequendum. Bonum ſcilicet fidei tria poſtulat, ut conjux conjugi debitum reddat, ut ſoli reddat conjugi, ut ſervet neceſſariam cum illo pacem: in bono verò prolis tria ſunt attendenda, ut amanter ſuſcipiatur, benignè nutriatur, ac religiosè educetur, quæ quidem propria ſunt parentum in filios officia. Cùm denique in omni conjugio ſuo modo adumbretur intima Chriſti conjunctio cum Eccleſia, per gratiam Sacramenti Matrimonii fit, ut conjunctio hæc nuſquam ſolvi debeat, ſed duo ſemper ſint in carne una.

Atque hæc dicta ſint de Sacramento Matrimonii, in quo exponendo ſi quid nobis incautis minùs ſanum & rectum excidiſſe deprehendatur, pro non dicto ac revocato habemus.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google